




# VINCENTII MONTECALVI BONONIENSIS

## De Primis, & Secundis Intentionibus

*Metaphysicæ Speculationes.*

Hieron. David ... sculpsit

# VINCENTII MONTECALVI

## BONONIENSIS

*IN PATRIO ARCHIGYMN. Philosophiæ Professoris Ordinarij*

# De Primis, & Secundis Intentionibus AD MENTEM ARISTOTELIS Metaphysicæ Speculationes.

*Opus tùm nouitate, cùm etiam profunditate doctrinæ admirabile,*

In quo totius entis tàm realis, quàm rationis natura, prædicatio, passiones, ipsarumq; relationum difficillima materies altissimè simul, ac lucidissimè explicatur.

*Cum duplici, Capitum scilicet, atq; rerum notatu dignarum Indice copiosissimo.*

**ILLVSTRISSIMIS BONONIAE SENATORIBVS.**

BONONIÆ M.DC.XXXVIII.

Typis Clementis Ferronij. Superiorum permissu.

# ILLVSTRISSIMIS
# BONONIÆ
# SENATORIBVS

Horatius Montecaluus S. P. D.

FOELICI hoc Opus fato per totum orbem diuagabitur, Senatores Illuſtriſsimi, ſi tamen benigno aſpectu nobiliſsima illius natalia Vobis placeat intueri; tam glorioſo .ſ. exultabit patrocinio, quod vt intenta, ac diligenti cura aſſequeretur, vel atrociſſimis noluit illius Auctor pepercisse laboribus. Vincentius(inquam) Montecaluus, qui nocturnas diurnis ſudoribus connectens vigilias, ne quid in illa, quam Vobis conſecrauerat, vita à ſe ceſſatum diceretur, permiſſa ſibi viuendi ſpatia ſtudioſis ærumnis diripi, ac admiranda laborum, atque operum patientia eripi permiſit, dum promouendis Iuuenum ſtudijs ardentiſſimè inſiſtens, ita Poſterorum vtilitati, ac huiuſce Archigymnaſij conſuluit fœlicitati, vt ferè cuncta illius ſubſellia profeſſoribus vacua Vos nunc aſpicere pigeret, ni ipſius diſcipulorum vocibus animata, & huiuſce gloriam Vrbis, & ſui præſtantiam Præ-

ceptoris gentibus æternum testarentur; & quis alios fructus à tam generoso germine expectasset, cuius radices altissimè in Vestro hęserant consessu? Longa etenim serie Senatoria maiestate illius Proaui insignes non aliud prę stantius dogma, cui Reipub. cuiusuis salus innititur, Nepotibus hæreditario veluti titulo relinquere potuerunt, quàm publicam vtilitatem priuatæ semper esse præferendam, quod, quàm laudabili præstiterit consilio, Exteri viderunt; ad præcipua siquidem Europæ gymnasia inuitatus amplissima quidem, sed pro ingentibus meritis præmia, vt Patriæ inseruiret, Philosophica virtute recusauit. Vestro igitur destinatũ Nomini ab ipsis etiam incunabulis Opus Vestra fouete virtute; & fauorabili efficite tutela, vt in ipso Auctoris Vestro reuirescens fauore memoria plures valeat tantę virtutis ęmulos excitare. Hoc futurum Vestra mihi suadet benignitas, qua tanti Viri mortem effusa in me, vti bonorum, sic illius humilis erga Vos obsequij hæredem, liberalitate, quę illius vestigia insequẽtibus animos adderet, meumq; fortasse filiolum temporis progressu ad hæc studia impelleret, hoc vno saltem non omninò infœlicem esse voluistis, quòd Vobis exercendę, alijs fortiùs amplectendę virtutis nobilis quidem, sed deploranda foret occasio. Valete.

Ego


VINCENTIVS MONTECALVVS PHILOSOPHIÆ DOCTOR COLLEGIATVS ÆTATIS SVÆ ANNO LXIV
Io. Bapt.a Coriolanus F.

EGo Don Polycarpus D. Petri Bononiæ Penitentiarius, ac Eminentiss. & Reuerendiss. D. D. Hieronymi Cardinalis Columnæ Archiepiscopi Librorum Censor, cum attètè perlegerim Metaphysicas Speculationes Excellentiss. D. Vincentij Montecalui, in Patrio Gymnasio Bononiensi publici Philosophiæ Professoris, præter pietatem, admiratus sum profunditatem, & acumen ingenij huius Viri, qui in tractandis Peripateticorum Quæstionibus, suarum lucubrationum ingenti studio, ac labore, ita mentem Aristotelis est assecutus, vt si eiusdem Auditor extitisset, nescio, an tam luculenter, & distinctè germanum eius sensum nobis aperuisset. Vnde hoc opus tam eximij Doctoris omnibus Philosophicas Doctrinas profitentibus apprimè vtile, ac iucundum fore existimo.

DIsputationes has Metaphysicas à Perillustri D. Vincentio Montecaluio omni diligentia, ac studio conscriptas, & subtili, ac sufficienti explicatione illustratas ad communem vtilitatem, atq; item perutiles omnibus Philosophiæ Studiosis, vidi Ego Infrascriptus, vel libentissimè, atq; omni animi iucunditate perlegi; & quia animaduerti omnia in his Disputationibus contenta nihil habere, quod repugnet fidei Catholicæ, aut etiam bonis moribus, ideò typis de facto mandandas in omnium commodum existimaui. Imprimatur ergo

Fr. Hieronymus Onuphrius Theologus Collegiatus, & Lector publicus in Bononiensi Archigymnasio, ac Sanctæ Inquisitionis Consultor pro Reuerendissimo P. Magistro Paulo de Garrexio Inquisit. Bononiæ.

IN-

# INDEX CAPITVM.



*De*

*Pro-*

# INDEX CAPITVM.



*De*

Pro-

VIN-

# VINCENTII MONTECALVI

## DE PRIMIS, ET SECVNDIS INTENTIONIBVS

## Metaphyſicæ Speculationes.

### PROOEMIVM.

APVD Sapientiſſimos viros difficultates iampridem excitatæ, atq; diligentiſſimè diſcuſſæ pro indaganda eſſentia, & quidditate, occultis etiam, & latentibus proprietatibus Primarum, & Secundarum Intentionum demonſtrandis, innumerabiles quidem, necnon adeo acerrimos Contradicentes habuerunt, quòd ſi ſpectandæ forent omnium ingenioſiſſimæ rationes, neceſſaria etiam occaſio oblata tractandi ſimul ea, quæ maximè ex diuiniſſimo fonte Metaphyſico ſcaturiunt, impoſſibile, vel ſaltem difficillimum videretur, à quopiam aliquid veritatis attingi poſſe. Verùm ſicut in Philoſophia hæc, & alia huiuſmodi ſilentium non

indicunt; immò intellectum, qui iuxta omnium naturalem inclinationem ad difficillima quæq; se rapit, efficaciter prouocant; hinc factum est, quòd ipse quoq; tali concitatus desiderio, absq; libertate aliqua ad continendum, accesserim ad harum Intentionum perscrutationem, difficillimam quidem, vtilem tamen ad habendam rerum Logicalium completam cognitionem, & quod magis est, necessariam pro firmandis principijs Metaphysicalibus, ad quæ cæterarum scientiarum conclusiones, & propria etiam earundem principia reuocari consueuerunt. Dignentur itaq; veritatis cultores accipere, quæ magis, vt spero, probabilia de Primis, & Secundis Intentionibus occurrunt dicenda, & eò libentiùs, ad quę intendimus, animum dirigant, quòd pro euitanda molestia, quæ in recitand.s varijs Philosophorum opinionibus accidere solet, suppressis quidem, non tamen neglectis nominibus, & auctoritatibus clarissimorum Virorum, à quibus quicquid veri sum allaturus, accepisse fateor, non nisi rationibus, sola etiam Aristotelis, atq; Porphyrij voce proposui confirmanda omnia ea, quæ in præsenti materia asserenda videbuntur.

Quid,

# *Quid, & Quotuplex Intentio.*
## *Cap. I.*

INTENTIO ex nominis ratione quia significat tendentiam in aliud, inde actus voluntatis, & intellectus tendentis in propria obiecta intentiones appellari consueuerunt; voluntatis actus moraliter; intellectus logicè. Voluntatis, quatenus finis, ad quem media diriguntur, sub tali relatione illius intentionem terminat. Intellectus, quatenus res intellecta, terminat & ipsa cognitionem intellectus. Verum permittente consuetudine, & fortè ex vocabulorum penuria nomen intentionis logicè, quod erat proprium intellectus, dilatatum est etiam ad rem intellectam, & sic factum est, quòd sit duplex intentio logica; altera formalis, quæ dicit, & significat actum, seu cognitionem intellectus tendentis in rem cognitam; altera obiectiua, quæ significat, & dicit obiectum intellectus, quod terminat potentiam intellectiuam, & à tali potentia attingitur.

Quamuis nomen intentionis logicè diffundatur ad significanda hæc duo intentionum genera, nec non ambæ intentiones, tamquam oppositæ relatiuè proportionaliter, se inuicem comitentur, & æqualiter diuidantur; tamen quæstiones, & omnium propositorum resolutiones, quæ à Philosophis circumferuntur in materia intẽtionis, quia sunt, & communiter fiunt de illis intentionibus, quæ sunt obiecta formaliter terminantia actus intellectus; immò quando Philosophi loquuntur de actibus intellectus, & sic de formalibus intentionibus, quia illud totum ab ipsis proponitur, vt commodè id, quod pertinet ad intentionem obiectiuam, intel-

ligi possit; Inde disputationes in futurum habendæ circa intentiones erunt primò, & principaliter de illis, quæ pertinēt ad intentionem logicam quidem, sed obiectiuam; secundariò autem ad formalem, in gratiam scilicet obiectiuæ, & voluntatis etiam, si quid dabitur in illis, quod ad eamdem obiectiuam facere videatur.

Pro intelligentia itaq; intentionis obiectiuæ considerandum, quòd sicut in completa ratione denominatiuorum duo continentur, iuxta illorum diffinitionem in prædicamentis, materiale, scilicet res denominata v. g. pagina, formale, scilicet forma denominans, albedo (inquam) mediante qua propriè, & formaliter pagina dicitur alba; non secus in intentione formali, quæ dicit actum intellectus tendentis in proprium obiectum duo dātur, materiale .s. actus intellectus tendentis in rem intellectam; formale .s. conceptus fundatus in dicto actū, atq; conceptu formato ad rem intellectam, mediante quo respectu, siue relatione intellectus ad rem intellectam talis actus dicitur, & denominatur intētio formaliter.

In intentione etiam obiectiua eadem de causa duo dantur, materiale, quod est obiectum intellectus, quicquid sit, quod intelligendum veniat; formale illud, ratione cuius res intellecta habet, quòd formaliter terminet iam dictū actum intellectus, quod formaliter est relatio rei intellectæ ad intellectum; quia de ratione termini est essentialiter ordinari, ex dicendis *C. p.* 25. ergo sicut in intentione formali denominatiuum est actus intellectus, quatenus stat sub relatione ad rem intellectam; sic denominatiuum intentionis obiectiuæ est res intellecta, quatenus stat sub relatione ipsius ad intellectum, quamuis diuersitas sit in denominatione paginæ ab albedine, intellectus etiam à relatione ad rem intellectam ex vna parte, & ex altera in denominatione rei intelle-

ctæ

ctæ facta à relatione ipsius ad intellectum; quia forma intrinsecè, & essentialiter complens rationem intẽtionis obiectiuæ est semper relatio rationis; forma verò complens rationem albi est qualitas absoluta, & forma complens rationem intentionis formaliter semper est relatio realis.

Ergo diffinitio intentionis formalis erit actus intellectus tendentis in obiectum cognitum, quatenus stat sub relatione reali ad rem intellectam. Diffinitio intentionis obiectiuæ erit obiectum intellectus, quatenus refertur relatione rationis ad actum intellectus, siue vt terminat oppositam relationem intellectus ad ipsum.

Harum diffinitionum talis redditur ratio. Illud est intentio obiectiuè, quod intelligitur vt obiectum intellectus, seu intentionis formalis; tum ex communi omnium sententia; tum quia nec aliter potest saluari mutua relatio inter formalem, & obiectiuam intentionem, vt quilibet vel mediocriter exercitatus in Metaphysica facilè cognoscere potest. Sed intellectus tendendo in proprium obiectum, & illud intelligendo, nihil cogitat de relatione rationis rei intellectæ ad intellectum, nec relationis sui ipsius ad rem intellectam, sed solùm illud facit, quando in actu reflexo cogitat de actu proprio, & de tali relatione rei intellectæ, quæ consequitur ad actum intellectus: immò quando in tali actu reflexo intellectus redit ad intelligendum proprium actum, & simul relationem rationis ad intellectum, quia semper dicta relatio rationis refertur & ipsa alia noua relatione rationis ad intellectum, & prius ante hunc actum reflexum non referebatur. ergo intentio obiectiua non erit simpliciter quæcũq; res intellecta, nisi materialiter, vel fundamentaliter accipiatur intentio, sed solum res intellecta, quatenus stat sub relatione rationis ad intellectum, & sic à tali relatione in cõcreto appellabitur intentio. ergo etiam intentio formalis erit

solùm actus intellectus, quatenus ſtat ſub relatione ſui ipſius ad rem intellectam, & ſic ab eadem relatione in concreto appellabitur intentio formalis. Intentio ſic accepta, formalis (inquam) & obiectiua diuiditur in primam, & ſecundam intentionem, ſicut vniuerſale in ſua inferiora, & illa res dicitur prima intentio obiectiuè, cuius eſſe non dependet ab alia re, quatenus talis res habet completam rationem intentionis obiectiuæ, ſed aliorum eſſe dependet ab ipſa, ſecundùm quòd habet dictam rationem completam intentionis. Illa res dicitur ſecunda intentio obiectiuè, cuius eſſe dependet à prima, quatenus ſtat ſub actu intellectus, & ſecundùm illud, à quo formaliter eſt intẽtio obiectiua, ſiue proximè dependeat à prima, vt relatio rationis, quando ens reale intelligitur: ſiue remotè, vt relatio rationis, quæ ſuccedit ex actuali cognitione præcedentis relationis ſecundũ rationem. Quod ſic declaro. Homini quædam conueniunt ſimpliciter nullo intellectu conſiderante, vt riſibilitas, quædam non niſi, vt ſtat ſub actu intellectus, vniuerſalitas, ſpecies, &c. Riſibilitas, quia non niſi vt res quædam, conuenit homini, eſt quidem ſecunda res, non tamen ſecunda intentio; vniuerſalitas autem, & alia huiuſmodi, quia non conueniunt homini, vt res ſimpliciter, ſed quatenus ſunt intentiones obiectiuæ, & ſic ſequuntur ad hominem, ſecundùm quòd terminant actum intellectus, ſunt ſecundæ intentiones. Quòd modò vniuerſalitas ſit ſecunda intentio, riſibilitas ſecunda res, hoc pacto probari poteſt.

Quælibet differentia conſtitutiua inferioris eſt per ſe, & eſſentialiter diuerſificatiua ſuperioris, quia vt dicitur 7. *Metaphyſ. tex.* 43. nulla alia diuiſio poteſt fieri pedis, quæ ſit per ſe, & eſſentialiter, quàm illa, quæ fit per pedes ſciſſos, & non ſciſſos: etenim ſciſſio pedum (vt ibi dicitur) eſt aliqua pedalitas. ergo quælibet diuiſio intentionis in primam, & ſe-

cun-

cundàm nil aliud erit, quàm quoddam id, cuius eſt diuiſio,& ſic quædam intentio. ergo ſi ſecundum dicitur in ordine ad primum, & è conuerſo primum ad ſecundum, iam illud erit tantummodo ſecunda intentio, cuius eſſe ab alio dependet, vel ad illud ſequitur ſecundum illud totum,quod dicit intentio, & illa erit ſecunda res, cuius eſſe dependet, vel ſequitur vt res ſolùm, nunquam vt intentio. Illud autem erit prima intentio, quod non dependet, nec ſequitur ab alio, ſed alia ab ipſo, ſecundùm quod eſt intentio. Illud etiam prima res, quod non ab alio,ſed alia ab ipſo ſemper vt res eſt,nunquam vt intentio.

Vltimò, prima intentio formalis eſt actus intellectus, ſecundùm quem tendit in primam intentionem obiectiuam, illam intelligit, & ad illam ordinatur. Secunda intentio formalis eſt actus intellectus, ſecundùm quem tendit in ſecundam intentionem obiectiuam, illam intelligit, ad illam etiam ordinatur.

Dixi diuiſionem intentionis in primam, & ſecundam eſſe diuiſionem quidem ſuperioris in ſua inferiora,tamen in hoc ſenſu, quòd tale ſuperius diuidatur per modum analogi in ſua analogata: tum quia relatio, qua refertur res intellecta ad intellectum, & ſecundùm quam eadem res intellecta dicitur formaliter intentio, non æqualiter, & vniuocè poteſt abſtrahi à prima, & ſecunda,quia ſecundæ intentiones, ſicut dependent à primis, & ad illas ſequuntur in quantum ſunt,& ſimul veræ ſunt, neceſſariò etiam habent à primis,quòd terminent actum intellectus, & quòd ſint formaliter intẽtiones obiectiuæ, iuxta illud 2. *Metaphyſ. tex.* 4. ſicut res ad eſſe, ſic ad cognoſci: tum etiam, quia ſecunda intentio, etiam vt ſecunda, non ſolùm ex quo eſt poſterior prima, vt ternarius binario, ſed etiam poſterior, vt recipiens prædicationem formalem intentionis in communi, eò quòd res intellectæ

non

non æqualiter terminant actum intellectus; immò intelligibilitas, quia sola proprietas entis in actu ex *9. Metaphys. tex. 20.* causat, quòd eædem res intellectæ non possint æqualiter terminare intellectũ, sicut nec etiam sunt æqualiter in actu; quare si non æqualiter terminant intellectum, & secunda est posterior prima, etiam secundùm rationem communem intentionis, sequitur, quòd diuisio in primam, & secundam intentionem sit diuisio analogi in sua analogata.

## *Difficultates contra iam dicta, & illarum solutiones. Cap. II.*

CONTRA illud, quòd relatio rei intellectæ ad intellectum sit forma constituens rationem intentionis obiectiuæ arguitur hoc pacto.

Primò. Esse obiectiuũ rei intellectæ præcedit relationem ipsius ad intellectum, eò quòd res intellecta non terminat actum intellectus, ratione cuius dicitur habere esse obiectiuum; quia referatur ad intellectum: sed refertur; quia habet tale esse obiectiuum. ergo forma denominans intentionem obiectiuam formaliter, non est relatio iam dicta, sed illud esse obiectiuũ, quod præcedit talem relationem. ergo etiam in intentione formali forma denominans intentionem formaliter, non erit relatio intellectus ad rem intellectam, sed erit actus intellectus, ad quem sequitur ipsa relatio.

Secundò. In prima intẽtione obiectiua priùs est res, quàm intentio; quia intentio supponit actum intellectus, & talis actus intellectus supponit rem intellectam; quia veritas, quæ fundat intellectionem, est proprietas entis; ergo etiam secunda intentio obiectiua supponit rem intelligendam, quia semper in omnibus ab eo, quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa dicitur, *ex Arist. cap. de substantia.* ergo forma

con-

constituens intentionem obiectiuam in esse intentionis formaliter non est relatio rei intellectæ ad intellectum, sed sola ratio, secundum quam res intelligenda terminat actum intellectus, ad quam postea sequitur relatio ad intellectum.

Tertiò. Intellectus, intelligendo rosam, vel quodcunq; aliud intelligibile, non intelligit illius relationem ad intellectum, nisi, *vt dictum est capite præcedenti*, in actu reflexo: sed talis relatio, quia rationis nullum aliud esse habet præter intelligi; ergo in tali actu, quo intelligitur rosa, relatio rei intellectæ, quam habet rosa ad intellectum non erit forma constituens rationem intentionis obiectiuæ; quia *vt dicitur 2. Phys. tex.* 1 1. nihil est actu tale prius, quàm recipiat formam constituentem rationem illius, cuius est forma.

Contra illud, quòd intentio diuidatur in primam, & secundam, vt superius in sua inferiora, arguitur sic. Nulla differentia intrinsecè, & essentialiter clausa in aliquo potest illud diuidere, vt superius in sua inferiora: tum quia homo non diuiditur in rationale, & irrationale: tum quia facta tali diuisione, idem esset, & non esset: homo v. g. esset rationalis; quia rationalitas est differentia intrinsecè constituens hominem, non esset rationalis propter irrationalitatem additam homini diuiso, quod est *contra illud principium Metaph. idem non potest simul esse, & non esse*, sed intẽtio obiectiuè, & in vniuersali accepta includit relationem rationis rei intellectæ ad intellectum, immò intrinsecè, & formaliter à tali relatione res intellecta dicitur intentio, sicut à rationalitate formaliter, & intrinsecè homo. ergo quælibet intẽtio est ens rationis, ergo secunda intẽtio. ergo intentio non diuiditur, vt superius in inferiora, in primam, & secundam intentionem.

Nec potest dici, quòd talis diuisio non sit intentionis se-

cundùm illud totum, quod dicit intentio, sed simplex diuisio rerum intellectarum, quatenus alia existit nullo intellectu considerante, alia non nisi per opus intellectus; quia si sic, iam non quodlibet diuisum esset quoddam id, cuius est diuisio, contra id, quod dictũ est *ad mentem Aristot. 7. Metaph. tex.* 43. etenim hoc pacto prima, & secunda intentio non esset talis, vt intentio; sed solùm vt res. quare nec secunda intentio dependeret à prima, vt intentio, sed solùm, vt res, & sic non esset prima, & secunda intentio, sed solùm prima, & secunda res.

Contra illud, quòd diuisio in primam, & secundam, intentionem sit diuisio analogi in sua analogata, instatur hoc pacto. Primæ, & secundæ intentiones æqualiter terminant actum intellectus, quia in omnibus illarum prædicata quidditatiua sunt necessaria, eò quòd illarum opposita sunt æqualiter impossibilia; illarum etiam proprietates demonstrandæ æqualiter sequuntur earumdem essentiam, *iuxta illud Porphyrij; proprium est id, quod omni, soli, & semper conuenit.* ergo sunt vniuocæ intentiones prima, & secunda, quia dictum est, quòd intrinseca ratio intẽtionum est, quòd terminent actum intellectus, & quòd à tali relatione constituantur in esse intentionis.

Cõtra illud, quòd esse secũdæ intẽtionis depẽdet à prima secũdùm id totum, quod dicit intẽtio, dupliciter arguitur.

Primò, vel intelligitur, quòd secunda intentio sit dependens ab actu intellectus formaliter, vel fundamentaliter, si secundo modo, iam non omnes relationes rationis, quæ tamen sunt secundæ intentiones dependent fundamentaliter ab intellectu, vt sunt relationes rationis, quæ consequitur sensum, & voluntatẽ, etiã fundamentaliter proximè conueniunt, nulla interueniente operatione intellectus. si primo modo, quando intellectus intelligit animal, ad cuius

ius intellectionem sequitur relatio genereitatis, nihil cogitat intellectus de tali relatione genereitatis, ergo non dependet ab animali, vt res formaliter intellecta. ergo si dependet à prima, illud solum habet, quia intelligitur secunda intentio, non prima.

Secundò, si sic, ergo conueniunt rebus, vt sunt obiectiuè in intellectu. ergo secundùm esse immateriale, & spirituale, quod habent in dicto intellectu. ergo non secundùm esse naturale, quod illis conuenit ad extra, sed dantur quædam relationes rationis, quæ conueniunt rebus, & de illis prædicantur secundùm esse naturale, quod habent ad extra, vt dextreitas in columna, quæ de ipsa particulari columna verificatur, etiam vt est ad extra, eò quòd columna realis, quæ est ad extra, est illa, quæ secundùm suum esse naturale dicitur dextra, non autem columna in intellectu, illa namq; in intellectu non videtur, quòd possit dici nec dextra, nec sinistra; quia in substantia penitus immateriali, qualis est intellectus, non potest fingi aliqua differentia secundùm locum: ergo &c.

Contra illud, quòd intentio solùm fuerit diuisa in primã, & secundã, & quòd non fuerit addita tertia, quarta, quinta, &c. instatur hoc pacto.

Aequaliter dependet relatio speciei ab homine intellecto, sicut relatio speciei à dextreitate, quæ est in columna, quia ambæ æqualiter sunt species suorum indiuiduorum dextreitas, huius, & illius dextreitatis; homo, huius, & illius hominis, sed dextreitas columnæ est ens rationis, & secunda intentio; ergo species dextreitatis, dependens à dextreitate columnæ, quatenus stat sub actu intellectus, & secundi in illud, quod est intentio non erit secunda, sed tertia intentio, quarta etiam, & quinta secundùm quòd intellectus nouas, & nouas relationes rationis, relationibus præintellectis ad

libitum potest attribuere. ergo &c.

Vt facilè sit intelligere id, quod respondendum venit ad difficultates propositas, animaduertendum vnum adhuc maximè necessarium ad vniuersalem doctrinam entis rationis, & secundarum intentionum. Quòd cum verificentur duo de re, quæ est secunda intentio, v. g. de relatione generis. Primùm, quod est actu, & formaliter intētio obiectiua: Secundùm, quod etiam actu, & formaliter est existens suo modo, i. secūdùm rationem; tamen hæc duo intentio, & existere non habent æqualiter idem principium formale, quo res dicantur, & formaliter denominentur, intentiones obiectiuæ, & formaliter etiam existentes, quasi sint duo effectus formales intentio, & existere eiusdem formæ .i. relationis ad intellectum, quàmuis vtrumq; sit ex esse obiectiuo, & relatiuo, quod habet genus in intellectu. Etenim ex dicendis *cap. 26.* esse obiectiuum, quod habet relatio generis ad intellectum, est quidem forma, secundùm quam genus dicitur formaliter intentio, & tale denominatiuum est effectus formalis esse obiectiui, & relationis ad intellectum. Verùm eadem relatio generis ad intellectum non est formalis existentia, secundùm quam dicta relatio generis dicatur formaliter existens, & à qua veniat denominatiuum existens, vt effectus formalis à sua forma; tum quia ab vnica forma non venit formaliter duplex effectus formalis, nisi talis forma dans duplex esse formale, contineat eminenter alias formas, à quibus veniunt proprij effectus formales, vt est de intellectiua, quæ potest dare esse viuentis animalis, & corporis formaliter; quia eminenter continet formam corporis, animalis, & viuentis, sicut dicitur de trigono, & tetragono *secundo de anima tex. 31.* Tum etiam, quia existentia, secundùm quam genus dicitur existens, nil aliud est, nisi in, secundùm rationem, quod habet in re denominata, i. in secundùm

eundùm rationem relationis generis in animali.

Dixi quamuis vtrumq; intentio .s. & existens sit ex esse obiectiuo,& relatiuo,quia relatio generis ad intellectum,si comparetur ad denominatiuum intentionis est forma denominans, & constituens formaliter intentionem in esse intentionis; si ad denominatiuum, quod dicitur existens, non est forma denominans, nec constituens formaliter in esse existentis rem denominatam; quia talis denominatio solùm fit ab existentia secũdùm rationem, quam habet genus in animali,non ab esse obiectiuo,quod habet in intellectu. Quare semper tale esse obiectiuum est simplex, & sola ratio existentiæ, nunquam formalis existentia, & hoc quia existentia generis in animali non conuenit generi,nisi propter esse obiectiuum, quod habet in intellectu, quatenus ex tali esse obiectiuo dictæ relationis in intellectu resultat in animali generis existentia secundùm rationem.

Ad duo prima argumenta, quibus videbatur posse probari, quòd relatio rei intellectæ non sit forma constituens rationẽ intentionis,respõdetur. Duplex est esse,essentiæ,& existentiæ; illud esse fundat intentionem, quod præcedit actum intellectus;sed tale esse est esse essentiæ,nõ existentiæ;quia id quod intelligitur,esto etiam quòd sit existentia, semper induit rationem, quid est, & solùm exercet actum quid, quod nil aliud est nisi esse essentiæ, ergo si res est vera antequam intelligatur; solùm habet rationem essentiæ, non autem existentiæ, qualem postmodum acquirit per relationem ad intellectum,modo quo supra,i.vt sola ratio existentiæ, secundùm quam res formaliter dicitur intentio. Quando vero dicebatur, Nonne priùs intellectus intelligit rem,quàm referatur ad ipsam? Nonne etiam res intellecta priùs terminat actum intellectus,quàm referatur ad ipsum? ergo ratio intentionis aliunde est, quàm per referri. Resp.

duo

Duo sunt in intentione, materiale, & formale; materiale præcedit formam, quia motus supponit mobile; 8. *Phys. tex.4.*& subiectum est prius prædicato, 1.*Phys.tex.*47.quare sicut intellectus præcedit sui ipsius relationem ad rem intellectam, sic res obiecta, & intellecta præcedit etiam sui ipsius relationem ad intellectum: verumtamen, vt sic solùm habet rationem materialis in ordine ad intentionem, & semper relatio est complens; vt forma rationem intentionis; Primæ, si sit talis, quòd materiale existat, absq; relatione ad intellectum; Secundæ, si solùm existat ex relatione ad intellectum, sicut in exemplo paginæ iam dicto; pagina tanquàm materiale præcedit albedinem, non tamen album, eò quòd constituitur in tali esse albi per albedinem.

Aliquis iterum instādo dicere posset. Sicut ex parte intellectus tria considerantur; potentia intellectiua; actus intellectus, & relatio, ex quibus primum fundat secundum, & secundum tertium, quî fit, quòd in obiecto, etiam intelligibili non sint tria; res intelligenda, ratio secundū quam talis res terminat actum intellectus, & ipsius relatio ad intellectum? quod si secundum in hac re intellecta dicit rationem obiectiuam, & terminatiuam intellectus; quî fit, etiam, quòd nō sit formale in intentione, & res simpliciter accepta materiale?

Respond. quòd intelligi ad duo comparatur, primo ad speciem expressam, quæ dicitur obiectum intrinsecum, & verbum formatum, secundò ad rem intellectam, i. ad obiectum extrinsecum mediante tali verbo cognitum: si primo modo non inconuenit, quòd intelligere habeat duas relationes ad obiectum intrinsecum, quod est species expressa, & verbum; vnam tanquàm actio ad terminum per eam productum; alteram, tanquàm existentiam ad suum

exi-

existentem in actu per tale esse, eò quòd intelligere est existentia verbi: Verùm hæc solùm pertinent ad intentionem formalem, quæ est ex parte intellectus, non obiectiuam, de qua loquimur, & quod plus est, virtus intellectiua, species expressa, & impressa, etiam data fingendi venia, solùm induunt rationem partium ad constituendum intellectum in actu, ex quo habet, quòd fundet relationem intellectus ad rem intellectam: si secundo modo; quia intelligi nihil reale ponit in re intellecta, & in obiecto extrinseco, sed solam relationem rationis, & extrinsecam denominationem, secundùm quam obiectum dicitur intellectum, iam sequitur, quòd res intellecta referatur vnica relatione rationis ad intellectum, sicut etiam talis intellectus in actu, vt vnum constitutum ex illis tribus virtute intellectiua, specie impressa, & expressa, vna sola relatione refertur ad rem intellectam. ergo in re intellecta non aderit duplex relatio, vt fingitur in vltima instantia; altera, vt res dicatur terminatiua actus intellectus; altera, vt sit terminatiua relationis intellectus ad ipsam rem intellectam.

Tum quia necessarium esset etiam fingere duas oppositas relationes in intellectu; altera, secundùm quam diceret ordinem ad rem intellectam, vt est terminatiua sui ipsius intellectionis; altera ad oppositam relationem rationis rei intellectæ ad intellectum, quod tamen est falsum, quia sicut idem est terminare, quod referri, sic vna est relatio intellectus ad rem; tum quia si esset alia relatio, secundùm quam terminat actum intellectus, à relatione secundùm quam refertur ad intellectum, illius fundamentum, quod diceretur terminatiuum, & obiectiuum, vel esset tale secundùm actum, vel secundùm aptitudinem; non secundum quia nulla habita consideratione intellectus quælibet res diceret relationem ad intellectum, & sic foret relatio rea-

lis,

lis, quia quælibet res sine actu intellectus habet hanc aptitudinem. Si primum, quia esse intellectum in actu solùm ponit relationem rationis. ergo semper sequitur data hac fingēdi venia, quòd forma constituens intentionem obiectiuam in esse obiectiuo formaliter sit relatio rei intellectæ ad intellectum.

Tum vltimo; quia si tale terminatiuum faceret intentionem formaliter; vel diceret aliquid secundùm illud, quod est intentio; vel nihil; non secundum, quia intentio esset nomen negatiuum; ergo si primum, vel reale; vel rationis; non reale, quia nihil reale acquiritur, in re intellecta. ergo relatio; quia *(vt infra cap. 20.)* ens rationis nōn est nisi relatio rationis. ergo semper intentio constituitur in esse obiectiuo formaliter per relationem ad intellectum. ergo, &c.

Ad tertium contra idem. Resp. quòd intentio obiectiua, & formalis; quia semper se mutuo cōsequuntur, etenim res non aliter dicitur intentio obiectiua, nisi quia terminat actum intellectus, quod semper, vt essentialiter est referri ad ipsum, inde sicut intentio formalis est talis formaliter, & in esse completo, quatenus tēdentia, vel actus intellectus in obiectum cognitum habet annexam formam relationis intellectus ad rem intellectam, constituentem dictam tendentiam, vel actum intellectus in esse formali, & specifico intentionis formalis; à simili, intentio obiectiua, proportionaliter respondens intentioni formali, dicitur intentio obiectiua formaliter, & completè, quatenus dicit ipsam rem intellectam, vt habet annexam relationem ipsius ad intellectum: quare ad argumentum, quando dicitur quomodo istud potest esse, si nihil est actu tale, nisi per formā inhærentem, 2. *Phys. tex.* 11. & relatio rationis non est nisi intelligatur in actu reflexo?

Resp. quòd semper talis forma intentionis obiectiuæ est

est actu in re intellecta, esto quòd non intelligatur forma, siue relatio rationis iam dicta, nisi in actu reflexo: verùm illud actu venit intelligendum, secundùm quod conuenit naturæ rei, quia sicut non est necesse, quòd omne ens reale existens, secundùm totum simul existat; quia si sit successiuum, satis est quòd existat, vt conuenit rationi rei successiuæ .i. secundùm aliquod indiuisibile continuatiuum sui, à simili pro complenda ratione formali intentionis obiectiuæ, ex quo res intellecta non dicitur talis nisi denominatione extrinseca, eò quòd intelligi nihil reale, nisi extrinsecum poni t in re intellecta; inde sufficit pro completa ratione formali intentionis obiectiuæ, quòd relatio rationis ad intellectum existat existentia fundamentali proxima, si sit sermo de existentia, quæ illi conuenit secundùm esse actuale intrinsecum, quod habet, quando intellectus format illius conceptum; quia si quæritur existētia actualis *propter auctoritatem Arist. 2. Physic. tex.* 11. quando est proximè existens existentia intrinseca, adhuc existit actu existentia reali, quam habet secundùm extrinsecam denominationem, ex opposita (inquam) relatione reali intellectus ad rem intellectam, iuxta illud *Arist. 5. Metaph. cap. ad aliquid. Mensurabile dicitur ad aliquid, non quia ipsum ad aliud, sed quia aliud ad ipsum.* quare &c.

Ad illud, qualiter intentio diuidatur in primam, & secundam, vt superius in inferiora. Resp. quòd pro saluanda intrinseca ratione generis, solùm est necessarium, quòd genus retineat rationem formalem eo modo, quo clauditur in genere, quidquid sit de differentijs, quæ adduntur, & diuersificant genus; alioquin id, quod clauditur in essentia generis, non esset illud, quod prædicatur essentialiter, & secundùm se de speciebus, sed illud, quod adderet talem diuersitatem, vel differentiam generis in speciebus, contra natu-

ram generis, etenim cōſtat, quòd animalitas, quæ prædicatur de homine, nil aliud dicit, & prædicat niſi eandem naturam ſenſitiuam ſimpliciter, & abſolutè, quæ eſt in homine, & alijs ſpeciebus. quare ad argumentum, ex quo ratio formalis, & intrinſeca intentionis obiectiuæ in vniuerſali accepta eſt, quòd res intellecta terminet actum intellectus, & hæc ratio terminandi ſaluatur formaliter, & proportionaliter in prima; & ſecunda intentione, quia ambæ intelliguntur, & terminant actum intellectus, ſemper ſequitur, quòd intentio diuidatur in primam, & ſecundam, vt quid ſuperius, in ſua inferiora, & ſic negatur quòd ſecunda intentio, quatenus addit differentiam propriam, intrinſecè includatur in intentione, vt eſt genus.

Et quando dicitur, quòd nihil eſt intentio, niſi quod terminat, & quòd terminare eſt ſola relatio rationis, & ſic tandem, quòd non datur niſi ſecunda intentio. Reſp. quòd diuiſio intentionis in primam, & ſecundam debet intelligi iuxta diuiſionem accidentis factam *à Porphyrio*, in accidens inſeparabile, & accidens ſeparabile, quia, ſicut omne accidens in genere adeſt, & abeſt ſecundùm intellectum, & tamen aliud eſt ſeparabile etiam ſecundùm rem, aliud ſolum ſecundum intellectum: ſimiliter intentio in genere eſt quidem hoc pacto ſolum intentio, quatenus habet annexam relationem ipſius ad intellectum, modò in præcedenti expoſito; ſed præter hanc rationem communem intentionis in omnibus inferioribus adinuentam, particularium intentionum, quædam adhuc habet exiſtentiam realem, quædam verò non, ſed ſolùm obiectiuam, quod ſatis eſt pro fundanda diuiſione in primam, & ſecundam, ſicut dictum eſt de accidente, quod diuiditur in id, quod eſt ſeparabile, & in id, quod non eſt ſeparabile.

Si quis diceret, ergo ſi prima intentio conſtituitur in eſſe

specifico; quia habet existentiam realem, secunda nequaquam, ergo differentia diuidens genus intentionis, & constituens speciem secundæ intentionis erit negatiua, quod tamen est falsum; quia differentia est speciei constitutiua, & nihil constituitur per id, quod non est, vel per negationem.

Resp. quòd non constituitur secunda intentio per negationem existentiæ realis, sed per fundamentum dictæ negationis, quod est entitas positiua secundæ intentionis, ad quam necessariò sequitur talis negatio existentiæ realis, iuxta quem modum *Aristot. diffiniendo primam substãtiam per negationem, dixit, non est, nec dicitur de subiecto*. ibi enim sub tali negatione intelligebat id, quod est, seu res, cui conuenit talis negatio; quare in hoc differt intentio in genere, à secunda intentione in specie; quòd secunda intentio in specie, ad rationem intentionis in genere addit fundamentum .i. aptitudinem ad existendum secundùm rationem solum, & sic entitatem positiuam, quæ negat, & aufert aptitudinem ad existendum realiter; in genere autem, nullum dicit fundamentum ad existendum, vel realiter, vel secundùm rationem, sed ad vtrumq; semper remanet indifferens, non minùs, quàm quodcumq; genus analogum, & proportionale ad suas species. ergo semper intentio obiectiua in vniuersali, & in genere, est quid abstrahens ab hac, & illa specie intentionis: semper prima, & secunda est quoddam aliquod sui superioris .s. aliqua intentio, sicut scissio aliqua pedalitas, semper secunda dependet à prima, non vt res, sed vt intentio: semper diuisio est facta per differentias, siue modos per se, & essentiales, & numquam vltimo potest dari aliqua prima intentio, quæ sit, & dicatur secunda, quamuis dictum sit, quòd nulla est intentio propriè, & formaliter nisi per relationem rationis ad intellectum, & quælibet relatio rationis sit secunda intentio; quia in tali casu intentio in gene-

re non suscipit prædicationem dictæ relationis secundùm rationem, nisi in genere, & quatenus abstrahit à differentijs, seu modis diuidentibus intentionis genus in primam, & secundam intentionem, abstractione tamen proportionali, quatenus dico modi diuidentes genus, & constituentes species intentionis, non includuntur, vt diuersi simpliciter, sed solùm vt idem proportionaliter, in tali genere intentionis.

Ex his etiam satisfit instantiæ ibidem contra responsionem successiue habitę, si quid tamen contra veritatem acceptam inducere quis cogitaret; quia solùm dicimus, quòd intẽtio formaliter ex quo res intellecta, quatenus intellectus, non diuiditur per diuersos modos rei intellectę simpliciter, sed rei intellectæ, vt stat sub relatione rationis ad intellectum, & per eosdem modos etiam species intentionis constituuntur: immo quia in genere intentionis vtrumq; includitur, res .s. intellecta, & relatio rationis, dicimus quoq; quòd vtrumq; modo tamen proportionali, abstrahit à particulari ratione rei conceptæ sub dicta relatione, secundùm quòd talis res sic concepta, vel est realiter existens, vel secundùm rationem tantùm.

Ad illud, quod probabat intentionem esse genus vniuocum ad primam, & secundam. Resp. Quidquid sit de necessitate illorum, quæ prædicantur tam in primo, quàm in secundo modo per se; nihilominus talis necessitas non potest efficere, quòd omnia obiecta intelligibilia æqualiter terminent intellectum, sicut requiritur ad constituendam vniuocationem intentionis, quia vltra necessitatem rei scibilis in obiecto requisitam, propter habitum scientificum, qui non terminatur ad ea, quæ possunt aliter se habere, adhuc requiritur quòd tale obiectum sit saltem suis temporibus; etenim legitur *secundo Metaph. tex. 4. quare vt secundùm esse vnum*

*quodq;*

*quodq; se habet, ita etiam secundùm veritatem*, vnde quia non omnia æqualiter sunt actu, etiam si sint realia, quædam enim sunt tantum in potentia, vt materia, quædam actu & in potentia simul, vt motus &c.

Inde hæc quamuis realia; quia non terminant æqualiter intellectum, nec etiam sunt primæ intentiones vniuocè, minùs etiam erunt secundæ intentiones; quia adhuc minorem entitatem habent: immo minimã in ordine ad primas; tum quia relatiua, etiam realia ex sui natura sunt minimæ entitatis, si cum realibus comparentur, tum etiam, quia relatiua rationis si ad relationes reales comparentur adhuc sunt minoris entitatis; quia solam habent existentiam rationis, quæ stat in intelligi.

Verùm quod magis est, eadem res cognita; quia potest diuersimodè terminare actus intellectus: etenim potest fieri, quòd talis cognitio sit apprehensiua, comprehensiua, quidditatiua, quidditatis, siue generis, siue alterius ad quidditatem spectantis, etiam accidentis &c. immo in eodem, & in diuersis intellectibus potest generari scientia, sapientia, opinio, suspicio, fides &c. potest etiam fieri, quòd sit directa, indirecta, in re, in suo effectu. ergo iuxta varietatem prædictorum intentio obiectiua formaliter, & in actu completo intentionis, non erit vniuoca ad omnes species, & modos intentionis; quia si ex diuersitate, secundùm quam se habet intellectus ad eandem, & ad diuersas res intelligendas, etiam diuersi habitus generantur, & sic ex illorum diuersitate resultant diuersæ relationes, vt de se patet, nec non relatio non nisi ad vnum terminum secundùm speciem ordinatur; quia ratio specifica relationis est, quòd sit ad aliud *ex Arist. in prædicamentis*. ergo oppositæ relationes rei intellectæ ad intellectum iuxta varietatem specificam relationis in intellectu variabuntur & ipsæ. ergò etiam intentiones

ues obiectiuæ. ergo intentio non est vniuoca ad omnes species, & modos intentionis. ergo &c.

Ad primum, quo videtur probari posse, quòd secunda intentio cum sit dependens à prima secundum illud totum, quòd dicit intentio. Resp. si sit sermo de esse formali, & cōpleto secundæ intentionis, sic nulla secunda intentio existit actu, & formaliter, illa .s. existentia, quæ ipsi conuenit secundùm rationem suæ speciei, nisi sit ab intellectu cōcepta, quia semper esse relatiuum intētionis stat in intelligi; quòd si sermo sit de esse fundamentali etiam proximo antequam existat in actu completo; quædam fundamentaliter existunt nulla facta illius rei intellectione, sicut rectè dicitur in argumento de relationibus sensus, voluntatis &c. quædam nec adhuc existunt fundamentaliter, nisi remotè, & vt proximè existant, requiritur saltem actus intellectus agentis; quia rebus non conueniunt secundum esse ad extra, sed solū secundum esse, quod habent in intellectu, vt relatio vniuersalitatis, quæ non verificatur de animali secundùm illud esse, quod habet in singulari, sed solùm, vt est abstractum à singularibus, ad differentiam relationis indiuidui ad speciem, quæ conuenit fundamentaliter proximè rei existenti in natura, nunquam tamen formaliter, & cōpletè, nisi per actum intellectus concipientis.

Ad argumentum. si intellectus, intelligendo animal, nihil cogitat de relatione generis. Resp. sufficit, quòd cogitet de illa, & de animali etiam, si debeat existere, secundùm existentiam formalem sibi conuenientem secundùm rationem. Et si iterum instetur, quòd difficultas erat, quomodo dependet genereitas, quæ est relatio rationis à prima, vt est intentio formaliter, si intentio formaliter dicit relationem ad intellectum, & in tali casu intellectus solùm concipit relationem animalis ad speciem, non autem ad intellectum.

Resp.

Resp. sicut dictum est prius ad duo prima argumenta; quòd si non intelligitur relatio rei ad intellectum, tamen existit realiter dicta relatio ad intellectum, existentia saltem extrinseca, quando animal intelligitur, vt fundamentũ, & subiectum suo modo genereitatis, & hoc satis est ad verificandum, quòd secunda intentio dependet à prima secundum illud totum, quod dicit intentio.

Ad secundum contra idem dicitur similiter, quòd quædam conueniunt rebus solùm existentibus obiectiuè .i. conceptui obiectiuo in intellectu, vt relatio generis; quædam rebus ad extra, quamuis non existant formaliter intrinsecè, nisi concurrente actu intellectus, vt dictum est de relatione indiuidui; ergo &c.

Ad vltimum, quòd daretur non solum prima, & secunda intentio, sed quarta, quinta &c. Resp. quòd cum intellectus reflectendo supra seipsum attribuat rei intellectæ, vt columnæ relationem dextreitatis, idem etiam relationi aliam relationem rationis, quia potest ipsam intelligere, vt speciem omnis dextreitatis, quæ est in columna, & sic successiuè addere relationem relationi, inde tamen non debẽt multiplicari intentiones iuxta numerum relationum, quæ successiuè dependent à rebus, vt sunt in intellectu, quia omnia à prima intentione dependent, quamuis non proximè, & sic ab illa prima debẽt denominari, ad modum numeri, qui licet possit mensurari nu. vt duodecim dualitate, etenim bis sex faciunt duodecim, tamen quia omnis numerus mẽsuratur vnitate, inde vnitas, vt dicitur 10. *Metaphysic. tex.* 4. est prima, & propria mensura numeri. Idem in intentionibus, quamuis tertia intentio resultet ex secunda, vt stat sub intellectu, quia tamen omnes relationes rationis dependent à prima intentione, vt intellecta, tamquam à re, quæ primò fundat rationem intentionis, inde sola duplex intentio prima, & secunda; ergo &c.

Quia

## *De quibus, & quo ordine agendum in sequentibus.* *Cap. III.*

QVia primæ intentiones conueniunt, & attribuuntur rebus, nec non existunt actu formali absq; alia intellectus operatione, & sic entia realia dicuntur; secundæ intentiones autem, quia nec existunt, nec de primis prædicantur seclusa intellectus operatione, & sic entia rationis appellantur ex dictis in præcedentibus. Inde necessarium est, vt perfectè cognoscamus, quæ sint illa, quæ pertinent ad primam, & secundam intentionem, quòd diligenter inquiramus quid ens reale, quid ens rationis, qualiter ad inuicem conueniant, & differant, secundùm tamen quod entia suo modo dicuntur.

Verùm quia necessarium est, quòd in huiusmodi negotio exordiamur ab ente reali tanquam à fundamento entis rationis, & secundarum intentionum, considerandum (si tamen à notioribus est inchoandum, vt dicitur *primo Phys. tex.* 2.) quod licet ens reale dupliciter accipi possit; vno modo, vt quid analogum ad Deum, & ad alia, quæ sunt entia realia; alio modo, vt solùm commune analogum ad decem prædicamenta, & in huiusmodi analogis abstractio, quæ fieri solet, quamuis necessario semper includat analogata, nec non absq; illis, vt similibus proportionaliter, res abstracta possit intelligi: Veruntamen in huiusmodi proportionalibus; & ex quo etiam res significata nomine analogo abstrahit vt vnum secundùm proportionem, ergo vt planè intelligamus ens reale, vt quid abstractum modo proportionali à Deo, & ab alijs analogatis, priùs videbimus, qualiter tale ens reale se habeat ad Deum, & ad alia, quæ sunt entia realia secundùm proprias, & principales eorum naturas simpliciter, &

absq-

absolutè acceptas; hoc etenim pacto ascendendo à particularibus ad vniuersale facilè erit cognoscere naturam entis realis, etiam vt potest fundare suas proprietates, & passiones, vnum, verum, bonum, &c. iuxta præcepta Arist. 2. *Poster. cap.* 10. pro inuestiganda rerum diffinitione, magnanimitatis exemplo; & *cap.* 11. ad habendum propter quid proprietatis, exemplo ossis, sepionis, & spinæ.

## *Quæ sit essentia, & ratio formalis Dei.* *Cap. IV.*

QVOD pertinet ad Deum, semper balbutiendo, nec non diuina, vt possumus, resonando, infrascriptas ponimus cõclusiones, ex quibus comprobatis, essentiam, & rationem formalem Dei, saltem vtcunque, arguendam fore speramus.

Prima Conclusio est hæc. Deus est habens virtutem infinitam intensiuè .i. non limitatam ad aliquem gradum cuiuscunq; causalitatis, quæ in quocunq; ente quomodolibet excogitari possit, quod est dicere virtus Dei, vt est causa cęterorum entium, & causalitatum etiam, ita eminenter eleuatur supra res, & virtutes cuiuscunq; causalitatis, vtcunque excogitabiles, etiam si infinities in infinitum imaginarentur, quod ad causalitatem Dei comparatæ semper vt finitum ab infinito simpliciter, & absolutè deficiunt.

Probatur sic formata, & exposita conclusio. Deus est vltimus, & separatus finis omnium, quæ sunt in vniuerso; tum ex innumeris Arist. locis, tum maximè 12. *Metaph. tex.* 37. vbi legitur. *Mouet itaq; vt quod amatur. tex.* 38. *A tali ergo principio tum cælum, tum natura depẽdet. tex.* 52. *Non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est.* 2. *de anima tex.* 34. *Vt ipso semper, & diuino participent, secundum*

*quod possunt, omnia enim illud appetunt, & illius causa agūt, omnia. tex.* 35. *Quoniam igitur communicare non possunt, ipso semper, & diuino secundùm quod potest participare vnumquodq; sic communicat.* Immo dicitur 1. *Phys. tex.* 81. Quod materia prima, quæ est infima desiderat participare diuinum esse. 2. *Cæli tex.* 64. *Ei autem, quod quam optimè se habet nihil actione est opus, est enim ipsum id cuius gratia.* ergo Deus est vltimus, & separatus finis omnium, sed finis est causa causarum .i. causalitatis cuiuscunq; causæ, quibuscunq; modis, & rationibus sit imaginabilis dicta aliarum causarum causalitas, ergo à Deo velut à fine vniuersali, & separato, tanquam à bono totius naturæ, & vniuersi, omnes res, & omnium rerum causalitates dependēt, & si infinities in infinitū cumulentur, & ita dependent, quod primo, immo principalissimè semper cuiuscunq; naturæ maxima est in Deum propensio, vt vniuersale bonū, in quo superemi- nenter continetur omne bonum: secundario in bonum vniuersi, & vltimo in bonum propriū ex causa dilectionis naturalis, secundùm quam vnaquæque res semper plus diligit id, ad quod est, quàm illud, quod est ad aliud. ergo Deus est habens virtutem infinitam intensiuè.

Minor probatur primò in causalitatibus causarum principalium: secundò ascendēdo ad vniuersalissimam causam finalem confirmatur in Deo, iuxta doctrinam Arist. 2. *Phys. tex.* 38. In causis principalibus hoc pacto. In artibus & natura, non nisi per formam artis, & naturæ res est in actu. 2. *Phys. tex.* 12. sed forma non potest recipi in materia, nisi & ipsa moueatur ab agente; tum ex Arist. 2. *de generat. tex.* 53. tum quia nihil reducitur, & mouetur ad acquirendum actum, nisi per id, quod est actu, quia potentiæ solū est pati, & actus agere. 1. *de generat. tex.* 55. sed agens non agit, nisi moueatur à fine; tum ex Aristot. 2. *Phys. tex.* 77. & sequen-

quentibus;tum quia non aliter poteſt determinari agens ad hoc, vel illud agendum, quàm à fine, quia ſemper finis eſt certa ratio eorum, quæ ſunt ad finem; tum quia & propenſione naturæ agens habet certum terminum, in quem, velut in finem,ſuam dirigit operationem,quod eſt agere propter finem. ergo &c.

Idem in Deo probatur tali pacto. Particulares fines ſunt cauſæ cauſalitatis cauſarum omnium, quæ cauſant propter finem, ſecūdùm particulares rationes cauſandi. ergo etiam Deus, qui eſt omnium vniuerſaliſſimus finis, iuxta illud 12. *Metaph. tex.* 38. *ab hoc igitur principio dependet cælum, & natura.* eſt cauſa omnium cauſalitatum,etenim primū principium finale eſt ratio, & cauſa reliquorum finiū, ſicut oſtēditur exemplo architectonicæ artis, in ordine ad principales, & inferiores artes. 2. *Phyſ. tex.* 25.

Quod dicimus circa dependentiam cauſarum à fine,non ſolùm debet intelligi materialiter .ſ. de re, quæ eſt cauſa, quaſi quod finis ſit ſola cauſa materiæ, formæ, & efficientis, ſed formaliter cauſalitatis ipſorum, etenim volumus, quòd finis pręter cauſalitatem materialem,quam habet,ſit etiam cauſa, quòd materia ſubijciatur formæ, forma actuet materiam, & efficiens exerceat vnde principium motus, quod propriè,& formaliter eſt cauſare cauſalitates omnium cauſarum, tum quia & effectus,& actio cauſæ ſecundæ ad idem genus phyſicum reducuntur, ex Ariſt. qui voluit 2. *Phyſic. tex.* 39. quòd ſemper cauſæ ſint proportionales,& proportionaliter accipiantur; tum quia ſi finis ſolùm primo modo cauſaret, ex quo habito fine ceſſat illius cauſare. 1. *generat. tex.* 55. quia in actionibus, quæ in dies occurrunt ſemper materia præſupponitur actioni exercendæ, immo in quocunq; motu ſemper ſupponitur mobile. 8. *Phyſ. tex.* 4. iam finis non eſſet cauſa materiæ, nec etiam efficientis, quia ef-

ficiens non agit, nisi postquam est in actu, nec vltimo formæ, quia si quis diceret, quòd esse formæ præcedit causalitatem ipsius, saltem naturâ, in illo posteriori quando forma causaret, iam finis non esset causa, quia forma prius esset, & semper habita re, vt supra, cessat causalitas. Quòd si alius intelligeret, quòd forma,& causalitas idem essent, adhuc sequitur, quòd finis illo casu non causaret, si non esset etiam causalitatis causa; tum quia & ipsæ causalitates sunt effectus causæ finalis; immo etiam intentio finis, & electio mediorum eiusdem causæ finalis sunt effectus,quamuis,nec propriæ fiant causalitates, nec intentio, nec electio, tamen vtcũq; fiant semper alicuius gratia fiunt, & sic sunt effectus causæ finalis; tum vltimò, si causæ dependent à fine, solùm vt res,& materialiter,quia causalitates & ipsæ sunt res;ergo & à fine principali,& omnes fines,& causalitates oĩum,quæ imaginari possunt, ab vniuersalissimo, & vltimo oĩum rerũ fine,qui est Deus,causãtur.ergoDeus est oĩum,quæ imaginari possũt,vltimus finis,& causa,ergo virtutis infinitæ,&c.

Hic occurrunt quædam dubitãda; Primò, quomodo in Deo sit causa finalis, quia si finis non potest exercere propriam causalitatem, siue actum secundum finalizandi, nisi interueniente causalitate effectiua, eo quod secundæ actus causæ finalis habet essentialiter, quod sit esse propter hoc, quod est propter quod agens agat, & operetur; ergo sicut non videtur, quòd sit in ipso causalitas effectiua, iuxta illud *2.Cæli tex.64. ei quod,quã optimè se habet non est opus actione*, ergo non videtur etiam, quod sit finis cæterorum.

Secundo, finis cuius gratia dicitur, quòd Deus agat, vel est Deitas, & sui ipsius Bonitas, vel aliud extra Deum; non secundo, quia ipse non esset vltimus omnium finis, sicut in præsenti contendimus, sed illud extra excogitatum: si primo modo, tunc sic arguitur in Deo nulla potest imaginari

ginari dependentia necessaria in quolibet agente ad sustinendam veram causalitatem finis (si tamen finis debet esse vera, & realis causa causarum, vt dictum est) quod sic probatur. Deus est supremum ens: immo quicquid in Deo est, est ipsemet Deus, quia legitur 12. *Metaph. tex.* 39. *Quare vita, & duratio continua, & aeterna existit Deo, hoc enim est Deus.* 9. *moral. Nichom. cap.* 4. *Habet enim etiã nunc Deus bonum, sed cum sit ipse id, quodcunque est, &c.* ergo in Deo nulla adhuc causalitas effectiua, quia semper vera, & propria causa realis, realiter distinguitur ab eo, cuius est causa, ergo, vt supra, non erit finalis causa.

Praeterea tertio, esto, quod sit causa finalis omnium, quae sunt in vniuerso, iuxta illud iam dictum. *Ab hoc igitur principio dependet caelum, & natura*; tamen non infertur, quod sit vltimus finis omnium, quae in infinitum imaginari possunt, quia sicut ex tali principio infertur solũ, quod sit causa illorum, quae sunt in vniuerso, quia non datur infinitũ actu, 3. *Phys. tex.* 56. *& sequentibus*: ergo Deus non est finis omnium simpliciter, sicut requiritur ad virtutem infinitam, sed semper illius virtus est finita, & limitata iuxta limitationem coeli, & naturae, quae omnia sunt finita. ergo &c.

Ad primum Respondetur, quod in dicto *tex.* 2. *de Caelo*, Arist. solum excludit actionem, quae posset imaginari necessariam ad consequendum sui optimum statum, ad differentiam aliarum rerum, quae sunt extra Deum, sicut patet in assignatione, quam facit differentiae, quae cernitur inter alia, vt perfectionem sibi conuenientem attingere possint, qualis erat in proposito participatio diuinae Bonitatis.

Ad secundum, quando dicitur, Causalitas actiua realiter dependet, & distinguitur à causalitate finis, & tamen in Deo nulla est dependentia, nec realis distinctio. Resp. quòd si non assignatur aliqua actioni diuinae causa formaliter, &

pro-

propriè, sufficit tamen ratio agendi, vel causa virtualis in essendo, habente in re eminentissima fundamentum, sicut quādo dicitur, quòd immutabilitas perfecta Dei est ratio, & virtualis causa in essendo suæ æternitatis, eò quòd Arist. 1. *Poster. cap.* 2. non aliter voluit demonstrationem ex causis, nisi quatenus saltem forent rationes rei demonstrandæ, sicut contingit, quando demonstrantur proprietates de ente per solam rationem entis, quæ tamen, vt videbimus cap. 33. non potest realiter distingui, nec ab ente, nec ab illius proprietatibus.

Ad tertium Resp. quòd quocunq; res cadat, semper virtus Dei remanet infinita intensiuè, esto inquam, quòd non detur infinitum actu; tum quia audito nomine Dei nil maius excogitari potest, quod arguit suam bonitatem esse finem separatum, non solùm eorum, quæ continentur in vniuerso, sed si in infinitum contingeret esse multiplicandum, aliàs hic non esset verè Deus, sed ille, qui imaginaretur finis aliorum; tum etiam, quia aliæ res, quæ imaginarentur vltra iam contenta in vniuerso, etiam si infinita forent, vel adderentur vniuerso, iam præexistenti, vel alijs mundis in infinitum excogitatis; si primo modo, ergo finis illorum omnium esset Deus, quamuis infinitæ res additæ præsenti vniuerso, quia illarum omniū operationes essent ad vnum finem, sicut operationes omnium etiam indiuiduorū, quæ sunt infinita successiuè, vnum Deum respiciunt, tanquam vltimum finem, vel saltem absque necessitate aliqua Arist. 12. *Metaph.* excogitasset finem vltimum, & bonum separatum vniuersi, quia vniuersum tali modo auctum, vt fingitur, non respiceret Deum, tanquam vltimum finem; si secundo modo adhuc Deus omnium finis, tum quia dicitur 12. *Metaph. tex. vlt. Non est bonū pluralitas principatuum, vnus ergo princeps* 8. *Physic. tex.* 48. *Vnum autem magis,* quam

*quam multa. 12. Metaph. tex.49. Vnum ergo, tum ratione, tum numero primum mouens immobile ens est.* tum etiam, quia illa, quæ carent materia, omni etiam,& quacunq; potentia passiua, sicut verificatur de Deo,non multiplicantur numero. 12. *Metaph. tex.49.* ergo vel omnia haberent ordinem ad vnum Deũ,vel aliqua carerent ordine ad Deum, quod tamen est inconueniens, quia non apparet maior ratio, quòd de præsenti vniuerso detur vltimus finis separatus, sicut dicitur 12. *Metaph. tex.* 52. quàm de alijs sic in infinitum excogitatis. ergo &c.

Secundò principaliter probatur eadem conclusio,quòd Deus est virtutis infinitæ intensiuè, in hunc, qui sequitur, modum.

Omne mouens primò, per se, & æterno tempore mobile infinitum, est virtutis infinitæ intẽsiuè, sed Deus est mouens primò, per se, & æterno tempore mobile infinitum, ergo Deus est virtutis infinitæ intensiuè.

Dictum est in maiori, per se, quia implicat, quòd causæ per accidens sint virtutis infinitæ intensiuè, eò quòd legitur *6. Metaph. tex.* 5. *Et fabrum sanitatem fecisse accidens est, quoniam non est aptus ad sanitatem faciendam.*

Dictum est, primò, propter Intelligentiam, & Cœlum, quæ licet sint causæ omnium inferiorum,quæ sunt numero infinita, *ex Porphyrio c. de specie*, tamen quia non mouent cessante motione primæ Causæ. 8. *Phys. tex.* 33. non sunt virtutis infinitæ intensiuè, quia nihil potest dari, quod magis moueat, mouente virtute infinita intensiuè, & tamen *ibidem* 8. *Phys.* minus mouet secunda causa, qualis est Cœlum, & Intelligentia, quàm prima.

Dictum est, mobile infinitum, propter eandem Intelligentiam, quæ cum sit virtutis finitæ potest æterno tempore mouere cœlum, quia mobile finitum, eò quòd sufficit

ad

ad Cœli reiteratam motionem in infinitum, æquè moues, immobiliter idem maneat in mouendo. 8. *Phyſ. tex.* 85.

Dictum eſt, æterno tempore, quia 8. *Phyſ. tex.* 78. legitur. *Impoſſibile eſt vllum finitum mouere tempore infinito.*

Maior propoſitio clara; tum quia ſemper maior eſt virtus mouentis, quàm mobilis, etenim actio ſemper fundatur in victoria; tum quia non ſaluaretur debita proportio inter mouens, & mobile, de qua 7. *Phyſ. tex.* 35. eò quòd finiti ad infinitum nulla eſt proportio. 1. *Cœli tex.* 52. 64.

Minor probatur quoad ſingulas partes, & primò, quòd Deus ſit mouens æterno tempore; 8. *Phyſ. tex.* 78. 12. *Metaph. tex.* 4. dicitur, quod mouet æterno tempore, ergo &c. Immo quòd maximè facit ad præſens negotium. 8. *Phyſic. tex.* 46. 47. arguit Ariſtot. vnitatem, immobilitatem, &c. primi motoris, vt ſaluetur continua, & ſempiterna generatio, & corruptio indiuiduorum. ergo &c.

Deus mouet primò, quia in mouentibus, & motis, ex quò deueniendum eſt ad primum. 8. *Phyſic. tex.* 34. &c. ſi aliud à Deo eſſet primum mouens, tunc ille, qui poſitus fuiſſet Deus, non eſſet verè Deus, ſed illud, quod diceretur primum mouens, ſupra Deum, quia audito nomine Dei nil maius excogitari poteſt, & ſic ſemper illud ſupra Deum eſſet ſolus verè Deus, & primum mouens, quod manifeſtam inuoluit contradictionem.

Deus mouet per ſe, quia aliter non eſſet adhuc primus motor, eò quod omne per accidens dependet ab alio, quod eſt per ſe. 2. *Phyſ. tex.* 66. *xi. Metaph. c.* 2. *Summa* 3.

Vltimò, quòd motum à Deo primò, per ſe, & æterno tempore mouente ſit infinitum probatur hoc pacto.

Deus, quia primus motor, eſt cauſa continuæ, & ſempiternæ generationis. 8. *Phyſ. tex.* 47. ergo eſt cauſa omnium Indiuiduorũ, quæ in vniuerſo imaginari poſſunt, quia aliter

*Ariſt.*

*Arist. 8. Phys. tex.* 34. 12. *meta. tex.* 29. non probasset sufficienter, quòd in mouentibus, & motis deueniendum est ad vnum primum sed stante æternitate vniuersi, supra quam *Arist. 8. Phys. & 12. meta.* fundauit omnia, quæ ibidem demonstrantur de primo motore, Indiuidua sunt infinita, quia *secundo de Generatione tex.* 70. idē numero reparari non potest, ergo si simul accipiantur hæc omnia indiuidua sub ratione, qua formaliter sūt mobilia, quamuis numero infinita, illud, quod resultabit ex ijsdem simul acceptis, possibile est, quòd sit vnum continuum, etenim legitur 7. *Phys. tex.* 8. *Erit enim ex omnibus vnum ipsum totum, aut continuum, hoc igitur possibile accipiatur*; Et paulò inferius. *Refert autem nihil, finita sint, an infinita.* ergo vltimò si mobile, quod mouetur à Deo æterno tempore primo; & per se est dico mobile infinitum, iam virtus Dei est infinita intensiuè.

Duo possunt dici contra prædicta. primum, quòd perpetuitas motus, quæ arguit infinitatē primi motoris, est perpetuitas motus Cœli, vt maximè est videre *locis allegatis*, 8. *Phys. tex.* 78. 12. *meta. tex.* 41. quæ perpetuitas cum supponat mobile finitum, quia tale mobile est Cœlum, vt colligitur 8. *Phys. tex.* 64. 2. *de Generatione tex.* 56. 69. inde non videtur sufficienter probatum, quòd mobile perpetuo tempore motum à Deo sit taliter infinitum, quòd inferat virtutem infinitam intensiuè Dei, propter diuersam perpetuitatem motus Cœli à perpetuitate generationis, & corruptionis indiuiduorum.

Secundùm, & hoc maiorem facit difficultatem; Si virtus infinita moueret æterno tempore aliquod mobile infinitum, cuius infiniti partes simul essent actu, ita quòd tale mobile deberet transire aliquod signum secundùm omnes sui partes, vtique mouens requiret virtutem infinitam intensiuè; Sed si partes ipsius mobilis non simul essent, sed

ſibi inuicem ſuccederent, in tali caſu non videtur neceſſaria virtus infinita intenſiuè, quia partes quando ſunt ſimul, ſimul etiã mouentur, & ſic requiritur virtus infinita intẽſiuè, vt mouens in infinitis partibus ſimul influere poſſit, verum quando partes ſunt ſucceſſiuæ, vt indiuidua, quæ æterno tempore ſucceſſiuè generantur, & corrumpuntur, *ad mentem Ariſt.* non videtur neceſſaria infinitas intenſiua, Arguendo *ex Ariſt. 8. Phyſ. tex.* 83. hoc pacto. Si mouens ſit immobile, cum non mutetur, ſemper poterit mouere, quia ſine labore ſic eſt mouere; ergo ſicut Intelligentia, quamuis non ſit infinita intenſiuè, poteſt tamen ſucceſſiuè nouas, & infinitas circulationes facere, quia ſatis eſt quòd non mutetur, & quòd nec aliter, nec alio modo ſe habeat, ſimiliter, vt Deus ſit cauſa perpetuæ generationis, & ſit cauſa etiam, quòd ſint futura infinita indiuidua, quamuis eadem numero reparari non poſſint, *vt dicitur 2. de Generatione tex.* 70. ſatis tamen videtur eſſe, quòd habeat virtutem finitam, quia cum in mouendo moueat ſine labore, & ſic idem immobiliter maneat, eadem etiam virtute finita, qua mouet vnum indiuiduum ſemper ſucceſſiuè mouebit omnia, eo quòd nullum ex indiuiduis, quæ generantur, habet naturam, & entitatem infinitam. quare, nec illud quod mouetur á primo motore, videtur quod ſit infinitum mobile.

Contra id, quod primò dubitatum eſt, tale formatur argumentum. Illa perpetuitas eſt accipienda pro medio ad inferendam infinitatem Dei, quæ eſt magis proxima ratio in Deo, quatenus primus motor; tum quia 2. *Phyſ. tex.* 38. in omnibus ſemper eſt quærenda ſumma cauſa, tum quia 1. *Poſteriorum Cap.* 14. In quibus medium extra ponitur, vt in exemplo parietis non reſpirantis, quia non animal, non habetur propter quid. Sed perpetua generatio, & corruptio indiuiduorum eſt magis proximà cauſa inferens virtutem

tutem infinitam Dei, quatenus primus motor, quam perpetuitas motus Cœli; Tum quia si accipiatur sola, atq; præcisa ratio perpetuitatis motus cęli, eo quòd sic prouenit etiam à mouẽte immobili; vt dicitur 8. *Phys. tex.* 85. non potest talis perpetuitas inferre formaliter infinitatem Dei, nisi limitetur, contrahatur, vel continuetur cum perpetuitate generationis, sicut nec negatio animalitatis potest inferre negationem respirationis in pariete, nisi contrahatur per negationem animalitatis habentis pulmonem, etenim perpetuitas motus cœli ordinatur ad generationem perpetuam indiuiduorum, tamquam ad finem, & illius propter quid; non autem generatio perpetua indiuiduorum ad perpetuitatem motus cœli, vt constat: tum ex rationibus terminorum, *& 2. de generatione tex.* 58. Tũ quia Arist. post probatam vnitatem Dei ex sola, & simplici perpetua generatione. 8. *Phys. tex.* 47. infert perpetuitatem mobilis. *tex.* 53. ex perpetuitate mouentis, & successiuè arguit in sequentibus, Cœlum esse illud mobile, quod perpetuo tempore debet moueri, vt saluetur perpetua generatio, & corruptio indiuiduorum. ergo ex infinita multitudine indiuiduorum quæ sequuntur ad perpetuam generationem, & corruptionem eorumdem, arguenda est infinitas Dei potius, quam ex præcisa ratione perpetuitatis motus cœli. Ergo ad difficultatem primò loco factam, vel est dicendũ, quod *Arist. illo tex.* 78. intendat de æternitate motus indiuiduorum, quę perpetuo tempore generãtur, & corrumpuntur, vel saltem, si magis placet, quod loquatur de æternitate motus cœli, illud sit quatenus perpetuitas motus cęli accipitur continuata cum perpetuitate generationis indiuiduorum, sic arguendo.

Ita, & taliter mouet cœlum æterno tempore, quod inde sequitur perpetua generatio indiuiduorum, ergo virtutis in-

finitæ, quia nulla virtus finita potest mouere primò, & per se tali motu æterno, quod inde sequatur perpetua generatio indiuiduorum. quod si sic, ergo à primo ad vltimum, quidquid sit de corpore finito cœli, satis est quod mobile aggregatum ex infinitis indiuiduis sit mobile infinitum iuxta continuitatem, & vnitatem possibilem fieri ex omnibus mobilibus, positam, & acceptatã *ab Arist. vt supra 7. Phys. tex.8. Ergo &c.*

Contra id, quod secundò dubitatum est arguitur dupliciter primo, & probatur, quod Deus est virtutis infinitæ intensiuè; tum ex eo, quod est perpetua, & infinita generatio indiuiduorum, quæ dependent à Deo; tum etiam quia idem numero reparari non potest; quidquid sit postmodum de successiua existentia illorum.

Primo, quia indiuidua, quomodolibet excogitata, imitantur, & participant perfectiones Dei, iuxta illud 1. *Cœli tex.* 100. *A primo quidem principio communicatum est esse, & viuere omnibus, ijs quidem clarius, ijs verò obscurius*: Et iuxta illud 4. *meta. tex.* 18. *Illud est verius, quod primo principio propinquius*, ergo supposita æternitate vniuersi, quia indiuidua sũt futura numero infinita, & idem numero reparari non potest. 2. *generat. tex.* 70. semper sequitur, quòd Dei essentia sit actu infinitis modis imitabilis, & participabilis ab infinitis indiuiduis, non solum quantum ad prædicata specialia, sed etiam quantum ad rationes transcendentales. quatenus scilicet talia indiuidua entia perfecta &c. quia vt supra communicatum est, esse & viuere ijs clarius, ijs obscurius, secundum quòd propinquiora primo Vero. Modò, quia Deus est omninò immutabilis 8. *Phys. tex.* 85. 12. *meta. tex.* 34. adhuc sequitur, quòd perfectiones imitabiles, & participabiles semper fuerint in Deo; ergo si mobile infinitum, cuius partes sint permanentes

tes

tes requirit virtutem infinitam motoris, mobile etiam, cuius partes sunt successiuæ, requirit motoris virtutem infinitam intensiuè propter entitates indiuiduorum, non solum numero infinitas, sed etiam infinitis numero modis participatas ab *ijsdem* indiuiduis numero infinitis.

Dico infinitis numero modis participatas, quia si entitates infinitæ indiuiduorum essent eiusdem rationis in omnibus, sub eadem specie, & non infinitis numero modis participatæ nulla necessitas virtutis infinitæ intensiuè in motore, vt est de circulationibus Cœli, quia cum sint infinitæ numero solum secundum rationem, etenim motus Cœli est maximè vnus numero, quia vniformis, & regularis 8. *Phys. t.* 54. inde nulla necessitas, quod Intelligentia mouens Cœlum sit virtutis infinitæ intensiuè.

Secũdò, si perfectiones Dei infinitis numero modis participabiles, & imitabiles ab indiuiduis nõ arguerẽt virtutẽ infinitam Dei intensiuè, quamuis indiuidua sint successiua, ergo virtus, & potentia Dei non esset inconsumabilis, & inexhauribilis, etenim sic posset argui iuxta demonstrationem *Aristotelis* 8. *Phys. T.* 80. Virtus finita in magnitudine finita, per additam magnitudinem, quamuis finitam mensurabit, & adæquabit aliam virtutem finitam, quamuis in magnitudine infinita, ergo etiam perfectiones indiuiduorum quamuis finitæ per auctam illorum multitudinem poterunt adæquare potentiam, & virtutem Dei vbicunque non sit infinita intensiuè, quod tamen ostenditur falsum tali argumento. Si infinita numero indiuidua accipiantur, siuè omnia simul, siuè vnum æquiualens omnibus, vbicunque sint participantia, numquam possunt æquiualere ei, quod est tale per essentiam, vt est de omnibus hominibus comparatis, cum homine Platonico; sed omnia indiuidua semper cõparãtur, vt entia participãtia ad Deum vt ens per essen-

essentiã, quia cum legatur 12. *metaph. t. 39. Quare vita, & duratio continua, & æterna existit Deo, hoc enim Deus. 9. Moralium Nicomac. C. 4. habet enim & nunc Deus bonum, sed cum sit ipse, id, quodcunque est.* iam semper Deus ad mentem Aristo. est ens per essentiam, Indiuiduorum autẽ aliud à Deo, quia imitantur, & participant perfectiones Dei *ex supradicto loco Arist. 1. Cœli t. 100. 4. meta. t. 18.* nullum dico ex indiuiduis est ens per essentiam. ergo, &c.

Secunda Conclusio est hæc. In Deo non est compositio generis, & differentiæ: hæc conclusio infertur ex præcedenti tali pacto. Primò, prædicamenta constituuntur in genere generalissimo per illud, ex quo fiunt diuersæ partes entis; tum quia non esset intelligibilis illorum distinctio ab inuicem, ex quo in ente conueniunt, nisi ponerẽtur diuersæ partes entis, secundum quas aliquid in prædicamentis includeretur, quod non in ratione formali entis; tum quia *ex Porphyrio cap. de specie*, inferius comparatur vt pars ad suum superius; tum quia *Arist. 5. Metaph. tex. 14.* diuidit ens in prædicamenta, secundum quod diuersimodè significatur aliquod esse, vel substantia, vel quantitas, &c. quod nil aliud est, quam esse aliquam partem entis; ergo prædicamenta habent operationem limitatam iuxta limitatam naturam, mediante qua fiunt partes entis, quia operatio demonstrat substantiam, & esse rei; etenim res non operatur, nisi secundum quod est ens, & semper operatio sequitur propriam naturam, ergo nulla res in prædicamentis, vel in genere est virtutis infinitæ, quia operationes non diuersificantur, nisi per diuersas potentias, quod tamen repugnat infinitæ virtuti, iam supra in Deo confirmatæ.

Secundò, Deus non est in generibus accidentis, quia talia dicunt essentialem dependentiam à substantia, eo quod accidentis esse est inesse, & inde imperfectionem, quæ repu-

gnat

gnat virtuti infinitæ, vt constat: nec est in genere substãtiæ, quia substantiæ vera proprietas est, quod vna numero manens sit susceptibilis cõtrariorum, *ex Arist. in prædicamentis*, ad quam, vt constat necessariò sequitur mutatio, & potentia, quæ tamen in Deo cadere non possunt; mutatio, quia 8. *Phys. tex.* 45. *& sequentibus*, probatur quod est penitus immobilis; potentia etiam (de passiua loquor, quæ sola est necessaria, vt recipiat contraria) quia talis potentia passiua semper denotat imperfectionem, vel saltem diminutionem perfectionis, eo quod solum additur substantiæ, vt sit ratio secũdum quam eadem substantia ab accidente perficiatur, sicut diaphaneitas pro lumine recipiendo, ergo, &c.

Tertiò, Generalissima sũt quasi prima principia illorum, quæ in prædicamentis ponuntur; *Porphyr. cap. de specie*; rei infinitę nullum est imaginabile principium, quia nõ amplius infinitum, ergo, Deus quia virtutis infinitæ, & sic à nullo dependet principio, non est in genere aliquo, ergo, &c.

Quarto, Prædicamẽta sunt impermixta 1. *poster. cap.* 14. ergo, vel non est in genere, & sic habetur intentum, vel non est virtutis infinitæ continens omnes perfectiones imaginabiles, quia quodlibet genus dicit certum, & limitatum gradum entis; ergo, &c.

Tertia Conclusio. Deus est sua essentia, & suum esse; Est sua essentia primò hoc pacto. Intelligẽtia Cæli est in prædicamento substantiæ, vt facile est videre 5. *Metaph. tex.* 15. 7. *tex.* 2. 8. *tex.* 1. 12. *tex.* 3. *&* 41. Eadem intelligentia est sua essentia 7. *Metaph. tex.* 41. 8. *tex.* 16. 3. *de anima tex.* 9. ergo multo magis Deus, qui est extra genus, per præcedentem conclusionem, est sua essentia.

Secundò, & est confirmatio præcedentis rationis, distinctio inter rem, & essentiam non oritur nisi quia principia indiuiduantia addũt aliquod reale superioribus 3. *de anima*

*tex.*

*tex. 9. 7. Met. tex. 41.* Sed in Deo nulla differentia est imaginabilis, quæ secundum rem addatur communi, & superiori conceptui Dei, quia per præcedentem cõclusionem est extra omne genus, ergo, &c.

Deus est, etiam suum esse. Primò non est in genere per præcedentem conclusionem, immo est sua essentia per primam partem conclusionis præsentis, ergo non habet compositionem actus, & potentiæ non modo illam, quæ nascitur ex distinctione reali inter genus, & differentiam (vbicumq; tamen accipiantur in ordine ad actualem existentiam, quidquid sit de ijsdem quo ad intrinseca tantum) verum nec illam, quæ oritur inter speciem, & indiuiduum, nec aliam, quam fortè quis excogitare posset inter essentiam, & existentiam; quia si Deus non est in genere, sed est sua essentia; ergo non est aliquid rei, nec quid incompletum, sicut illa, quæ propter naturam generis contrahuntur ad certum gradum entis, ergo nec aliquam admittit potentiam passiuam in propria essentia, quę debeat compleri ex receptione existentiæ per ipsam habendæ, sicut requiritur in omni compositione, quæ sit per se, *ex dictis 2. de anima tex. 7.* ergo Deus est suum esse.

Secundò, si esse includitur in conceptu quidditatiuo Dei, ita quod esse prædicetur in primo modo, & essentialiter de Deo, ergo est essentialiter suum esse; quod principaliter intendimus si non includitur in tali conceptu quidditatiuo, ergo illius essentia est limitata ad certam naturam, & gradum entis, ergo non eleuatur ad esse simpliciter, & absolutè, ergo est in genere, quia talia sic contracta, & limitata pertinẽt ad aliquam partem entis, & in prædicamento ponuntur, contra præcedentem conclusionem, ergo &c.

Ratio formalis, & essentia Dei, quam in præsenti quærimus, & quæ à nobis vltimo, ex iam dictis, probanda venit, est

est talis; Deus est suum esse, quod sic probatur.

Illud, quod principaliter pertinet ad quod quid est rei, est de intrinseca ratione formali, cuius est quod quid est: sed illud, quod dicitur suũ esse, pertinet ad quod quid est Dei habentis tale esse, ergo suum esse est de ratione formali Dei. Maior clara, quia (vt est tritissimum *in arte posterioristica*) non aliter datur quid rei, nisi vt significetur, & manifestetur ratio formalis rei. Minor adhuc manifesta, quia, vt supra, etiam *secundum Aristotelem*, quidquid est in Deo, est Deus.

Tũc vltra; omnia prędicata, quę pertinẽt ad quid Dei, saltem secundum nostrum concipiendi modum, fundantur in esse Dei; tum quia esse, si tamen formaliter, & secundum se accipiatur (vt nos in præsenti) nullum modum essendi determinat, sed ad omnia, quæ de re affirmari possunt semper indeterminatè se habet: tum quia ens est vltima, & omnium actualitatum actualitas formalissima, etiam in alijs à Deo, vt in sequentibus manifestandum restat: tum quia non aliũde habent omnia, quæ de Deo affirmari possunt, quod sint de intrinseca ratione Dei, nisi quia Deus est suum esse: Tum vltimo, quia ex omnium sententia nomen, qui est, omnia in se comprehendit, veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum, ergo si ratio formalis cuiuscumq; rei ex principalissima, & vltima actualitate rei est desumenda, iam ratio formalis, & intrinseca ex omnibus, quæ de Deo à nobis formari possunt, erit quod sit suum esse, ergo, &c.

*Quæ sint prædicata, quæ dicuntur quidditatiuè, & essentialiter de substantia finita, & limitata.*

*Cap. V.*

POST habitam considerationem Dei, vt primum analogatum comparatum ad omnia, quæ continentur in Vniuerso. Sequitur, quod videamus, quid sit ratio, & essentia substantiæ, & accidentis, secūdum proprias naturas ipsorum, simpliciter inquam, & absolutè; sub ipsis enim omnia in Vniuerso comprehenduntur, quæque sint, & imaginentur existere, loquor de realibus iuxtà diuisionem eorum, quæ sunt, factam ab *Arist. in antepradicamentis*, verum enim verò quia duplex consideratio substantiæ occurrit; altera quæ explicet rationem formalem respicientem solam essentiam, & quiditatem substantiæ, altera quæ respiciat existentiam ab essentia distinctam, & hoc maximè quia ad differentiam Dei essentia nullius rei finitæ, & limitatæ, est idem quod existentia. De illis, quæ pertinent ad essentiam in præsenti dicemus. De illis, quæ ad existentiam in sequenti capite verba faciemus.

Dupliciter etiam, quia possunt considerari ea, quæ pertinent ad essentiam substantiæ, primò simpliciter, & absolutè, nullo habito respectu ad aliud quodcunquè sit illud tale, siuè prædi catum essentiale, de substantia particulari formatum, siuè alia res, quæ sit accidens cuiuscunque prædicamenti, secundò quatenus eadem substãtia potest comparari, & ad vniuersalia, quæ continentur in substantia, & ad alia nouem prædicamenta. Indè conclusiones proprias ad vtranque partem ponimus, quarum prima respicit acceptionem simplicem, & absolutam substantiæ. secūda in ordine ad aliud, tum quia quodlibet absolutum essentialiter, est prius quo-

cumq;

cumq; respectiuo, tùm quia substantia ex illis, quæ primo & principaliter sibi conueniunt, secundum se simpliciter, & absolutè radicaliter, & quasi secundariò fundat quæcunq; eidem conueniunt in ordine ad aliud.

Conclusio, quam ponimus spectantem ad solam essentiam, & pro excludenda illius existentia, necnon acceptam secundùm sui rationem absolutam, & quatenus etiam se extendit ad omnem substantiam vniuersalem, & particularem est hæc, substantia est ens per se existens.

Pro intelligentia, antequam probetur conclusio, primò considerandum, quòd de omni substantia tū vniuersali, tum particulari etiam volumus, quòd verificetur conclusio, vbicunque tamen habeat esse completum, & excludantur differentiæ principia, partes, &c. non nisi reductiuè in prædicamento substantiæ recepta, talia namq; sicut reductiuè sunt in genere substantiæ, sic etiam participant eiusdem substantiæ rationem formalem, ità, & taliter, quòd à substantia, vt est prima pars entium quæ sunt in vniuerso, & ab accidente facilè abstrahi, potest ratio formalis entis, vt quid commune omnibus realibus, & primis Intentionibus.

Considerandum præterea, quòd esse ens per se existens, idem significans, quod non per aliud, dupliciter potest accipi, primò, vt idem, quod nō in alio subiecto inhęsionis, à quo mendicet existentiam, talis res existens per se, iuxtà cōditiones requisitas ad tale esse in subiecto, vt legitur *in ante prædicamentis*; altero modo, quod non in alio, vt superius in inferiori, quod *ibidem* significatur ab Arist. per dici de subiecto, modo quia inter hæc duo talis cernitur differētia, quod esse tale secundo modo, idest nō in aliquo inferiori conuenit solum primæ substantiæ, quæ est particularis, vt de se patet, & in sermone habendo etiam maximè constabit, esse ta-

le autem primo modo conuenit, & primis, & secundis substātijs etenim secūdus modus p se addit primo modo, velut quid particulare, & inferius ad suum vniuersale, & superius, iam sequitur, quod ens per se existens, si ad essentiam, & quiditatem pertinere debet, intelligatur solum, & excludit subiectum inhęsionis, quia sola hęc acceptio est cōmunis tàm primis, quàm secundis substantijs, sicut requiritur pro habenda ratione formali, quę sit communis, & adæquata omnibus substantijs; Dixi hanc solam acceptionem esse communem omnibus substantijs, etenim *Arist. 1. posteriorum C. de per se* explicando tertium modum per se, scilicet per se existendi, voluit illud solum esse verè tale, quod est substantia, quæ significat hoc aliquid, & non de subiecto aliquo dicitur.

Considerandum vltimò, quod in præsenti non accipitur esse per se existens, vt dicit actualem existentiam, quia, vt supra, esse, & existentia non potest ingredi rationem, & essentiam substantiæ; sed in hoc sensu, quod quiditati, & essentiæ substantiæ conueniat non habere esse in subiecto .i. quod sit talis quiditas, quod illi conueniat non esse in subiecto.

Modò probatur cōclusio proposita *primò. Arist. C. de substantia* definit primā substantiā duplici negatione, subiecti scilicet inhęsionis, & subiecti inferioris in linea prædicamētali, sed quęlibet negatio fundatur in affirmatione, tum quia affirmatio est prior negatione, *primò Periherm. c. 4.* & nihil potest esse prius affirmatione, quæ constituit essentiam rei, tùm quia si detur difinitio hominis per negationem, & dicatur, homo non est irrationalis, essentialis difinitio non erit, illa negatio, quia nihil constituitur, per id quod non est, sed affirmatio rationalitatis, ad quam sequitur negatio irrationalitatis, ergo id, quod est de essentia primæ substantiæ, erit affir-

affirmatio latens, sub duplici negatione proposita, & significata illis verbis, esse ens per se, idest absq; aliquo subiecto inhæsionis, & inferioris, de quo prædicetur superius, ergo secluso subiecto inferiori, de quo substantia vniuersalis prædicatur, & quod complet rationem primæ substantiæ sequitur, quòd si negatio in subiecto inhæsionis solùm est communis omnibus substantijs, vt dicitur *in C. de substantia*, sequitur dico, quòd affirmatio latens sub tali negatione, tanquam illius fundamentũ sit de intrinseca ratione, & essentiali substantiæ, vt se extendit ad primam, & secundam substantiam, sicut maximè quærimus in præsenti.

Secundò, proprietabiliùs etiam demonstrantur latentes rationes subiecti, *vt in libris posteriorum*, sed proprietas, quæ primò enimeratur ab Aristo. communis omnibus substantijs, vt legitur *in C. de substantia*, est formalis negatio essendi in subiecto, ergo id, quod proximè fũdat negationem essendi in subiecto, est de intrinseca, & essentiali quiditate substantiæ, sed tale fundamentum est per se existere modo exposito, eò quòd non dicitur, quòd per se res existat, quia non est in subiecto, sed quòd non est in subiecto, quia per se existit, ergo per se existere est de ratione intrinseca substantiæ.

Verum quis dicere posset, sicut non esse in subiecto non est vera proprietas substantiæ, quia conuenit differentijs, vt ibi legitur apud Aristotelem, ergo nec esse per se existens, quod dicitur proximum fundamentum dictæ proprietatis, erit de intrinseca ratione substantiæ, quia proprietates non nisi ipsorum adæquata fundamenta demonstrant.

Respondetur, quòd per se existere dupliciter accipitur, vno modo vt propriè conuenit rebus per se existentibus, quales sunt illæ, quæ propriè sunt in prædicamento substantiæ primæ, s. & secũdæ, alio modo vt conuenit rebus vtcũq;

par-

participantibus de tali ratione; quales sunt illæ, quas diximus, quòd reducuntur ad genus substantiæ. Illa ergo entitas positiua, quæ fundat negationem essendi in subiecto, & est de intrinseca ratione formali substantiæ, est illa sola, quę constituit substantiam completam existentem in linea prædicamentali, quare non dicimus, quòd sicut negatio in subiecto aliqualiter verificatur de differentijs, & partibus substantiæ, fundamentum talis negationis, etiam non sit de intrinseca ratione formali substantiæ communissimè tamen acceptum.

Ad difficultatem, qui fieri potest hoc, si proprietates non nisi adęquata fũdamenta demonstrant? Respondetur, quòd proprietates demonstrant quidem adæquata fũdamenta, sed pręter hoc inferunt etiam inadęquata vniuersalia in inferioribus contenta, vt risibilitas, demonstrando hominem à posteriori, simul infert animal, etiamsi solitariè accipiatur, tum quia intrinsecè, vt pars quiditatis continetur in ratione formali hominis, tum quia vt dicitur 2. *perihermenias C.* 2. à coniunctis ad diuisa valet consequentia, quando non componuntur secundum accidens, nec inuoluunt negationem.

Quod pertinet ad substantiam acceptam secundo modo, in ordine .s. ad omnia alia, quæ continentur in vniuerso, & sunt extra Deum; hanc secundam conclusionem ponimus comprobandam.

Substantia ita omnibus iam dictis substare dicitur, quod omnia alia ab ipsa tamquam à causa dependent, & in fieri, & conseruari simul.

Præsens conclusio antequam probetur, quia indiget explicatione, ideò sciendum, quòd sermo in conclusione non est de substantia in communi; vt diuiditur in primam, & secundam, quia sic implicantia inuolueretur, vt de se patet,

sed

ſed de prima ſolũ, quia ipſa ſola poteſt eſſe prima cauſa ſubſtandi omnibus alijs, quia ſi de quacunque ratione ſubſtādi ſiuè prima, ſiuè proxima intelligenda foret dicta cōcluſio, certè prima, & ſecunda ſubſtantia ſunt cauſa, quòd omnia accidentia exiſtant, & illorum exiſtentia conſeruetur, eò quòd legitur *capite de ſubſtantia; ſicut primæ ſubſtantiæ ad omnia alia ſe habent; ita primarum ſubſtantiarum genera, & ſpecies ad omnia reliqua ſe habent*. & tamen ſola prima ſubſtantia eſt prima ratio exiſtentiæ in omnibus, etenim ibi adhuc legitur. *Non ergo exiſtentibus primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe; & 7. Metaph. tex. 45.* Ariſtoteles arguit Platonem ponentem vniuerſalia ſeparata, non alia de cauſa, niſi quia ibi dat intelligere, quòd ſecunda ſubſtantia non poteſt eſſe prima radix pro exiſtentia cæterorum.

Secundò conſiderandum, quòd ſub omnibus alijs comprehenduntur non ſolum illa, quæ ſunt completa entia, & directè ſunt in prædicamento, vt ſubſtantiæ, & accidentia, ſed partes etiã, & principia differentię, & omnia quę vtcũq; reducuntur in prędicamẽto, vna excepta Anima intellectiua, quę cum ſit forma informans, non eſt quidem prima ſubſtantia, de qua in præſenti, quia illi competit in coniuncto, vt ſit illud, quo prima ſubſtantia exiſtit, tamen quia penitus immaterialis, illi primò etiam conuenit exiſtere, vt quod, & compoſito per ipſam, & ſic redditur etiam propter eamdem immaterialitatem non modò capax ad ſuſtinẽda accidentia ſpiritualia, intellectiuam, ſ. potentiam, &c. ſicut faciunt Intelligentiæ, quę propriè ſunt in prędicamento, & primę ſubſtantię, ſed quod magis eſt per ſe capax exiſtere perpetuò tempore poſt ſeparationem à corpore.

Tertiò obſeruandum, quòd hæc prima ſubſtantia, quia accipitur dupliciter, vno modo, vt continens omnes differen-

rentias superiores à prima potentia vsq; ad vltimum actum, etiam indiuidualem; alio modo quatenus vltra iam dicta addit etiam illam entitatem positiuam realiter distinctam ab ipsa substantia iam indiuiduata per differentiam singularem, & significat vltimum terminum constituentem substantiam particularem, & indiuiduam sub tali dispositione, quod est proxime potens recipere actualem existentiam, illam dico, quæ si sit communis omnibus substantijs particularibus, dicitur Hypostasis, & definitur non indeterminatæ substantiæ conceptio; quod si propria solum substantijs habentibus intellectum dicitur persona, & definitur, Rationalis naturæ indiuidua substantia; In præsenti ergo est sermo solum de prima substantia, secundo modo accepta, quia si non compleatur tali termino reali, quamuis substantia, tamen non est capax propriæ existentiæ, sicut procedente sermone magis constabit, & inde ex defectu propriæ existentiæ, nec ipsa potest causare, & fundare existentiam aliarum rerum, qualem intendimus in conclusione proposita.

Quartò considerandum, quòd prima substantia ad duo potest comparari, primò ad secundas substantias, includendo in hoc membro formas etiam substantiales, excepta semper intellectiua, & includendo etiam omnia alia, quæcunque principia, partes, &c. secundò potest comparari ad accidentia; Si primo modo, intendimus probare, quòd prima substantia est solum fundamentum secundæ quantùm ad actualem existentiam, quia semper superiora sunt de essentia inferiorum, sicut forma, & materia compositorum, non è conuerso. Si secundo modo in ordine ad accidentia; intelligimus, quòd prima substantia sit radix, & fundamentum vtroq; modo, essentiæ .s. & existentię, existentiæ tamen simpliciter, essentiæ verò quantùm ad differentias, siuè vniuer-

uersales, siuè particulares, diuersa diuersis applicando, etenim vniuersales causæ vniuersalibus effectibus, particulares particularibus semper sunt comparandæ. ex Arist. 2. *Phys. tex. 39.*

Probatur itaq; conclusio quantum ad actualem existentiam secundarum substantiarum, & primo genera predicantur de speciebus essentialiter, species de indiuiduis, & vniuersaliter superiora de inferioribus. *Porphyr. in Prædicabilibus*, ergo Petrus essentialiter, & realiter est illud animal, & homo, quod est genus, & species, quia si aliud esset animal, & homo in Petro ab animali, & homine, quod est genus, & species, iam vel non esset essentiale prædicatum de ipso, quia nullum essentiale prædicatum potest dari, quod sit extrinsecum à suo subiecto, vel non esset genus, & species, quę prædicarentur de Petro, & sic duplex animal, aliud, quod esset genus separatum ab indiuiduis, aliud in Petro, quod si aliud, vel ambo hęc animalia sunt singularia, & sic habetur intentum, quod vniuersalia non existunt nisi in singularibus, vel vnum vniuersale, & aliud particulare, & sic per superiorem regulam Porphyrij, vniuersale animal est prædicatum essentiale intrinsecum huius animalis, ergo nec est aliud ab hoc animali, vel processus in infinitum, vt constat, ergo nullum vniuersale est capax existentiæ realis in actu exercito, nisi illam recipiat à particularibus, quæ sunt subiecta primo receptiua talis existentiæ, ergo existentia secundarum substantiarum dependet, & causatur à prima substantia modo supra posito. Quod dictum est de primis in ordine ad secundam substantiam debet intelligi de omnibus particularibus in ordine ad sua superiora, & vniuersalia realia.

Secundò genera, & differentiæ comparantur ad species vt actus, & potentia essentialiter cōstituentes speciem, tum ex communi sententia, tum quia nec genus prædicaretur in

 quid,

quid, nec differentia in quale quid, sed quælibet potentia mendicat existere ab actu, quia, *quod propriè est, actus est 2. de anima t.7.* ergo genus mẽdicat existere ab ipsis differentijs intrinsecè constituentibus speciem, sed species sunt ex se ipsis indiuiduæ absque alio contrahente *7. Meta. t. 41. 3. de anima t.9.* vt in separatis, in habentibus autem materiam, quia & ipsæ contrahuntur per differentias indiuiduales, ergo comparantur ad indiuidua, vt actus, & potentia, de quibus etiam prædicãtur in quid, ergo nec species, nec illorum genera, & differentiæ existunt separatæ, sed mendicant esse in singularibus; quæ singularia sunt primò existentia, ergo etiam per particularia communicatur existentia vniuersalibus, quia semper, quod propriè est, actus est.

Hic cadit maxima difficultas, ex cuius solutione habetur completa cognitio veritatis propositæ. Arguitur itaq; sic Genera, & differentię sunt principia essentialiter constituentia speciem *ex Porphyrio*, exemplo æris, & figuræ in ordine ad statuã, sed nulla causa potest exercere suam actualem causalitatem nisi existat (excepto tamen fine) vt est vulgare in Philosophia; ergo priùs debet conuenire existentia generi, & differentiæ, quam speciei constitutæ per talia principia, ergo genera non mendicant existentiam ab inferioribus, ergo nec á prima substantia, quia vt supra, species, & differentiæ indiuiduales sunt principia constituentia indiuiduum, sicut genera, & differentię superiores ipsam speciem, ergo, &c.

Respondetur; quod existentia dupliciter consideratur, vno modo, vt effectus formalis formę, alio modo vt actus receptus in propria potentia. Primo modo intelligitur illud, quod propriè est, actus est. Secũdo modo intelligitur aliud, semper primo sit illud, cui primo conuenit esse, quia fieri primo terminatur ad esse, ergo ad propositum existentia ad

duo

duo comparatur ad formam, cuius est effectus formalis, & ad indiuiduũ, quod primo fit, cuius indiuidui est actus primo, quia vt dicitur 1. *Meta. In principio generationes sunt primò circà singularia, per accidens circa vniuersalia*; ergo forma est prior existentia, quia ipsius causa formalis, & existẽtia est prior forma, quia est actus in ipsa forma receptus, verum quia non potest intelligi effectus in actu, qui à pluribus essentialiter dependet, nisi in eodem instãti sint omnes causæ, eo quod dicitur 2. *Poster. C.* 12. quod si poneretur causatum sine causa, iam sequitur, quod illius esset alia causa, ergo si loquamur de causalitatibus illarum, iam sequitur quod forma causet existentiam, & existentia formam, forma, vt principium formale, quia hoc pacto existentia est effectus formalis formæ, & sic forma est prior, existentia autẽ, vt actus per quem forma existit, quamuis hic actus existẽtiç primo conueniat indiuiduo, quia, vt dictum est indiuiduum est illud, quod primo fit, & sic existentia est prior forma; Verum quando dicitur si forma non potest causare quando non existit; ergo saltem prius natura debet existere, antequam causet, ergo existentia facit formã existentem, priusquam sit indiuiduum, quia forma est causa, & principium indiuidui, ergo etiam genus, & differentia, quç desumũtur à materia, & forma prius existunt, antequam sit indiuiduum, ergo secundæ substantiæ non mendicant existere à prima substantia.

Respondetur quòd causç sunt in duplici genere, aliæ sibi inuicem causæ, *ex Aristo.* 2. *Phys. t.* 30. 5. *Meta. t.* 2. aliç nequaquam, vt principale agens in ordine ad instrumentum 8. *Phys. t.* 34. *& sequentibus* in causis secundo modo necesse est, quod saltem dentur duo instantia naturç, in quorum vno est sola causa, in altero effectus. In causis primo modo, nõ dantur hçc duo instantia distincta, immò repugnat, quod

dentur, qua etenim ratione vna causa haberet instans, in quo existendo, precederet aliud instans, in quo existeret altera tamquam dependens ab illa, e conuerso etiam altera causa haberet instans, in quo precederet aliam causam, quia non est maior ratio de vna causa, quam de altera, ex quo sibi inuicem causę, & sic istę causę essent, & non essent, quod nec etiam fingi potest, nisi talia diuersa instantia concipiantur, non vt in quibus, sed vt à quibus, quod quidem est verissimum, quia illa dictio à quibus dicit solam prioritatem simplicis, & purę causalitatis, quare semper sequitur, quod forma causet existentiam, quando est, similiter & differentia, s. in eodem instanti, quo sunt omnes sibi inuicem causę, & actu exercent proprias causalitates, verum ex hoc non tollitur, quod indiuiduum sit illud, à quo dependet existentia superiorum omnium.

Eadem conclusio probatur in accidentibus, spectat illorum essentia, & existentia simul tam in fieri, quàm in conseruari.

Primò Arist. 2 *Meta. t.* 14. ostendit, quòd quelibet scientia querit principia, & causas sui subiecti, & quòd ex illis principijs demonstrat, quæ secundum se insunt generi, circa quod sunt 2. *Meta. tex.* 14. volens occurrere impedimento, quod euenire solet in acquirēdis scientijs, dicit, quòd scientiæ debent inuestigari, secūdum quod patitur natura subiecti, ergo ex his, & alijs auctoritatibus *Aristo.* quas longum esset recensere, subiectum est causa essentiæ, & existentiæ in accidentibus, quia scire non nisi per causam.

Secundò subiectum primum, & adæquatum cōtinet omnes veritates scientiæ, quia omnia in scientia demonstrata resoluuntur ad primas propositiones secūdum se immediatas, & indemonstrabiles, eo quod habent prædicata fundata in illorum subiecto, quia idem est subiectum scientiæ, &

prin-

principiorum ex communi omnium consensu, & subiectum etiam semper est principium, & prius prædicato. 1. *Phys. t.* 52. omnia etiam attribuuntur ad subiectum, vt vnitas scientiæ saluetur, & omnia tandem ad rationem formalem eiusdem subiecti resoluuntur, tamquam ad primum, etenim in resoluendo semper quæritur illud ad quod datur attributio, & in illud fit status, ergo substantia est causa accidētis, quia sola demonstratio est communis methodus ad cognoscēda accidentia *primo de Anima t.* 4.

Tertiò, in demonstratione datur genus subiectum, cuius passiones, & per se accidentia ab ipso demonstrantur 1. *Poster. C.* 6. & 9. ergo omnia ad illud resoluuntur, & ab ipso dependent, ergo, &c.

Quartò, Aristo. 1. *Phys. t.* 52. contra antiquos, qui non cognouerunt nisi formas accidentales, sic arguit, *Subiectum est principium, & prius prædicato non vtcūq; sed vt substantia*, ergo non sola principia contraria, quia principij esset principium, ergo ex Aristot. accidentia fluunt, & dependent à prima substantia.

Quintò, accidens sēper est in subiecto existens. *Porphyr. de accidente*, ergo habet causam in se ipso, vel in subiecto, per quam non possit non esse in subiecto, quòd si à subiecto ergo à substantia tamquam à subiecto, formaliter dependet quod principaliter intendimus; Si in seipso, ergo inhærentia est de essentia accidentis, ergo adhuc formaliter dependet à subiecto, quod est substantia.

Sextò, Ratio diffinitiua primi termini .i. maioris extremitatis, vt communiter exponitur est medium in demōstratione, immo si aliud medium quærendum, illud erit ex reliquis rationibus, hæc omnia 2. *Poster. C.* 7. sed nil aliud remanet in demōstratione, ex cuius ratione possit accipi medium nisi illud, quod est subiectum, & substantia, quia si tale subie-

ctum foret accidens, vt numerus in Aritmetica, figura in Geometria, vel non esset demonstrabile de substantia contra id, quod dictum est supra, nempe quod omnium accidentium demonstratio est vna cōmunis methodus, vel tandem ad euitandum processum in infinitum resolueretur ad substantiam, à qua dependeret, quod principaliter intendimus.

Septimò, & vltimò. Si non omnia accidentia dependerent à substantia iuxta sensum nostræ conclusionis in fieri,& conseruari etiam, ergo eadem accidentia, quæ non haberent hāc dependentiam, vel essent, & ipsa substantiæ, quod repugnat, vel haberent saltem aliquam rationem analogicam cum ipsa substantia, secūdum quam nullam dependentiam dicerent à subiecto, quia per regulā Posterioristicam, quod conuenit pluribus, & vni non per aliud, illud ratione communioris, quod tamē in præsenti negotio sustineri non potest, quia inter ens ex vna, & substantiā,& accidens ex altera nihil mediū posset fingi, nisi quis ineptè diceret, quòd illud commune, ratione cuius substantia, & accidens nō haberent dependentiam ab alio, esset esse, dixi ineptè, quia si sic nullum ens haberet dependentiam ab alio, quia quod conuenit enti, illud necessario verificatur de omnibus contentis sub ente, ergò, &c.

Contra rationes modo adductas duæ occurrunt difficultates non dissimulandæ, & tertia successiuè contra differentiam inter substantiam, & accidens, quando dictum est supra, quòd prima substantia solū est causa existentiæ, si comparetur ad secundam substantiam, quod si ad accidens, est causa essentiæ, & existentiæ simul.

Prima difficultas est talis. Non quælibet scientia habet pro subiecto substantiam, sed quædam, accidens, vt Mathematica, quia considerat quantitatem, ergo si omnia resol-

uun-

tiuntur ad rationem formalem subiecti, iam non omnia ad substantiã, ergo substantia non erit omnium accidentium causa.

Secunda. Mathematica abstrahit ab omni substantia, ergo vt supra, quia non stat quòd Mathematica sit in primo gradu certitudinis, & non cognoscat substantiam, à qua dicitur, quod dependent omnia accidentia, si scire non habetur aliter, quàm per causam 1. *Posteriòrum C.* 2. 1. *Phys. tex. ergo* &c.

Tertia primo. Nullius essentię, quęq; sit, potest dari causa, tum quia nihil potest concipi, quod sit in potentia ad suam essentiã, eò quod implicat, quod homo, vel quodcũq; aliud intelligatur sub negatione propriæ quidditatis, tum etiam quia quæstio quid est, cuius est proprium quęrere essentiam rei non esset vltima quæstio, ad quam aliæ resoluerentur, vt dicitur 2. *Poster. C.* 1. sed illud, quod esset causa talis quidditatis, & essentiæ, ergo vel omnium, vel nullius prima substantia est causa, & fundamentum.

Si quis diceret, quod quæstiones, quamuis resoluantur ad quid, non tamen semper fit resolutio ad illud quid, quod pertinent ad essentiam intrinsecam, quia Arist. 2. *Poster. C.* 6. 2. *Phys. tex.* 68. docuit, demonstrationes fieri per omne genus causarum.

Contra Arist. 7. *Meta. tex.* 59. probat, quòd substantia, quæ est quod quid erat esse, est principium, & causa, quia de tali quid est non quæritur propter quid, sed in ipsum alia quæsita resoluuntur, immo addit, quod quærere propter quid homo est homo, est nihil quærere, ergo adhuc nullius essentiæ est assignabile fundamentum, & causa, ergo. &c.

Ad duas difficultates primo loco factas, respondetur quòd duplex est resolutio, altera ad subiectum, quod primo fundat rationem formalem obiecti, vt obiectum, extra cu-

ius considerationem nihil admittitur in scientia, qualis est abstractio à materia sensibili, non autem intelligibili in Mathematica, & abstractio ab omni materia in Metaphysica; altera resolutio vel ad superiorem finem, qualis est vt dicitur 1. *Ethicorum* frænefactiua ad Equestrem, & militaris ad Politicam; vel ad aliud superius commune, sicut elementa, mixta, animata ad ens mobile, substantia, & accidens ad ens formalissimè acceptum, quid quid sit de ratione obiecti, vt obiectum.

Omnia itaque stando infra limites scientiæ, *quos, dicit Arist.* 1. *Poster.* C. 8. quòd *non licet transcendere*, omnia vltimò debent resolui in talem rationem formalem sui subiecti, tamen non impedit, quod demonstrator ascendendo ingrediatur genus superioris subiecti continens aliam rationem formalem obiecti; vt obiectum, & ad illud fiat resolutio secundo modo; tum quia si demonstrator non posset ingredi genus superius. Metaphysica tamquam in summa arce sedens, nec iudicare, nec defendere posset prima omniũ principia, vt dicitur 1. *poster.* C. 4. quia non potest fieri iudicium de rebus incognitis 2. *de Anima tex.* 146.

Tum quia Arist. recurrendo ad Metaphysicum non rectè impugnasset antiquos negantes subiectum Philosophiæ naturalis 1. *Phys. tex.* 13.

Tum quia si descendendo, qui cognoscit genus, cognoscit speciem, & speciei speciem vsq; ad specialissimam speciem, vbicumque non fiat transitus ad aliam rationem formalem in tali descensu faciendo, ergo etiam ascendendo debet fieri resolutio ad supremum genus, quãdo non occurrit, quod in ascendendo fiat transitus ad aliam rationem formalem, ergo non inconueniit etiam, quòd demonstrator resoluat conclusiones secundo modo, simpliciter, & absolutè, quia talia sic resoluta continentur sub ratione formali obiecti, vt obie-

obiectum superioris scientiæ, & talis ratio formalis inferioris est posterior ad rationem formalem sui superioris; sicut ratio formalis obiecti, vt res est, & ipsa est inferior, & posterior ad rationem formalem obiecti, vt res est sui superioris.

Quare licet Mathematicus abstrahat à substantia, vt stet infra limites suæ considerationis sicut est necessarium, vt talis consideratio sit Mathematica, tamen habitu Methaphysico procedendo, post completas considerationes Mathematicas, vt dictum est de Arist. contra antiquos, non incõuenit quòd Mathematicalia accepta sub ratione accidentis dependeat à substantia, & quòd demonstrentur per rationem formalem, & per principia substantiæ.

Ad tertiam difficultatem dicitur, quòd aliud est, quòd detur causa connexionis prædicati quidditatiui cum subiecto, propter quid, dico, homo sit animal rationale, aliud, quòd essentia dependeat à partibus essentialibus cõstituentibus totam essentiam, siue faciant compositionem physicam, vt materia & forma, siue Metaphysicam vt genus, & differentia; aliud, quòd essentia dependeat ab aliquo, quòd sit extra illius essentiam, & tamen ingrediatur illius diffinitionem, vt additum propter relationem transcendentalem, quam habet talis essentia ad subiectum.

Primo modo intelliguntur omnes auctoritates Arist. quę nil contra nos, quia non ponimus, quòd prima substantia sit causa, & propter quid diffinitionis, cum diffinito, etenim de essentia rerum formaliter loquendo, dicimus cum Metaphysicis, quòd essentia non sit, nec est in potentia, vt sit, & fiat actu essentia, sed quòd secũdum se semper habet actualitatem suam essentialem, realitatem etiam, & actualitatem, quæ comitatur essentiam sub quocunq; esse.

Secundo modo, quia quælibet essentia substantiæ in præ-

dicamento componitur ex materia,& forma,genere,& differentia quoq; in rebus physicis, ex genere autem, & differentia solum in rebus Metaphysicis,& in Intelligentijs,quare non inconuenit, quòd illorum essentia suo modo dependeat à principijs constituentibus talem essentiam; Verum de tali dependentia accidentis à subiecto in præsenti non loquitur,quia accidentia,ex quò formæ simplices,solum dependent hoc pacto à principijs Metaphysicalibus, à proprio .s. genere,& differentia.

Tertio modo Essentia in accidentibus vltra genus,& differentiam, à qua dependent propter compositionem Metaphysicam, adhuc dependent à subiecto, quod est prima substantia, quia cum non sint absoluta à tali subiecto, in sui diffinitione illud includunt, tamquam causa extrinseca; Immò ex principijs eiusdem subiecti illorum differentię desumuntur, iuxta doctrinam Arist. 2. *Poster. C.7.* ex qua colligitur, quòd non solum proprietas cognoscitur in demonstratione propter quid, sed etiam quod quid est rei habentis alteram causam, in eadem demonstratione percipitur; quod dictum est de accidentibus, asserendum est etiam de formis substantialibus, quia propter transcẽdentalem relationem, quam habent ad materiam in illorum diffinitione ponitur subiectum, & materia ad modum accidentis, vt videre est apud Arist. quando 2. *de Anima tex. 26.* argumentatus est cõtra antiquos, quòd non docebant, in quo, & quali corpore esset anima.

Quòd antè diffinitio substantialis accipiat subiectum, legitur in diffinitione animę 2. *tex. 4. Anima est corporis actus* &c. quòd idem verificetur de accidente, legitur in diffinitione intellectus possibilis 3. *de Anima tex. 4. Intellectus possibilis est intellectus possibilis animæ.* In his namq; diffinitionibus constat, quòd corpus est materia animæ, & anima subiectum intellectus possibilis. Verum,

Verùm, ne falli contingat, cauendum, quòd Intellectiua licet habeat essentialem commensurationem ad materiam, tamen illius existere ex ratione supradicta non dependet à substantia prima, formę autem naturales, & commensurationem substantialem habent ad subiectum,& illorum existentia primò dependet à composito,quia compositum est id, cui primò conuenit fieri, sicut esse, Formis substantialibus verò per tale compositum, propter illarum formarum materialitatem, ad differentiã Intellectiuæ, quæ est penitus immaterialis,ergo. &c.

*Quæ sit Ratio, & quidditas Existentiæ substantiæ finitæ, & limitatæ naturæ.* Cap. VI.

Existentia substantię dicens essentialem dependentiã à Deo, tanquã à primo ente, propter ipsius finitam, & limitatã naturam, est vltima,atq; omniũ actualitatum intrinseca,& formalissima actualitas extra conceptum quidditatis,& essentię,realiter distincta ab essentia,reductiuè in prædicamento substantię, & tandem vltimum complementũ m, quod constituit substantiam in genere entis simpliciter, absque alia tertiæ entitatis resultantia.

Quinque principaliter in præsenti conclusione continentur explicanda, & successiuè probanda.

Primum est,quòd differentia, quamuis addatur generi, vt actus, qui rem conducit ad esse, *ex Porphirio C. de differentia*, & inde in re totidem sint actus, quot differentiæ, quamuis non realiter distincti, tamen vt essentia reddatur capax existentiæ, dicitur in conclusione proposita, necessarium esse, quòd in essentia præintelligantur omnes actus cuiuscunq; differentiæ, etiam indiuidualis, & quòd talis existentia comparetur ad essentiam, non vt forma ad ma-

teriã, sed vt actus ad potentiam. Actus vltimus, idest tamquam vltima perfectio, complementum, & terminus essentiæ. Actus intrinsecus, .i. residens in materia intrinsecè, & ipsam denominans formaliter existentem. Formalissima actualitas, idest quòd non sit imaginabilis res, natura, forma, & gradus, quomodocumque ad Prædicamentum substantiæ spectantes, ad quos non comparetur existentia, semper vt actus ad potentiam.

Secundum, essentia substantiæ, ex quò dupliciter accipitur, absolutè, & secundum se, vel secundum esse, quod habet in hoc, & illo indiuiduo, conclusio intelligitur extra conceptũ primo modo .i. quòd intrinseca ratio essentiæ primo modo accepta abstrahit ab existere, & non existere .i. quòd nullum vindicat sibi esse, nec non esse, immo nec negationem dicit cuiuscumq; partis propositæ.

Tertium, ex quò duplex realis distinctio, altera inter duo omnino separata, altera inter illa, quæ conueniunt in vna entitate, tamen completa, conclusio intelligit essentiam realiter distinctam ab existentia, non primo, sed secundo modo.

Quartum, quia rerum aliæ dicuntur completæ, illæ quæ, vel ad nullius entis constitutionem pertinent, vt hic homo, hæc albedo, &c. vel prædicantur, vt superius de inferioribus in linea prędicamentali, aliæ autem incompletæ, siuè partes sint, siuè principia, siuè vtcumq; attinentes ad complementum rei, conclusio intelligit, quod existentia, quia inter entia secundo modo connumeratur, non sit in prędicamento, propriè .s. & directè, sicut sunt substantiæ primo modo acceptæ, sed solum impropriè, & indirectè, tamquam res tamen contenta in prædicamento, quod propriè significat reductiuum esse, ad differentiam Dei, qui est in prædicamento reductiuè solum, quatenus alia omnia vtcumq; in prædi-

camento existentia; ad illum, tamquam ad principium, & causam reuocantur.

Quintum, ex quò duplex compositio, alia ex partibus facientibus tertiam entitatem, vt materia, & forma hominem; alia ex partibus, quarum vna est tota substantia, alteri tamen comparata, vt potentia ad actum, in qua datur sola, & simplex compositio cum his. Conclusio intelligitur in secundo sensu .i. dum componitur existentia cum essentia, nulla oritur tertia entitas realiter distincta à partibus componentibus, sed solum essentia componendo, cum existentia constituit rem in vltimo complemẽto, & facit talem rem sic compositam in genere entis simpliciter, quod est ens actu in rerum natura extra suas causas.

Singula sic exposita probantur in hunc modum, secundùm ordinem, quem habent in conclusione, & primo quod sit actus essentiæ. Illud est actus, quo fit aliquid in actu prius in potentiâ existens 3. *Phys. t.* 3. sed existentia est, qua essentia substantiæ dicitur actu existens, cum prius esset talis in potentia, ergo est actus essentiæ in substantia.

Non tamen, vt forma in materia, tum quia non quælibet essentia substantiæ materiam includit, vt intelligentiæ, quæ, sunt penitus immateriales, tum quia si esset forma, iam esset substantia secundùm rationem 2. *de Anima t.* 8. quare de intrinseca ratione essentiæ, contra id, quod ponitur in secunda parte conclusionis, tum quia tertium fieret ex illis, vt dicitur 2. *de Anima tex.* 2. contra ea, quæ habentur in vltima parte conclusionis, tum quia forma est, secundùm quam dicitur hoc aliquid 2. *de Anima t.* 2. & tamen essentia ante aduentum existentiæ est complete hoc aliquid.

Est vltima actualitas, tum quia, ex præcedentibus vniuersalia non existunt, nisi in singularibus, immò habita re singulari, terminata tamen positiuo termino, secundum quem

sub-

substantia particularis dicitur Hypostasis, vel persona, vt supra dictum est, necnon addita existentia nil aliud remanet substantiale, quod addatur, tum quia si aliud post existentiam addendum foret, illud tale, vel existeret, vel non; secundum non est intelligibile, quia sic nihil esset additum; quòd si primum, ergo illi etiam addenda foret, etiam existentia, vt illud vltimo additum posset existere, quare semper existentia erit vltima, vel saltem illud additum vltimo existeret eadem existentia, quæ prius erat actus essentiæ, fingendo, quòd omnia vnica, & eadem existentia existerent; quòd si sic ergo adhuc existentia erit vltima actualitas, terminus, & complementum huius rei vltimò addite, sicut cæterorum, quæ in essentia continentur. Est actualitas intrinseca hoc pacto, Existere est effectus formalis existentiæ, ergo intrinsecè in omni substantia, quæque sit, & imaginari possit, quia nulla datur substantia, quæ sit, & dicatur existens per extrinsecam denominationem, ergo existentia est intrinseca actualitas essentiæ in substantia. Dico in substantia, tum quia in præsenti solum intendimus de substantia, tum quia sicut explicabimus ad C. 25. peculiare est in relatiuis tertij modi, quod tales relationes, quæ sunt intrinsecæ, & essentialiter entia rationis, etiam sint entia realia per oppositam relationē realem, quod est esse reale secūdum extrinsecam denominationem.

Est etiam formalissima actualitas, tum ex ratione iam dicta, quia nihil imaginatur, quod ponatur existere, siuè forma, siuè gradus, &c. quod non semper existat per existentiam, sicut potentia per actum, tum quia existentia ad nihil potest comparari, vt potentia ad actum, quod solum posset impedire illius formalissimam actualitatem.

Illud, quod continetur in secunda parte redditur manifestum, & probatum, quòd scilicet non includatur in intrinse-

ca ratione essentiæ, tum ex declaratione terminorum iam facta, tum ex Arist. & omnium Philosophorum sententia, tum quia sine mendacio quilibet, abstrahendo perfectè intelligit essentiam sine existentia, vt dicitur ab Arist. de alijs abstractionibus contra Platonem 2. *Phys. tex.* 18. tum quia si existentia esset de intrinseca ratione essentiæ, quæ est substantia prædicamentalis, iam quælibet substantia esset suum esse, & sic independens, sicut Deus, immo sequeretur quod quęsitū si est in dicta substantia non distingueretur à quæsito quid formaliter, & intrinsecè, sicut dictum est de Deo, ergo, &c.

Dictum est adhuc, quòd abstrahit etiam à negatione cuiuscunque partis, quia qua ratione abstrahit ab affirmatione illorum, sic etiam debet abstrahere à negatione, quia in affirmatione abstracta includitur negatio, quod tamen est impossibile in præsenti, quia quod est per se tale in primo modo per se, est semper in quocumque adeo tale, quòd ab ipso, nec in prima, nec in secunda operatione abstrahi potest.

Existentia, vt dictum est in tertia parte conclusionis, est realiter distincta ab essentia substantiæ multipliciter, primo remanet existentia hominis mortuo homine, quia intellectiua, à qua prouenit talis existentia est perpetua, & immortalis, etiam secundum Arist. 1. *de Anima tex.* 13. 3. *tex.* 20. ergo hominis essentia est realiter distincta ab existētia, quia repugnat quòd illa sint eadem realiter, quorum vnum remanet, & aliud corrumpitur.

Fortè quis dicere posset, quòd non intelligitur vniuersaliter existentiam cuiuscumque rei esse idem cum essentia, quia cum multa existant vnica existentia, quamuis realiter inter se distincta, vt partes vnica existentia totius, quando sunt in toto, inde sicut sunt distincta realiter, non potest illo-

rum

tum existentia esse eadem cum omnibus, sed illud intelligitur de identitate essentiæ, & existentiæ, si referatur ad essentiam, cui primo conuenit existere, sicut constat in intellectiua, quia cum sit talis, quòd illi primo conuenit existere, & inde per ipsam communicatur existere composito, sic etiam satis est, quòd existentia intellectiuæ sit idem, quod sua essentia. Sed contra talem responsionem; essentia intellectiuæ dicit essentialem ordinem ad materiam, tum quia omnis anima est talis 1. *de Anima t.* 15. tum quia diffinitio, etiam intellectiuæ, includit materiam 2. *de Anima per totum primum caput*, sed existentia intellectiuæ nõ dicit ordinem essentialem ad materiam, quia non esset perpetua, & immortalis, ergo existentia intellectiuæ est realiter distincta à sua essentia, quamuis intellectiua sit illa, cui primo conueniat existere.

Secundò; quæsitum si est demonstratur per quæsitũ quid, tamquam per causam realiter distinctam, sed quæsitũ quid solum quærit essentiam, quæsitum si est solam existentiam 2. *posteriorum Cap.* 1. ergo existentia est realiter distincta ab essentia.

Maior probatur. Magis differt quæsitum si est à quæsito quid, quàm quęsitum quid à quæsito quod, quia quid abstrahit à quæsito si est in prima, & secunda operatione, intelligendo quid, & nihil cogitando de si est, affirmando etiam animal rationale non est, sed quid non abstrahit à quæsito quod, nisi in prima operatione, quia in quæsito quod solum quæritur proprietas 2. *Posteriorum Cap.* 1. *&* 1. & semper falsa est propositio homo non est risibilis, sed quæsitum quod demonstratur per quæsitum quid, tamquam per causam realiter distinctam, eò quòd per proprium *C. de differentia* Proprietas additur speciei iam constitutę per differentiam, & semper sequitur speciem, vt accidens substantiam, ergo si

est,

est, etiam realiter distinguitur à quid, ergò, &c.

Tertiò seclusis per intellectum omnibus, quæ imaginari possunt in essentia, adhuc existentia est actualis, & realis entitas; quia si actus est id, ex quo fit aliquid in actu, vt dictum est 3. *Phys. t.* 7. ergo actus realis est id, ex quo fit aliquid actu reali, sed per existentiam res fit in actu reali existens, ergo est actualitas realis; Tunc vltra seclusis, etiam omnibus, quæ per intellectum imaginari possunt in existentia, adhuc essentia est entitas realis; tum quia aliter essentia sine existentia non posset intelligi, tum quia includit intrinseca pertinentia ad suum complemētum genus, & differentiam, & dicit ordinem ad potentiam, & ad existentiam realem, quod est facere ipsam realem ad differentiam essentię secundum rationem, quæ licet & ipsa includat suum genus, & differentiam, tamen non habet potentiam ad existentiam realem, sed solum secūdum rationem, vt suo loco dicemus; tum quia si in tali casu nō esset entitas realis, quia saltem est quid positiuum, ergo esset entitas rationis, vel quid abstractum à reali, & rationis, nō primo modo, quia vel ens rationis fieret ens reale, quando scilicet acciperet existentiam realem, vel simul esset ens reale, & ens rationis, quæ omnia implicant: non secundo modo, tum quia non potest fingi, quòd addatur huic enti sic abstracto nisi potētia ad existentiam, per quam fieret realis entitas essentiæ, quòd si potentiam, quia hæc potentia debet esse abstracta ab eadē actuali existentia, alioquin essentia, dum includeret potentiam nullo modo abstractam ab existentia, semper existeret, & sic non esset indifferens ad existere, & non existere, ergo adhuc essentia, seclusa existentia, est actualis, & realis entitas; ergo vltimò, realiter differūt essentia, & existentia, quia non est intelligibile, quod duo sint idem realiter, quorū vtrunq; est entitas realis seclusa omni, & quacunq; entitate reali in-

altero illorum ad inuicem imaginata, ergo, &c.

Circa ea, quæ cõtinentur in quarta parte probatur quòd existentia non sit propriè,& principaliter in prædicamento, secundò quod sit, & contineatur ibi reductiuè. primum tali pacto. Generalissimum genus prædicatur in quid vniuocè, & essentialiter de omnibus inferioribus,ex *Porphyri. C. de specie*, sed ens, quo nil communius, nil aliud includit nisi essentiam, & existentiam ergo esset illud , quod prædicaretur in quid de omnibus, & sic esset genus , quod est contra Aristotelem, ex *Porphyrio C. de specie.*

Vlterius, si directè , &propriè , ergo in existentia esset conceptus genericus, & differentialis,quia omnia in prædicamentis directè, constant ex genere , & differentia contra omnium sententiam, quod si quis data fingendi venia diceret, quod differentia in existentia sumitur ex diuersis principijs essentiæ,quia iuxta variam naturam essentiæ,varia est existentia, vt in Deo, in intelligentijs,in substantijs compositis, & in accidente , quasi quòd differentiæ in existentia sint ad modum differentiæ in accidentibus habentibus differentias acceptas ex principijs essentiæ , quamuis sint formæ simplices.

Contra, si ad rationem generis, & differentiæ illorum, quæ ponẽda sunt in prędicamento satis esset conceptus vniuersalis, & particularis formatus ab intellectu,iam nulla res posset excludi à prædicamento,quia differentiæ,forma,materia, immò, & qoælibet res simplicissima hoc pacto concipi possunt, eo quod intellectus potest simplicissimum componendo intelligere , & compositissimum indiuisibiliter concipere, ergo quidquid sit de conceptu existentiæ in vniuersali , & particulari requiritur quòd talia concipiantur in ordine ad actualem existentiam, realiter distinctam ab essentia, quæ ponitur in prædicamento, alias diffinitio Porphy-

phyrij de differentia, quando dicitur, *Differentia est, qua conducit ad esse*, non posset saluari, quia nihil disponitur, vt sui ipsius capacitatem accipiat, eo quòd nunquam fit id, quod est, *primo Periher. Cap.* 5. 1. *Phys. t.* 76. quod tamen sequeretur, si in existentia quis fingeret differentiam, vt manifestè constat, idem etiam sequitur apud illos, qui non distinguunt essentiam ab existentia, quia in tali casu requiritur saltem distinctio secundum rationem inter id, quod disponitur, & id, ad quod, vel cuius gratia fit talis dispositio, quod nec adhuc intelligi potest in existentia ipsa, nisi vltimo; alius diceret, quòd existentia, quę esset differentia iam ficta, disponeret speciem existentiæ mediante tali differentia ad aliam existentiam, siuè realiter, siuè virtualiter distinctam ab ipsa, quia sic esset species, & indiuiduum etiam receptiuum nouæ existentiæ, quòd tamen chimericum, & impossibile constat ex terminis ipsis.

Præterea si in prædicamento substantiæ, existentia directè, ergo saltem in particulari concepta esset hoc aliquid, ex Arist. *C. de substantia*, & sic duo hoc aliquid in eadem re essent in prædicamento, substantia prima, & hæc existentia, ergo, &c.

Vlterius, differentiæ partes essentiales, etiam quæ magis pertinent ad essentiam rei, quæ dicitur propriè, principaliter, & maximè substãtia, quàm faciat existentia, excluduntur ab Aristo. á prædicamento, vt constat in *C. de substantia*, ergo magis existentia à prædicamento est excludenda, ergo non est directè in prædicamento.

Quòd modò sit reductiuè in prædicamenro, probatur in hunc modum. Prima substantia est maximè, & principaliter, & per se existens; ex dictis in præcedenti, sed hoc habet formaliter ab existentia, quia existentia est formale significatum entis, vt infra, ergo existentia non est accidens, quia

ſubſtantia tunc temporis non eſſet prior omni accidente, tempore, natura, & diffinitione, vt dicitur 7 *Meta.t.*4. ergo ſi non directè, & propriè, ſaltem reductiuè continebitur in prædicamento, quia eſt intrinſeca actualitas ſubſtantialis, ergo, &c.

Vltima pars concluſionis probatur, & primo quòd componēdo cum exiſtentia non faciat tertiam entitatem. Illud, quòd fieret ex illis, ſi exiſteret, ergo alia exiſtentia, quia talis res tertia haberet rationem eſſentiæ, cui deberet respondere alia actualitas realiter diſtincta, quia probatum eſt, quòd exiſtentia realiter diſtinguitur à re exiſtente, ergo in infinitum, formando aliam tertiam rem ex hac, & alia eſſentia ſuccedentem, quòd ſi illa tertia res non exiſteret, iam eſſet nihil, quia per ſolam exiſtētiam res eſt ſimpliciter ens, quod dicitur ens participaliter.

Vlterius. Sola forma informans eſt actus, ſecundum quem fit tertia entitas 2.*de Anima t.*2. exiſtentia nō eſt forma informans, quia informans ſolum dicit ordinem ad materiam: Ariſtot. *ibidem, &* 1.*Phyſ. ferè per totum*, & tamen in quacumq; re exiſtente non datur materia, vt in intelligentijs, immo ſi ſit etiam tertia entitas ex materia, & forma, vt in ſubſtantia compoſita, talis eſsentia non habet rationem materiæ, & exiſtentia formæ, quia materia, & forma, vt ſic ſolum conſtituunt eſſe eſſentiæ, non exiſtentiæ, quale eſt illud, quod eſt formalis effectus exiſtentię, quia forma ſemper eſt cauſa exiſtentiæ, vt efficiens, quò, exiſtentia cauſa formæ exiſtentis per modum cauſę formalis, & tandem materia, & forma ſimul faciunt animal rationale, quod eſt ſimpliciter eſſentia, ergo, &c.

Vltimo probatur, quòd per exiſtentiam ſubſtantia ponitur in genere entis ſimpliciter tali pacto. Eſſentia rei ſiuè exiſtat, ſiuè non, ſemper eſt ens reale poſitiuum, quatenus di-

distinguitur ab ente rationis, ergo hoc pacto, genera, & species substantiæ, siuè existant in primis, siuè non, sunt entia realia, & actu in genere essentiæ, sed quia destructis primis substantijs, impossibile est alia remanere, ergo sunt nihil, quia repugnat esse actu, & non existere, ergo sunt actu secundũ esse essentiæ, quod est secundũ quid, ergo fiunt actu secundũ existere, quod est esse simpliciter per existentiam in actu exercito essentiæ additam.

Vlterius. Nihil est tale in actu simpliciter, nisi vt actu habens rationem formalem illius, secundum quod tale dicitur, sed existentia est formale significatum entis, ergo nihil est actu ens simpliciter, nisi per existentiam, ergo, &c.

Minor .s. quod existentia sit formale significatum entis, probatur dupliciter, primò. Si existentia non esset tale significatum entis, ergo aliquid contentum in essentia esset tale formale significatum, quia abstracta per intellectum à substantia essentia remãet sola essentia, quod tamẽ est falsum in præsenti, tum quia ens, quando dicitur 3. *Phys. t. 6. quòd motus est actus entis*, nõ potest dicere solam essentiam, sed debet etiam includere existentiam, quia motus 8. *Phys. tex.* 3. supponit existentiam actualem mobilis, tum quia Antiqui, quandò dubitabant, quomodo fieret ens dicendo, aut ex eo, quod est, aut ex eo, quod non est, vt legitur 1. *Phys. tex.* 71. supponebant ens, vt addit existentiam, quia sciebant & ipsi, quod à dicentibus, existentiam non esse formale significatum entis, facilè poterat responderi, quod ens fit, vt dicit essentiam, recipiendo existentiam, & quòd ens corrumpitur, secundum quòd essentia amittit existentiam, nihilominus talis responsio non tollit difficultatem antiquorum, immò ex tali defectu Arist. illam soluit aliter respondendo; non tollit difficultatẽ, quia dubitabant, quomodo fieret ens, ex ente, arguendo, quia sic erat, antequam fieret,

fieret, vel corrumperetur in ens, quia post corruptionem adhuc esset, quorum consequentia erat. Si ens, quod est existens, fit ex alio existente, ergo ens, quod abstrahit ab hoc, & ab illo ente existit in illo ente, ex quo fit aliud, & etiam in ente, quod fit, & succedit, & est terminus actionis, quare semper est ens, & sic nihil fit: idem in corruptione sequebatur, vt patet.

Aliter Arist. satisfacit, respondendo, & dicit, quòd illud ens commune, quod intelligitur in vtroque termino, fit per accidens .i. natura non intendit facere id, quod est, sed quia vult facere tale ens, ex quo non potest fieri tale ens, nisi fiat ens simpliciter, quia omnia superiora essentialiter sunt in inferioribus, & de illis prædicantur. Porphi. *C. de specie.* Inde fit tale ens per se .i. agens intendit solum tale ens, quia si solum ens simpliciter, non tale ens intenderet, nihil faceret, quia iam ens prius est, sed quia non potest fieri tale ens, quod intenditur, nisi simul cum tali ente fiat ens simpliciter, propter necessariã connexionem, quam habent ens simpliciter, & tale ens, conceditur, quòd fiat ens simpliciter, sed semper per accidens, .i. præter intentionem agentis.

Quòd autem sit hęc responsio Arist. verificatur in exemplo dato *tex.76.* vbi legitur, quod si fiat canis ex equo, quia hoc non potest fieri nisi simul fiat animal, propter eandem rationem, quòd in ente, canis fit per se, vel tale animal per se; animal per accidens, & hoc, quia, vt ibi dicitur, iam animal prius est, ergo si ibi contra antiquos ens accipitur vt existens, existentia est formale significatum entis, ergo, &c.

Secundo. Illud est formale significatum, quod est actulissimũ in re, cuius ratio formalis quæritur, quia actus distinguit, & separat *7. meta. tex. 49.* ergo ration vltimus actus constituẽs hominem est formale

hominis, secundũ quòd homo; sed ens, quòd dictum est esse compositum ex esse, & essentia, habet existentiam, quæ est vltima actualitas comparata essentiæ, vt quid potentiale, ergo existentia est formale significatum entis. non dico formale essentiale, vt dictum de rationalitate in ordine ad hominem, quia existentia ex iam dictis non est de essentia rei; nec formale accidentale, vt est de albedine in ordine ad albũ, quia existentia non est accidens, sed formale, idest, substantiale prædicatum, quia constituitur per principia propria generis, differẽtię, & per alia principia propria eius, quod est in prædicamento substantiæ, ergo, &c.

Hic, ne falli contingat, considerandum, quòd aliud est loqui de solo, & simplici formali significato entis, aliud de ratione formali entis, secundum illud totum, quod includitur in totali, & completa ratione ipsius. Primo modo intelligitur, quòd existentia est formale significatum entis, quia existentia, in compositione cum essentia, vt dictum est, habet rationem actus, immò est actualissima actualitas &c. & semper illud, quod habet rationem actus in hoc sensu, est formale significatum rei, vt rationalitas in homine. Secundo modo, ens formaliter significat naturam, siuè essentiam, & quidditatem, intrinsecè, & essentialiter proportionatam ad esse, quod sic declaratur; & probatur.

In ente tria considerantur, primum id, quod est, *velut* forma, habens rationem actus, & constituens tale *ens in esse* specifico, & formali, secundum id, quod est *velut materia* habens rationem potentiæ, & quo [illegible] *itur in esse for*mali, tertium id, quod significat [illegible] *compositum*, scilicet ex potentia, & actu, ta[illegible] *in en*te finito, vel quid proportionali[illegible] *bus, po*vt in ente infinito, de quo d[illegible] *ntia*tentiæ, composi[illegible] *&c. ver*[illegible] Ens & totum, quo[illegible]

Ens ergo participaliter, quod diuiditur vt quid superius ad substantiam,& accidens,non significat solam existētiam, nec solam essentiam,sed compositum ex essentia,& existentia modo exposito, non tamen vtcūque, sed quatenus vnum essentialiter ordinatur ad aliud in ratione potentiæ,essentia .s. ad existentiam,& aliud essentialiter ad vnum in ratione actus, existentia .s. ad essentiam.

In ratione actus, & potentiæ, quia nō aliter compositum potest esse vnum per se nisi componentia vniantur secundum rationem actus, & potentiæ *2.de Anima t.7.*

Intrinsecè, & essentialiter ad inuicem proportionata hoc pacto, ens intrinsecè,& essentialiter includit rationem actus, & potentiæ,sed de intrinseca ratione formali actus, & potentiæ, etiam in prima operatione intellectus est, quod habeāt inter se certam, & limitatā proportionem, tum quia non quodlibet ex quolibet, sed determinatum ex determinato *1.Phys.t.43.* tum quia potentia, vt potentia, per se primò, & essentialiter ita ordinatur ad actum, & actus ad potentiam, quod per quamcumq; facultatem non est possibile, quòd separetur à relatione prædicta in prima operatione intellectus, tum quia etiam ipsorum natura est per se ipsam ad aliud relata, tum quia si essentia nō diceret intrinsecè, & essentialiter fundamentum relationis proportionalis ad existentiam, iam intelligibilis esset essentia sine existentia, quia vnumquodque semper abstrahit à quibuscūq; non inclusis in sui essentiali, & intrinseca ratione, & tamen Aristo. *2.Poster.C.7.& alibi*, etiam dicit, quod non est cognoscibile quod est ante si est, quia sic quærere quod est,ante si est,esset nihil quærere .i. non ens, seù non entis quidditatem; ergo tandem sequitur, quod ens formaliter significet naturam essentialiter proportionatam ad esse, & tale ens particulare, talem essentiam,& naturam particularem, tali,

&

& tali pacto commensuratam, ad tale, & tale esse, iuxta doctrinam Aristo. 3. *Phys. t.* 3. 9. *Meta. t.* 1.

Duæ tamen occurrunt difficultates non dissimulandæ; prima si ex essentiali proportione essentiæ non licet ipsam cognoscere ante si est, nec etiam si est ante quid est propter eamdem rationem poterit cognosci, & tamen Aristo. 2. *Poster. C.* 1. *&* 7. ostendit si est præcedere quid est. Secunda, vbicumque ens in sui intrinseca ratione formali diceret hanc proportionem inter essentiam, & existentiam, necnon ens diceret naturas tali pacto commensuratas ad suum esse, iam sequeretur, quòd homo, quando prædicatur de inferioribus diceret animam, & corpus, vt proportionata ad inuicem, quod tamē videtur falsum, quia illud solum essentialiter prædicatur de inferioribus, quod ingreditur diffinitionem superioris, & tamen constat, quòd solum genus, & differentia ponuntur in diffinitione hominis, ergò, &c.

Respondetur ad primam, quòd relatio inter essentiam, & existentiam, quia est transcendentalis, inde sequitur primò, quod vnum est prius altero, & vnū definitur per aliud, potentia per actum; sequitur secundò, quòd existentia est priùs cognoscibilis, quam essentia, tum quia actus distinguit, & est prior potentia 3. *de Animat.* 20. tum quia quidditas ex quo potentia in ordine ad existentiam non potest habere rationem quidditatis, nisi in ordine ad esse, tū quia formale significatum cuiuscunque rei semper præcedit id, cuius est formale significatum, tum quia existentia ita est communissima omnium rerum, & actualitatum actualitas formalissima, quòd nulla imaginabilis res ipsam subterfugere potest, vbicumque rationem quidditatis induere valeat; quare stat, quòd si est cognoscatur ante quid, nūquam quid ante si est.

Respondetur ad secundam, quòd composita, quæ faciūt

vnum per ſe, ſunt in duplici diſcrimine, quædam ſunt ex his, quando oritur tertia entitas ex actu, & potentia ad inuicem proportionata, quædam ſunt cum his, quando actus, & potentia vniuntur abſque tertiæ entitatis reſultantia. Diffinitiones primi generis dantur de tertia entitate, quæ reſultat, & ſic ponitur ſolum genus, & differentia, quia illorum proportio ſolùm neceſſariò conſideratur, quando facta reſolutione illorum principia ſunt diffinienda. Diffinitiones ſecundi generis, quia non dantur de tertia entitate, quæ reſultat ex actu, & potentia proportionatis, inde non fit aliqua partium reſolutio poſt acceptam diffinitionem rei ſic compoſitæ, ſed ſemper in illorum diffinitione cognoſcūtur principia, quatenus ſunt eſſentialiter proportionata ad inuicem ſi tamen diffiniantur, vel vtcumq; deſcribantur, quare ſemper ens, quod formaliter, & quidditatiuè prædicatur de inferioribus nil aliud eſt, & ſignificat, quàm naturam proportionatam ad ſuum eſſe, & tale eſt formale ſignificatū entis, totale, & completum, quare, &c.

*Quæ ſit tandem ratio formalis ſubſtantiæ prædicamentalis.*
*Cap. VII.*

SI aliquid ex ante habitis oportet dicere in omni ſubſtantia prima, & ſecunda quid ſit complēs dictę ſubſtantiæ rationem formalem, & adæquatam, erit vtiq; ens per ſe exiſtens, & eſſentialis cauſa conſtituens in eſſe completo eſſentiam, & quidditatem accidentis, quod eſt aliquid proprium primæ ſubſtantiæ, erit vltra prædicta, talis prima ſubſtantia, ſubiectum ſuſtinens, & cauſam ſecundam ſubſtantiam, & accidens in eſſe.

Declaratur concluſio, & primo quantum ad illa, quę communiter dicuntur de prima, & ſecunda ſubſtantia ens

ens .i. quod limitatum ad certum genus, & differentiam, compositum ex essentia, & existentia realiter inter se distincta, componentia cum his, nunquam ex his.

Ens etiã .i. habens pro formali significato existentiã, quę sit vltima, nec non omnium actualitatũ formalissima actualitas, extra conceptum formalem essentiæ, & reductiuè in prædicamento substantiæ.

Per se existens .i. tale ens, cui ex propria, & intrinseca, necnon essentiali natura, & quidditate conueniat, quod nullo indigeat subiecto, cui inhæreat pro sui existentia in actu exercito.

Essentialis causa .i. tale ens, etiam quod necessariò, & essentialiter ex eiusdem substantiæ principijs accipiantur essentialia in accidentibus, & in illorum diffinitione ponantur.

Declaratur secundò eadem conclusio, vt est propria primæ substantiæ, vltra prædicta .i. præterquam quod prima substantia est per se existens, &c. non minus, quam secunda addit, etiam illius completa, & adæquata ratio formalis; quòd sit essentialiter subiectum sustinens .i. quod eidem naturæ, & quidditati conueniat essentialis aptitudo ad sustinendam existentiam in actu exercito, tùm substantiæ secundę, tùm accidentis.

Quod hæc omnia sic, vt iacent, & materialiter accipiũtur, saltem sint vera patet ex dictis *C.5.& 6.* precedẽtibus, quòd modo compleãt rationem formalem, & adęquatã substantię finitę, & limitatę; sicut principaliter intendimus, probatur in hunc, qui sequitur, modum.

Ad constituendam completam rationem formalem nil aliud requiritur ex Aristo. 2. *Poster. c.*8 nisi quod omnia, quę accipiũtur in ratione formali, prędicentur in quid, quod ordinentur quid primum quid, secundum est, & quid omnia,

quę pertinent ad quid accipiatur, & nihil ex illis prætermittatur, sed hæc omnia saluantur in rationibus datis de substantia in communi, & successiuè de substantia prima, ergo, &c. minor probatur quo ad singulas partes.

Ens per se existens est de ratione quidditatiua substantiæ in communi, vt patet per primam Conclusionem C. 5.

Causare essentiam accidentis est de quidditate substantiæ, quod sic probatur ablato ordine fundamentali dependentiæ, quam habet accidens, à substantia tollitur ratio formalis substantiæ, ergo fundamentalis ordo substantiæ ad accidens est de quidditate substantiæ. Antecedens probatur dupliciter; primò non est cognoscibilis res, nisi sicut est, quia ab eo, quod res est, &c. Sed non est cognoscibilis substantia in communi, completè, & totaliter, nisi cognoscatur quatenus habens virtutem talem, quòd accidentia sint dependentia .i. quòd necessario substãtia habeat aptitudinem talem, quod possit actu dependere, & causari à substantia, quamuis quis diceret, quòd de facto non semper sit futura talis causalitas in actu, iuxta illud 2. *gene. t. 64. futurus quis incedere, non incedet*, ergo aptitudinalis dependentia accidentis á substantia est de quidditate substantiæ, ergo, &c.

Secundò, si dependentia talis non pertineret ad quidditatem substantiæ, ergo talis dependentia aptitudinalis, siuè ordo fundamentalis inter substantiam, & accidens, esset saltem proprietas substantiæ, quia, quod omni soli, & semper conuenit, & non pertinet ad quid, est proprium ex Porphyrio, ergo Arist. in explicandis proprietatibus substantiæ diminutus fuisset in cap. de substantia, quia facienda erat illius consideratio, & inter proprietates substantiæ erat enumeranda, quod tamen non obseruatur, vt facilè est ibi legere; quod si proprietas, ergo etiam in prima operatione intel-

tel-

tellectus, quidditas substantiæ posset cognosci absq; tali ordine fundamentali, quod tamen est falsum, quia vt supra, substantia non foret cognita secundum illud totum, quod est.

Quod modo habere naturam, & quidditatem, cui conueniat essentialiter causalitas sustinendi, & conseruandi existentiam secundæ substantiæ, & accidentis sit de ratione quidditatiua, primę substantię facile potest probari ijsdemmet rationibus, quibus probatum est modò, quod sit de ratione substantiæ in communi causare essentiam accidentis, vt facile est legendo cognoscere.

Quod omnia fuerint ordinatè accepta, sicut requiritur per secundam conditionem Aristo. 2. *Poster. c.* 8. probatur sic illa sunt priora saltem secundum nostrum modum concipiendi, quæ conueniunt simpliciter, & absolutè: posteriora quodammodo, quæ in ordine ad aliud, ex probatis à nobis in principio C. 5. ergo, quod pertinet ad rationem formalem substantiæ in communi, rectè dictum est prius, quod substantia est per se existens, successiuè additum est, quod est causa complens essentiam accidentis, quia primum simpliciter, & absolutè conuenit, alterum in ordine ad aliud, ergo etiam quod pertinet ad rationem primę substantię; rectè ijsdem duobus additum est tertium, quod sit causa existentiæ, &c. quia illa duo sunt vniuersalia, & communia omnibus substantijs; tertium, quod additur est proprium primæ substantiæ.

Quod nihil etiam pertinens ad quidditatē, & rationem formalem ipsorum fuerit prætermissum probatur; si quid deficeret, illud certè fuisset existentia substantiæ, quia nullum aliud prædicatum substantiæ potest imaginari dictum de substantia, nisi existentia, sed substantiæ existentia, vt probatum est Cap. 6. est extra conceptum essentialem, &

quid-

substantia tunc temporis non esset prior omni accidente, tempore, natura, & diffinitione, vt dicitur 7. *Meta.t.*4. ergo si non directè, & propriè, saltem reductiuè continebitur in prædicamento, quia est intrinseca actualitas substantialis, ergo, &c.

Vltima pars conclusionis probatur, & primo quòd componēdo cum existentia non faciat tertiam entitatem. Illud, quòd fieret ex illis, si existeret, ergo alia existentia, quia talis res tertia haberet rationem essentiæ, cui deberet responderе alia actualitas realiter distincta, quia probatum est, quòd existentia realiter distinguitur à re existente, ergo in infinitum, formando aliam tertiam rem ex hac, & alia essentia succedentem, quòd si illa tertia res non existeret, iam esset nihil, quia per solam existētiam res est simpliciter ens, quod dicitur ens participaliter.

Vlterius. Sola forma informans est actus, secundum quem fit tertia entitas 2. *de Anima t.*2. existentia nō est forma informans, quia informans solum dicit ordinem ad materiam: Aristot. *ibidem, & 1. Phys. ferè per totum*, & tamen in quacumq; re existente non datur materia, vt in intelligentijs, immo si sit etiam tertia entitas ex materia, & forma, vt in substantia composita, talis essentia non habet rationem materiæ, & existentia formæ, quia materia, & forma, vt sic solum constituunt esse essentiæ, non existentiæ, quale est illud, quod est formalis effectus existentię, quia forma semper est causa existentiæ, vt efficiens, quò, existentia causa formæ existentis per modum causę formalis, & tandem materia, & forma simul faciunt animal rationale, quod est simpliciter essentia, ergo, &c.

Vltimo probatur, quòd per existentiam substantia ponitur in genere entis simpliciter tali pacto. Essentia rei siuè existat, siuè non, semper est ens reale positiuum, quatenus di-

distinguitur ab ente rationis, ergo hoc pacto, genera, & species substantiæ, siuè existant in primis, siuè non, sunt entia realia, & actu in genere essentiæ, sed quia destructis primis substantijs, impossibile est alia remanere, ergo sunt nihil, quia repugnat esse actu, & non existere, ergo sunt actu secundũ esse essentiæ, quod est secundũ quid, ergo fiunt actu secundũ existere, quod est esse simpliciter per existentiam in actu exercito essentiæ additam.

Vlterius. Nihil est tale in actu simpliciter, nisi vt actu habens rationem formalem illius, secundum quod tale dicitur, sed existentia est formale significatum entis, ergo nihil est actu ens simpliciter, nisi per existentiam, ergo, &c.

Minor .s, quod existentia sit formale significatum entis, probatur dupliciter, primò. Si existentia non esset tale significatum entis, ergo aliquid contentum in essentia esset tale formale significatum, quia abstracta per intellectum à substantia essentia remãet sola essentia, quod tamẽ est falsum in præsenti, tum quia ens, quando dicitur 3. *Phys. t. 6. quòd motus est actus entis*, nõ potest dicere solam essentiam, sed debet etiam includere existentiam, quia motus 8. *Phys. tex.* 3. supponit existentiam actualem mobilis, tum quia Antiqui, quandò dubitabant, quomodo fieret ens dicendo, aut ex eo, quod est, aut ex eo, quod non est, vt legitur 1. *Phys. tex.* 71. supponebant ens, vt addit existentiam, quia sciebant & ipsi, quod à dicentibus, existentiam non esse formale significatum entis, facilè poterat responderi, quod ens fit, vt dicit essentiam, recipiendo existentiam, & quòd ens corrumpitur, secundum quòd essentia amittit existentiam, nihilominus talis responsio non tollit difficultatem antiquorum, immò ex tali defectu Arist. illam soluit aliter respondendo; non tollit difficultatẽ, quia dubitabant, quomodo fieret ens, ex ente, arguendo, quia sic erat, antequam fieret,

fieret, vel corrumperetur in ens, quia post corruptionem adhuc esset, quorum consequentia erat. Si ens, quod est existens, fit ex alio existente, ergo ens, quod abstrahit ab hoc, & ab illo ente existit in illo ente, ex quo fit aliud, & etiam in ente, quod fit, & succedit, & est terminus actionis, quare semper est ens, & sic nihil fit: idem in corruptione sequebatur, vt patet.

Aliter Arist. satisfacit, respondendo, & dicit, quòd illud ens commune, quod intelligitur in vtroque termino, fit per accidens .i. natura non intendit facere id, quod est, sed quia vult facere tale ens, ex quo non potest fieri tale ens, nisi fiat ens simpliciter, quia omnia superiora essentialiter sunt in inferioribus, & de illis prædicantur. Porphi. *C. de specie.* Inde fit tale ens per se .i. agens intendit solum tale ens, quia si solum ens simpliciter, non tale ens intenderet, nihil faceret, quia iam ens prius est, sed quia non potest fieri tale ens, quod intenditur, nisi simul cum tali ente fiat ens simpliciter, propter necessariã connexionem, quam habent ens simpliciter, & tale ens, conceditur, quòd fiat ens simpliciter, sed semper per accidens, .i. præter intentionem agentis.

Quòd autem sit hęc responsio Arist. verificatur in exemplo dato *tex. 76.* vbi legitur, quod si fiat canis ex equo, quia hoc non potest fieri nisi simul fiat animal, propter eandem rationem, quòd in ente, canis fit per se, vel tale animal per se; animal per accidens, & hoc, quia, vt ibi dicitur, iam animal prius est, ergo si ibi contra antiquos ens accipitur vt existens, existentia est formale significatum entis, ergo, &c.

Secundo. Illud est formale significatum, quod est actualissimũ in re, cuius ratio formalis quæritur, quia actus est qui distinguit, & separat *7. meta. tex. 49.* ergo rationalitas, quia vltimus actus constituẽs hominem est formale significatum homi-

hominis, secundū quòd homo; sed ens, quod dictum est esse compositum ex esse, & essentia, habet existentiam, quæ est vltima actualitas comparata essentiæ, vt quid potentiale, ergo existentia est formale significatum entis. non dico formale essentiale, vt dictum de rationalitate in ordine ad hominem, quia existentia ex iam dictis non est de essentia rei; nec formale accidentale, vt est de albedine in ordine ad albū, quia existentia non est accidens, sed formale, idest, substantiale prædicatum, quia constituitur per principia propria generis, differētię, & per alia principia propria eius, quod est in prædicamento substantiæ, ergo, &c.

Hic, ne falli contingat, considerandum, quòd aliud est loqui de solo, & simplici formali significato entis, aliud de ratione formali entis, secundum illud totum, quod includitur in totali, & completa ratione ipsius. Primo modo intelligitur, quòd existentia est formale significatum entis, quia existentia, in compositione cum essentia, vt dictum est, habet rationem actus, immò est actualissima actualitas &c. & semper illud, quod habet rationem actus in hoc sensu, est formale significatum rei, vt rationalitas in homine. Secundo modo, ens formaliter significat naturam, siuè essentiam, & quidditatem, intrinsecè, & essentialiter proportionatam ad esse, quod sic declaratur; & probatur.

In ente tria considerantur, primum id, quod est, velut forma, habens rationem actus, & constituens tale ens in esse specifico, & formali, secundum id, quod est velut materia habens rationem potentiæ, & quod constituitur in esse formali, tertium id, quod significat vtrumque, compositum, scilicet ex potentia, & actu, tamquam vnum per se, vt in ente finito, vel quid proportionaliter se habēs ad ens finitum, vt in ente infinito, de quo demptis imperfectionibus, potentiæ, compositionis &c. verificatur essentia, existentia, & totum, quod dicit vtrumque. Ens

Ens ergo participaliter, quod diuiditur vt quid superius ad substantiam, & accidens, non significat solam existētiam, nec solam essentiam, sed compositum ex essentia, & existentia modo exposito, non tamen vtcūque, sed quatenus vnum essentialiter ordinatur ad aliud in ratione potentiæ, essentia .s. ad existentiam, & aliud essentialiter ad vnum in ratione actus, existentia .s. ad essentiam.

In ratione actus, & potentiæ, quia nō aliter compositum potest esse vnum per se nisi componentia vniantur secundum rationem actus, & potentiæ *2. de Anima t. 7.*

Tamen quia verba Aristo. 2. *Poster C.* 5. videntur facere difficultatem, ibi namque Aristo. manifestè arguit modum probandi quid est per diffinitionem contrarij, quo nos vsi sumus ad inferendam rationem formalem accidentis.

Ideo sciendum, quod Aristo. arguit talem modum procedendi, quando per solam, & simplicem rationem formalem vnius cõtrarij quis faceret syllogismum ad probandum rationem formalem alterius contrarij, tum quia vt ibi dicitur in tali syllogismo interuenit petitio principij, tum quia ex æquali natura contrariorum sequitur, quòd non magis vnum arguat aliud, quam aliud vnum, contra naturam syllogismi, in quo non possunt inferri principia ex conclusione, sicut conclusio ex principijs. Verum si vnum ex contrarijs fuerit aliunde probatum, quam per rationem alterius contrarij, sicut fecimus in præsenti, quia si modo probata est ratio formalis accidentis ex opposita ratione substantiæ, ratio formalis substantiæ aliundè, quàm per oppositam rationem formalem accidentis probata fuit. quare non modo tollitur petitio principij, & demonstrationis circulus, sed ex modo procedendi Aristotelis in similibus probatur sufficiẽs ratio rei ex opposita contrariorum ratione formali, etenim ipsemet Aristo. 1. *Posteriorum C.* 5. quando probauit, quòd

demonstratio sit ex his, quæ sunt per se, quia ex necessarijs, & ex necessarijs, quia ex his, quæ per se, euitauit circulum, quia non accepit esse ex necessarijs solum, quia ex his, quæ per se, sed ex necessarijs, propter additam diffinitionẽ scire, quam posuerat 1. *Poster. C.* 2. inferendo ex tali diffinitione scire, *quare cuius simpliciter est scientia, illud impossibile est aliter se habere*, ergo, &c.

## *Quæ sit ratio formalis entis, secundum quòd abstrahit à substantia, & accidente.* Cap. XI.

IVxta ordinem propositum Cap. 3. restat, quod ascendendo à particularibus rationibus Dei substantiæ, & accidentis, videamus, quæ sit ratio formalis communiter dicta de substantia, & accidente ex vna parte, ex altera successiuè, quæ sit etiam ratio communis Deo, & alijs omnibus, quæ sunt in vniuerso. Qualiter etiam ens, ad quod omnia realia resoluuntur, & eidem rationes proprias addunt, de omnibus prædicetur, vniuocè, æquiuocè, vel analogicè, mediatè, vel immediatè, quidditatiuè, vel denominatiuè, etiam de passionibus, & vltimis differentijs.

Quòd pertinet ad primũ, facilè est cognoscere, quòd entis ratio formalis, quæ dicitur de substantia, & accidente sit esse, seu existere, limitatum tamen, & finitum, tum quia si ex dictis C. 5. existẽtia est formale significatum entis, nec non existẽtia; & esse comparantur ad inuicem, sicut abstractum, & concretum, semper sequitur, quod ratio formalis entis, quod dicitur de substantia, & accidente, sit esse, seu existere, tum quia ens participaliter acceptum, de quo maximè intendimus, desumitur ab esse, & existere; tum quia 3. *Meta. tex.* 14. ab Aristo. diuiditur ens, secũdum quòd diuersimodè significat esse; tũ quia Aristo. quoties datur occasio ma-

nife-

nifestandi ens, semper vtitur dictionibus, quod est, etenim legitur 2. *de Anima tex.* 2. *Dicimus itaque vnum quoddam genus eorum, quæ sunt, substantiam. In prædicamentis etiam* & 3. *Phys. tex.* 3. vbi dat diuisionem entis legitur. *Eorum, quæ sunt.* Tum vltimò, quia si ens est omnium communissimum illorũ, quæ in mente cadere possunt, iam esse, siuè existere, quod nullum essendi modum sibi determinat, sed ad omnia semper indeterminate se habet, erit illud, quod complet rationem formalem entis. Limitatum, & finitum, tum quia solus Deus est ens infinitum, vt supra C. 4. tum quia si esse substantiæ, & accidentis foret infinitum, iam substãtia, & accidens, non essent limitata ad certum genus, & certum etiam essendi modum; Tum quia illorum quodlibet esset suum esse ex dictis C. 4. Tum vltimò, quia omnia in vniuerso essent infinita entia, quia omne superius quidditatiuè, & essentialiter de inferioribus dicitur, ex *Porphyr. C. de specie,* ergò facilè est scire, quod ratio formalis talis entis est esse, & existere.

Difficillimum tamen vtcumq; attingere id, quod maximè intus reconditum est in dicta ratione formali entis. Tum quia *Met.* 1. *C.* 2. maximè vniuersalia sunt difficiliora, Tum, quia termini Metaphysicales abstracti abstractione formali, quales sunt illi, de quibus in præsenti, esse .s. & existere, via resolutionis sunt à nobis vltimò cognoscibiles; Tum quia diuersissima opinionum multitudo in quacũque re, semper difficultates maximas solet arguere, ergo, vt quod principaliter quærimus, aliqualiter consequamur, necessarium est, quòd dirigamus sermonem ad secundum ex propositis, ad modum .s. prædicandi, quem exercet ens, quandò dicitur de substantia, & accidente, ex dicendis si quidẽ apparebit, & modus prædicandi entis, & quod magis est simul, & semel clarius euadet illud, quod intimè clauditur in ratione formali entis.

Scien-

Sciendum ergo, quantum pertinet ad analogiam entis, vt dicitur de ſubſtantia, & accidente, quòd duo poſſunt conſiderari in accidente; primum ens reale, quod ponit tale ens in accidente, etenim accidens verè, & realiter eſt ens, nullo intellectu conſiderante; ſecundum reſpectus ad ſubſtantiam in conceptu accidentis incluſos, etiam vt ens.

Si ſecundo modo, nulla ratio communis, eſt abſtrahibilis à ſubſtantia, & accidente, quæ formaliter, & intrinſecè de ipſis verè affirmari poſſit, quia ſicut terminus ſanitatis ſolum formaliter dicitur de animali, tamquam de ſubiecto, in quo ſaluatur formaliter ratio ſanitatis, de medicina autem, & de vrina, extrinſeca denominatione, propter ſimplicem reſpectum, quem diuerſimodè habent ad animal, medicina, vt efficiens, vrina, vt ſignum ſanitatis, numquam tamen formaliter, & intrinſecè ſana, neceſſarium eſt etiam, quòd ens, quatenus importat in accidentibus, & alijs rebus à ſubſtantia, varios reſpectus ad entitatem, quæ in ſubſtantia, iuxta illud 7. *Meta. t. 2. quædam enim, quoniam ſubſtantiæ entia dicuntur, quædam quoniam paſſiones ſubſtantiæ, quædam, quoniam via ad ſubſtantiã, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua ſubſtantiæ, &c.* quòd ſi ens in accidentibus dicit ſolum reſpectum ad ſubſtantiam, quæ verè, & formaliter intrinſecè eſt ens, ergo accidens ſolum erit ens ſecundum extrinſecam denominationem, ergo in ordine ad ſubſtantiam, & accidens hoc pacto, nihil datur niſi vox communis, cum identitate tamen termini diuerſimode reſpecti; ergo tale ens ſignificat ſimpliciter, & abſolute id, quod habet entitatem formaliter, & intrinſecè, tãquam ſubiectum .ſ. ſubſtantiam; alia verò prædicamenta accidentis, confusè per reductionem ad ſubſtantiam, vel quia paſſiones, vel via ad ſubſtantiam, &c. vt dictum eſt ad mentem Ariſto. 7 *Meta. t. 2.* ergo,

sub hac consideratione ens est analogum analogia attributionis ad substantiam, & accidens,

Quòd si primo modo, quia accidentia verè, & realiter sunt entia, non solum vt passiones, & vt via, &c. sed quia etiam assimilantur cum substantia in tali entitate reali, quia verè, & formaliter vtrumque habet esse reale, nullo intellectu considerante, ergo à particularibus rationibus, de quibus dictum est supra, est abstrahibilis hoc pacto vnus conceptus communis omnibus, quia semper quæ eidē eadem, inter se eadem; Verùm quia talis identitas, siuè similitudo non est eiusdem rationis simpliciter, sed proportionaliter tantum, sicut ex dicendis apparebit, ergo talis conceptus non est vniuocus, sed analogus, & proportionalis ad substantiam, & accidens, ergo ens secundum hanc primam considerationem est analogum proportionale.

Quare, ratio formalis proportionaliter cōmunis, à proprijs, & distinctis rationibus formalibus, substantiæ s. & accidentis abstracta, erit conceptus entis, dicens, & significās, naturas substantiæ, & accidentis proportionatas ad sua esse .i. conueniunt quidem, vt ex supradictis patet substantia, & accidens in hoc, quòd ambo dicunt ens compositum ex essentia, & existentia, componentia cum his, & quatenus in omnibus essentia comparatur ad existentiam, vt potētia ad actum, & quatenus etiam in omnibus existentia est vltima actualitas realiter distincta, & tandem conueniunt, quòd formale significatum, & ratio formalis entis illorum est esse, seu existere, desumptum ab existentia, tamen quia talis conuenientia circa prædicta, non est eiusdem rationis simpliciter, vt in vniuocis, sed solum proportionaliter, quia sicut ens in substantia se habet ad suam essentiam, & existentiam, & ambo ad inuicem, modo exposito, sic proportionaliter ens in accidente ad suam essentiam, & existentiam,

&c.

&c. quod nil aliud est, quàm dicere, quòd naturæ substantiæ, & accidentis sunt proportionatæ ad sua esse, & ad omnia, quæ complent rationem formalem entis illorum, ergo iterum ratio formalis communis substantię, & accidenti, est conceptus entis abstrahens, & nihil includens simpliciter de particularibus rationibus illorum, quatenus s. sunt inter se distinctæ rationes, sed solum, vt eædem proportionaliter.

Hoc, quod dicitur, manifestum redditur exemplo ossis, sepionis, & spinæ, de quibus Aristo. 2. *Poster. c.* 10. Constat siquidem, quòd licet hæc tria conueniant in hoc, quod est sustinere carnes, tamen quia non æqualiter ossa, sepiones, & spinæ sustinent, vt de se patet, non abstrahitur communis conceptus vniuocus ab illis, quòd sit sustinere carnes, cui conceptui vniuoco addantur differentiæ ad tale sustinere, secundùm quòd diuersimodè sustinent carnes, sed quia solum proportionaliter conueniūt in sustinere carnes, sic talis conceptus sustinendi carnes ibidem ab Aristo. dicitur analogus.

Idem est de ente, licet namque substantia, & accidens conueniant in hoc, quod est habere esse, seù existere, tamen quia hoc solùm est proportionabiliter, talis conceptus, quod est habere esse, siue existere est solùm communis proportionabiliter; & si tamē quis vellet facere illud tale commune, per opus intellectus, ita quòd nec simpliciter, nec proportionabiliter etiam includerentur rationes particulares substantiæ, & accidentis, semper talis conceptus esset cōceptus quid nominis, nunquam quid rei, quia sicut hæc vox, Ilias, confusè significat id, quod magis distinctè manifestatur per hæc verba, Poema de Historia Troiana, & tamen æqualiter ambo pertinent ad quid nominis, vt dicitur 2. *Poster. cap.* 7. Etiam illæ duæ dictiones, quid est, erunt manifestatiuæ nominis entis, & semper conceptus formatus per tales voces,

quid

quid est, tamquã per vniuersale, quod totaliter abstractum velut nihil, & omnino includens de membris particularibus entis, semper dico habebit rationẽ quid nominis, nunquam quid rei, sicut requiritur in conceptibus fundantibus vniuocam similitudinem.

*Quæ sit ratio formalis entis, vt communis Deo, & alijs omnibus, quæ sunt entia realia.* Cap. XII.

SIcut in præcedenti dictum est, quòd ratio formalis entis, quod dicitur de substantia, & accidente nil aliud est; quam esse, seu existere, finitum tamen, & limitatum, in præsenti, quia Deus est infinitum ens, cætera vero sunt entia finita, necessarium est etiam, quòd ratio formalis entis, quod dicitur de Deo, & alijs realibus, sit esse, seu existere, quatenus tamen tale esse, seu existere proportionaliter abstrahit à finito, & infinito esse In hac re non cadit difficultas, quia quod pertinet ad esse, seu existere, cõstat, quod verè existit Deus, & cætera quæcumque realia, nullo intellectu considerante, quàmuis existere aliarum rerum sit ex dependentia, quã habent omnia ab ipso Deo, vt probatum est C. 3. Quod pertinet etiam ad abstractionem à finito, & infinito, adhuc constat, quòd si non fieret talis abstractio saltem proportionalis, iam particulares modi essendi, finitè .f. & infinitè includerentur in ratione cõmuni essendi, etiam secundum quòd ad inuicẽ sunt distincti, quod implicat contradictionem, quia diuisio entis per finitum, & infinitum est per repugnantia. Nihilominus, vt quidditas, & intima essentialia huius rationis formalis entis, magis quam per me fieri possit, percipiantur, explicanda, necnon pro viribus sustinenda est præsens conclusio.

Conceptus entis communis Deo, & omnibus, quæ sunt

entia realia non prædicatur de illis,nec æquiuocè, nec vniuocè, sed analogicè.

Non prædicatur æquiuocè, quia in æquiuocis nihil interest, vtrum res isto, vel illo nomine appelletur, quia si sunt æquiuoca, iam nulla conuenientia datur, secundum quam magis hac, vel illa voce sit nominanda, & tamen nomina à rebus desumpta, non æqualiter coaptantur ad significandum Deum, etenim multa formaliter de Deo; *Quod est viuens* 12.*Meta.tex*.39.*quod est sapiens* 2.*de Anima tex*.80. *quod est intelligens, immo suum intelligere* 12.*Meta.tex*.51. multa vero nullo pacto affirmantur de Deo, quòd sit lapis, equus, &c. quamuis sit omnium causa, eo quod locutio in huiusmodi, vel est symbolica, vel habens fundamentum in simplici hominum fama, iuxta quem modum dicitur 12. *Meta. tex*.39. *quòd Deus est animal sempiternum*, non tamen quia animal, quod intrinsecè includit sensum, formaliter possit, dici de Deo, quia hoc repugnat summæ perfectioni Dei; sed animal solum, in quantum vita competit animali, & vita etiam apud nos maximè apparet in animalibus.

Non prædicatur vniuocè, quia in quacumque ratione vniuoca, semper conceptus est communis secundum rationem substantiæ, siuè essentiæ, aut quidditatis, distinctus autem secundum distinctionem, quam habent vniuoca in ordine ad illorum esse, quod tamen non verificatur in Deo, quia, vt supra, Deus est suum esse.

Relinquitur ergo à sufficienti diuisione, quòd ens prædicetur analogicè de Deo, & cæteris rebus, quod tamen vt intelligi possit, considerandum est.

Primò, quòd licet dictum sit à nobis supra, quòd ens est analogum ad substantiam, & accidens, non tamen sic est, accipiendum, quasi quod conceptus entis diuidatur in Deum,

Deum, & prædicamenta, & ens, quod descendit in prædicamentis, secunda diuisione diuidatur in substantiam, & accidens, sicut animal prius diuiditur in hominē, & in equum secundo homo in Petrum, Franciscum, &c. talis enim diuisio entis non est admittenda. Tum quia rueret ratio analogiæ, & ens diceret conceptum vniuocum sicut animal ad sua inferiora, tum quia tales diuisiones entis non fiunt, quia detur aliqua natura media, secundum quam descendat ad inferiora, sed immediatè semper de omnibus prædicatur, etenim Aristo. 8. *Meta. tex.* 16. ad probandum, quòd in substantijs separatis, statim vnumquodque illorum est vnum aliquid, accipit exemplum entis in ordine ad substantiam, & cætera prædicamenta, & facit hanc illationem ab exemplo. Sicut ens non expectat aliqnid, vt fiat hoc .f. substantia, vel quantitas, sed statim est à principio, vel substantia, vel quantitas, sic separata sunt vnum aliquid; tum quia diuisio, quæ datur de ente, secundum quam dicitur, vel finitum, vel infinitum, finitum, vel substantia, vel accidens, quæ posset facere difficultatem in hac re, non datur in hoc sensu, qua si quòd enti diuiso addatur aliquod extraneum à natura entis sicut differentiæ addūtur generi, vel accidens subiecto, quia in hoc sensu, ens esset genus, contra Aristo. 3. *Meta. tex.* 10. & contra Porphyrium *Cap. de specie*; sed quia id, quòd additur, solum exprimit aliquem modum entis, qui explicitè non exprimitur si accipiatur nomen entis absolutè, quare si propter speciales modos, quibus consideratur ens, fiunt supradictæ diuisiones entis, in finitum, & infinitum, & finitum in substantiam, & accidens, semper ens immediatè de omnibus dicitur.

Considerandum secundò, quòd duplex analogia; vna secundum determinatam habitudinem, vel distantiā vnius ad alterum, sicut medicina, secundum determinatam habi-

tudinem causæ ad sanitatem animalis, vrina, secundum determinatam habitudinem signi ad eamdem animalis sanitatem; Altera secundum similitudinem duarum proportionum ad inuicem, sicut supradictũ est de osse, sepione, & spina, circa sustinere carnes.

In Deo itaque non est Analogia primo modo, quæ dicitur Analogia attributionis, tum quia finiti ad infinitum non est determinata distantia, quæ tamen sequitur in analogia attributionis, tum, quia si diffinienda prædicamenta, semper in diffinitione illorum data secundum terminum analogum, idest secundum quòd entia, Deus necessariò includeretur, sicut in diffinitione vrinæ, & medicinæ, inquantum sana solet dici, quòd sunt sana, quia causatiua, vel signa sanitatis, & in diffinitione hominis picti, quòd est imago animalis rationalis, & tamen constat, quod Deus non cadit in diffinitione ipsorum, etiamsi secundum, quod entia accipi contingat.

Igitur Analogia Dei, & cæterorum entium est analogia secundo modo, quæ dicitur Analogia proportionalitatis, & consistit in hoc, qnod sicut hoc ad illud, sic aliud ad aliud, etenim verè, & realiter, sicut Deus ad suum esse, sic alia ad sua esse; dico Deum, & reliqua entia habere proportionalem similitudinem ad sua esse, quamuis inter illa sit infinita distantia, etenim maxima, & minima distantia non aufert proportionalitatem, nec proportionum similitudinem, quia sẽper dupla proportio, proportionaliter saluatur inter duo, & vnum, sicut inter mille millia, & quingenta millia, immo inter quoscumq; numeros, quomodolibet excogitatos, vtrobique enim est dupla proportio.

Verum potest fieri talis instantia, quomodo similitudo proportionis inter Deum, & alia realia, secundum quã ens tali proportione prędicetur realiter de ipsis, quia alia ab ipso

ſo Deo, ita ſe habent ad ſua eſſe, quòd, eſſentia omnium eſt realiter diſtincta ab exiſtentia, nec non habent rationem actus, & potentiæ, & alia de quibus ſupra. Deus autem nihil habet ex his, quia eſſentia eſt ſuum eſſe, & eſſe Dei ſua eſſentia.

Reſpōdetur, quòd diſtinctio inter proportionalia eſt duplex, quia illorum quædam diſtinguuntur realiter, quędam virtualiter, vel ſecundum rationem ratiocinatam, primo modo ſubſtantia, & accidens, ſecundò modo illa, quæ identificantur realiter in aliquo, tamen nullo intellectu conſiderante habent, quod fundent, & cauſare poſſint plures conceptus, vt eſt de luce ſolis, quæ fundat virtutem calefactiuam, & exſiccatiuam, quamuis non ſint duæ res, realiter inter ſe diſtinctæ, ſed duæ rationes formales eleuatæ in luce ſolis, tamquam in re altioris ordinis, quare licet proportionalitates, requirant diſtinctionem, quia ſemper proportionalitas eſt inter quatuor terminos, tamen ſi non adſit diſtinctio realis ad ſaluandam proportionalitatem ſufficit diſtinctio virtualis, vnde ſicut dicimus, ignis ſiccitate exſiccat, quod non calefacit, ita proportionaliter ſol ſiccitate exſiccat, quod non calefacit; ergo ſunt proportionalia ignis, & ſol ad exſiccandum; à ſimili poſſumus dicere, ſicut Deus ad ſuum eſſe, ſic reliqua entia ad ſua eſſe.

Quando in argumento dicebatur, quomodo ſimilia. Reſpondetur, quòd ſicut ſupra aliud eſt loqui de particularibus rationibus, vt ſunt diſtinctæ in Analogis, aliud quatenus habent ſimilitudinem proportionalem, differentia inter eſſentiam, & exiſtentiam Dei, & cæterorum, de qua in argumento, eſt illa, à qua abſtrahitur ens analogicè dictum de Deo, & cæteris rebus per modum tamen Analogi, quæ non impedit analogam ſimilitudinē, immò ſine ipſa nulla analogia haberi poteſt, vnde ſicut non tollitur, quòd os, ſepion,

&

& ſpina, non ſint analoga proportionalia,quamuis inter ipſa ſit talis diuerſitas in ſuſtinere carnes;item in ſole; & igne, quo ad exſiccare,quamuis diuerſitas inter ipſa,quia in igne realiter diſtinguuntur, in ſole virtualiter, ſic in Deo, & alijs analogatis ſaluatur ratio proportionalitatis, licet fundamenta in alijs, à Deo diſtinguantur realiter, in Deo virtualiter, ergo, &c.

*Quæ, & quo ordine ſint ſucceſſiuè tractanda neceſſaria pro ſuſtinenda doctrina iam tradita circa Analogiam entis.*
*Cap. XIII.*

IN ſuperiori proximo capite aſcendendo à particularibus ad vniuerſalia peruenimus quidem ad formaliſſimam rationem entis, tum proportionaliter diſtinctã, & abſtractam à proprijs, & formalibus rationibus Dei, ſubſtantiæ, & accidentis, tum eiſdem etiam communem ſecundum attributionem, verumtamen, quia aliquis fortè (quamuis irrationabiliter) arguendò poſſet affirmare,quod ex prædictis potius dicitur quæ, & qualis ſit analogia entis ad omnia,quam quod rationibus demonſtratiuis illud quod dicitur, ſufficienter oſtendatur, & comprobetur. Inde pro ſufficienti cognitione veritatis propoſitæ, necnon vt completè ſatisfiat omnibus, qui oppoſitam ſententiam ſuſtinent, iterum aggrediendo analogiam entis,amplius addendo circa ipſam maximè conſiſtentia,noſtræ partes erũt proponere rationes, quæ contrafacere videntur, veritatem habitam confirmare, atq; rationibus contrarijs ſatisfacere. Cæterum, quia completa cognitio Analogicæ prædicationis ipſius entis haberi non poteſt, niſi cognoſcatur etiam qualiter ens immediatè, & quidditatiuè dicatur de ſuis inferioribus, immò de vtraq; Analogia, proportionali.ſ.& ſecun-

cundum attributionem, quia hucusq; à nobis habitus est sermo; Dicto itaq; in omnibus ordine seruato, primo de proportionali; secundo de illa, quæ secundum attributionem; tertiò de immediata; quartò de quidditatiua entis prædicatione verba faciemus.

*Quibus rationibus entis Analogia secundum proportionalitatem impugnari possit. Cap. XIV.*

PRo tollenda penitus analogia proportionalitatis ab ente, quia tres cõclusiones, quis forte probare contenderet. Primò, quòd ens dicitur æquiuocè de omnibus; Secundò, quòd vniuocè; Tertiò, quòd nec æquiuocè, nec vniuocè, nec analogicè de ijsdẽ prædicari potest, ad arguendam itaq; earumdem conclusionum veritatẽ dubitatur ordine, quo infra.

Videtur ante omnia dicendum, quod ens prædicetur æquiuocè de suis inferioribus ex his, quæ sequuntur.

Primò non dicitur vniuocè de ente nominaliter, & participaliter, tum quia illud significatur, absq; temporis differentia, istud, non nisi quatenus in tempore, vel quauis alia mensura existit; tum quia illud idem pertinet ad quæstionem quid, & eamdem terminat, istud ad quæstionem si est; secundum quam concluditur esse; Non dicitur etiam analogicè, tùm quia proportionalitas saltem requirit quatuor terminos, qui tamen in hac re, nec etiam imaginari possunt, eo quòd semper vtcũq; solam retinet rationem essentiæ, & existentiæ, à quibus desumitur ens nominaliter, & participaliter, tùm quia inter essentiam, & existentiam est quidem proportio actus, & potentię, non tamen proportionis similitudo, vt patet ex terminis, & tamen analogum dicit proportionalitatem, & proportionis similitudinem, iuxta analogi

logi rationem ab omnibus acceptam, ergo cum non detur alius modus prædicandi, quam æquiuocè, vniuocè, & analogicè, ens debet prædicari æquiuocè de ente nominaliter, & participaliter, ergo etiam de prædicamentis, & alijs inferioribus æquiuocè, quia, vt supra prædicamenta dicunt ens compositum ex essentia, & existentia, & ex æquiuocis, non nisi æquiuoca veniunt, & resultant; ergo etiam de Deo, & prędicamentis, quia dictum est, quod distinctio virtualis essentię, & existentiæ in Deo idem præstat, quod distinctio realis, quæ inter cætera datur, ergo, &c.

Secundò, de æquiuocis fiunt similes demonstrationes quæ in vniuocis, & analogis fieri consueuerunt, quia, vt dicitur 2. *Poster. Cap.* 10. simile dictum de figuris, & coloribus, accipit media similiter æquiuoca, immò constat, quòd contraria contrarias habent diffinitiones, ergo nulla necessitas proportionalitatis, vt demonstrationes exerceantur de ente ergo, sola vnitas vocis erit in conceptu entis, ergo, &c.

Tertiò, Quæ prædicantur formaliter, & intrinsecè de vno, & secundum extrinsecam denominationem de altero, sunt æquiuoca, quia implicat sic prædicari, & non habere diuersam rationem, quod est æquiuocorum ratio formalis, sed sex vltima prædicamenta dicuntur de prima substantia extrinseca denominatione, vt constat, ergo ens, quod transit, & imbibitur in ipsis, extrinsecè etiam de prima substantia prædicabitur, ergo saltem æquiuocum ad substantiam, & sex vltima prædicamenta.

Quartò. Rationes propriæ analogatorum, etiam secundum illud nomen analogum sunt contrariæ, quia superiora, non nisi per differentias contrarias diuiduntur, *Porphyrius de Differentia. Aristo.* 10. *Meta. Tex.* 23. ergo impossibile secundum rationem vniri, quia contraria inuoluunt contradictionem 4. *Meta. Tex.* 27. ergo in conceptu entis sola vox com-

communis, & sic æquiuocum. Si dicatur, quòd illæ analogatorum rationes includuntur proportionaliter; contra

Vel includuntur contrariæ rationes entis, v.g. in se, & in alio, quantum ad contradictionem, quam habent, vel vt abstrahunt à tali contradictione, etiam in conceptu proportionali. Si primò, ergo adhuc contradictoria in eodem, vel saltem inter contradictoria; medium inter esse dico, quod ponitur per affirmationem vnius modi diuidentis ens contrarie, & non esse eiusdem modi prius affirmati ex positione oppositi modi adhuc affirmati, eo quod opposita se inuicem semper negant, & destruunt; Si secundo, ergo ab essentiali contrarietate illorum est abstrahibilis communis cõceptus, etiamsi proportionalis appelletur; quod tamen est falsum, quia nihil abstrahit à re, quæ illi essentialiter conuenit, & quatenus fieri posset talis conceptus, numquam tamen analogus, sed semper vniuocus, ergo, &c.

Videtur quòd ens prædicetur vniuocè de inferioribus, vt infra.

Primò, Abstractio ab omni, & quacunque materia vniuocè conuenit omnibus consideratis in Metaphysica, alias non esset illorum ratio formalis obiecti, vt obiectum; vlterius, eadem abstractio est vna secundum speciem specialissimam, scibilitas etiam, quia non nisi vnam secundum speciem specialissimam est Metaphysica, item modi sciendi nil aliud sunt, quam propriæ differentiæ scibilis in eo, quod scibile, ergo ens est vniuocum, tum quia non aliter ens fundat talem abstractionem in Metaphysica, nisi quia est tale ens, & talis quidditas, tũ quia ratio formalis obiecti, vt obiectũ, est proprietas obiecti, vt res, & proprietates pluralitatem, & vnitatem habent ex subiecto, quia, vt dicitur 1. *Poster. C.* 12. Vnius effectus non possunt plures causæ assignari.

Secundò: A reali, & rationis est abstrahibilis vnus con-

ceptus vniuocus, quia cum sit relationis essentia solum ad aliud, non minus est vera relatio rationis, quam realis, ergo ab accidente, & substantia est abstrahibilis conceptus entis vniuocus, quia magis conueniunt in ente prædicamenta, quam realia, & rationis, ergo, &c.

Tertiò. Vnum quia dicit formaliter solam negationem diuisionis, & nihil aliud formaliter addit supra ens, est vniuocum ad prædicamenta, quia nec etiam fingi potest, quæ sit inæqualitas diuisionis negatæ inter prædicamenta, eo quòd negatio ex sui formali ratione, aut tollit rem negatam aut non est negatio, quia inter ens, & non ens, non est medium, ergo ens, quod est subiectum, & causa formalis per se, & adæquata vnitatis, est vniuocum ad prædicamenta, quia, vt supra vnius effectus nõ possunt assignari plures causæ per se, & adæquatè.

Quartò. Essentia cuiuscumque generis, & speciei, vniuocè dicitur de suis inferioribus, ergo etiam existentia; quia iuxta variam essentiam rerum, varia est etiam illarum existentia; vt in exemplo Dei, intelligentiarum, & accidentis, sed existẽtia est formale significatum entis ex habitis, C. 5. ergo ens dicitur vniuocè.

Quintò. Forma mixti est eque perfecta in omnibus partibus, quia quælibet pars mixti est mixta 1. *de generat. Tex.* 86. ergo etiam entitas mixti potest cõcipi vniuocè abstracta ab omnibus partibus mixti. Idem euenit in indiuiduis substantiæ, comparatis ad suas species specialissimas; Idem in accidentibus, diaphaneitate, raritate, &c. ad suas species specialissimas comparatis: Idem in quantitatibus, vtcumq; acceptis, quia facta illorum diuisione in partes æquales non est fingere quantitatem, & inde nec entitatem perfectiorem in vna, quam in altera, ergo in his omnibus ens dicitur vniuocè; quia à quibuscũq; similibus simpliciter est abstra-

hibi-

hibilis conceptus vniuocus, ergo, &c.

Sextò. Vel modus est essentialiter idem cum re, cuius est modus, vel non, si primo ergo ens non abstrahit à modis, quibus diuiditur, & secundum quos prædicamenta constituuntur, quia nihil potest abstrahi à re, quæ essentialiter includitur in ipso, vt homo, ab animalitate, & sic ens hoc pacto non erit superius ad prędicamenta contra omnium sententiam. Si secundò ita, quod modi entis non contineantur essentialiter in ente, ergo ens potest perfectè, & distinctè cognosci, & abstrahi ab istis modis, quia quęlibet res perfectè, & distinctè cognoscitur absque quacumque alia re non essentiali, eò quòd diffinitio, quæ perfectè explicat rem non nisi essentialia includit, ergo vniuocè, &c.

Septimò. Nihil est vniuocum ad omnia nihil, quia si aliqua diuersitas, iam aliquid in vno, quod non in altero, & sic alterum illorum saltem non esset nihil, ergo ens est vniuocum ad omnia entia, quia sic ens diceretur multipliciter, & nihil simpliciter, quod tamen est falsum, quia quot modis dicitur vnum oppositorum, totidem & reliquum *primo Topicorum C.* 13.

Octauò. Dentur duæ quantitates continuæ habentes proportionem duplam ad alias duas quantitates, verùm non ita facile sit cognoscibilis illarum certa quantitas, in tali casu intellectus erit certus de conceptu duplæ proportionis, incertus de similitudine excessus propter incertitudinem quantitatis, quia stat, quòd cum proportione dupla inter dictas quantitates sint duæ quantitates, adeò secundum quid minimum differentes, quòd remaneat incertitudo æqualitatis, & inæqualitatis, quæ forte est inter ipsas, ergo ille conceptus certus proportionis duplæ est vniuocus, eo quòd ex incertitudine dissimilitudinis circa determinatam quantitatē non est possibile, quòd diuersitas quantitatis includa-

tur etiam proportionaliter in conceptu certo proportionis duplæ, ergo idem erit de substantia, & de accidente, quare si datur conceptus certus entis, incertus substantiæ, & accidentis, talis conceptus entis erit vniuocus, ergo, &c.

Nonò. Dentur duo proportionalia ex vna parte habentia proportiones, & differentias terminorum æquales, vt duo octo comparata ad duo quatuor ex vna parte, dentur ex altera duo alia proportionalia habentia proportiones æquales inter se, & quatenus comparantur etiam cum præcedentibus, habeant tamen differentias terminorum inæquales, vt duodecim ad sex ex vna, & decem ad quinque ex altera, modò quia conueniunt in specie proportionis, eo quod æqualiter habent proportionem duplam, differunt autem propter inæqualitatem terminorum, etenim duo proportionalia duodecim, & sex decē, & quinq; cum similitudine specifica proportionis includunt terminorum differentiam, prima autem in specie proportionis conueniunt, sicut secunda, & adhuc differunt ab ijsdem, propter æquales terminorum differentias, quas habent, ergo à primis, & secundis est abstrahibilis conceptus proportionis duplæ, vt constat ex cognitione terminorum, ex quibus sic arguitur. Hic tertius conceptus proportionalitatis duplæ, communis omnibus, vel est analogus ad prima, & secunda analoga proportionalia, vel vniuocus; Si analogus, ergo prima proportionalia duo octo, & duo quattuor sūt vniuoca, & analoga simul in specie ꝓportionis duplæ analoga, quia dicitur quòd tertius cōceptus cōmunis omnibus est analogus, & omne superius essentialiter, & formaliter prædicatur de inferioribus; Vniuoca etiā, quia stante similitudine in specie proportionis, & inæqualitate terminorū in omnibus seruatā, etenim sunt duo octo, & duo quattuor nūpotest imaginari, quę dissimilitudo inter illa impediat vniuocā similitudi

nem,

nem; quod si vniuocus hic tertius conceptus, ergo vniuocè prædicabitur de primis, & secundis etiam & sic proportionalitas inter duodecim, & sex ex vna; decem; & quinque ex altera est proportionalitas vniuoca, ergo quidquid sit de proportionalitate inter substantiã, & accidens in ratione entis, adhuc ens est vniuocum ad omnia, & semper saluatur ratio vniuoca entis, licet sit diuersus modus participandi entis in substantia, & accidente, ergo, &c.

Decimò. Et est cõfirmatio etiã præcedentis. Conceptus communis ad duo, quorum vnum habet differentias terminorum æquales, vt duo octo ad duo quatuor, aliud verò terminorum easdem differentias inæquales, vt duodecim, & sex, decem, & quinque non nisi vniuocè prædicatur de omnibus, quia habere, & non habere differentias terminorum inæquales implicat, quòd includatur in eodem, quia idem non potest affirmari, & negari de eodem, ergo ille tertius conceptus proportionalitatis duplæ, de quo in præcedenti est vniuocus ad omnia dupla, ergo idem etiam in ente, vt supra, si quis diceret, quòd non est implicantia, quia in illo tertio conceptu includitur inæqualitas terminorum proportionalis non includitur simpliciter. Contra

Si inæqualitas proportionalis terminorum, quæ est in secundis includitur in tertio conceptu communi, ergo etiam æqualitas proportionalis terminorum, quæ est in primis, erit in eodem tertio conceptu communi ad prima, & secunda, idest ad duo octo, & duo quatuor ex vna, & ad duodecim, & sex decem, & quinque ex altera, quia non est intelligibile, quòd vnum ex proportionalibus includatur in communi conceptu, & aliud non, quia in omnibus æqualis est ratio, ergo adhuc in eodem tertio conceptu erit non dico sola inæqualitas proportionalis, sed dico, quòd semper erit æqualitas, & inæqualitas proportionalis simul, quod est manifesta implicantia, ergo, &c.

Vnde

Vndecimò. Si Analogia proportionalitatis impediret vniuocationem, ergo prędicamentũ ad aliquid non est vniuocũ ad omnes relationes reales, quia sicut dominus ad seruum, sic pater ad filium, & tamen omnia vniuocè relatiua, ergo cum proportionali similitudine entium ad sua esse, adhuc ens est vniuocum in conceptu, quòd est, sicut omnia ad aliquid cum proportionali similitudine ad sua correlatiua, adhuc sunt vniuoca in conceptu relationis realis, ergo, &c.

Duodecimò. Si ens simpliciter analogũ, & nullo pacto vniuocũ ergo conceptus entis est formaliter relatiuus, quia analogia formaliter significat proportionem, quæ essentialiter est relatio, siuè ad terminum, siuè ad subiectum, ergo nullum dabitur ens simpliciter absolutum, quia ens essentialiter, & formaliter dicitur de omnibus ad mentem illorum, qui negant vniuocationem, sed semper omne ens relatiuum, siuè ad terminum, siuè ad subiectum, hoc maximè falsum, ergo vltra conceptum proportionalem entis ad suum esse stat conceptus vniuocus, nempe quod est, abstractus ab omni, & quocumque essendi modo imaginato, proportionati esse.

Decimotertiò. Quæstio si est distinguitur à quæst. quia in hoc, quòd hęc quęrit esse in parte, si est autẽ quęrit esse simpliciter *2. Poster. C. 1.* ergo ens secundũ sui formalissimam rationem solum includit esse simpliciter, ergo est vniuocum, quia non est intelligibile, quòd esse simpliciter absque alia additione quæratur in quæsito si est, & non cognoscatur, illud si est terminata dicta quæstione, quod tamen est necessarium succedere, si ens dicatur analogicè, quia semper in conceptu analogo, esse in parte analogatorum includendum venit, quod si sic iam non quæritur si est simpliciter, quærendo vtrum quantitas sit, sed nunquid habeat tale esse, id est tali pacto commensuratam ad suum esse, quod constat esse

quæ-

quærere in parte, etenim illa dictio sic commensurata significat esse in parte, & limitatum, non autem simpliciter, ergo, vt quæstio si est sit distincta ab omnibus quæsitis debet quærere si est abstractissimum ab omnibus essendi modis in substantia, & quantitate, ergo, &c.

Decimoquartò. Esse est vnū, & idem in omnibus. *Porph. de differentia*, ergo est vniuocū, quia vniuoca prædicantur, quorum ratio formalis est simpliciter eadem, qualis est existentia. Si quis diceret, quòd Porphyrius loquitur de completiuo rationis rei, non de existentia. Contra; si completiuum est idem, ergo etiam existentia, quia existentia comparatur ad essentiam, vt actus ad potentiam, vt dictum est capite 6. & quod est in actu, non est contrarium, sed simile ei, quod est in potentia, *secundo de Anima tex.* 57. ergo vtrumque est idem in omnibus, quia proprius actus ad propriam potentiam comparatur, & in tali potentia proportionata recipitur, ergo, &c.

Decimoquintò. In cōceptu entis diuersitas rerū, etiāsi imanentur, quatenus essentia nō est annexa inseparabiliter cum similitudine earūdē, ergo totaliter abstrahit ens ab omnibus modis, ergo est vniuocum. Antecedens probatur, & pluribus.

Primò, si annexa est inseparabiliter similitudo cum diuersitate, ergo intellectus intelligendo ens simul, & eodem actu intelligit similitudinem, & diuersitatem, ergo quatenus conueniunt in vnum, quia plura non intelliguntur, nisi per modum vnius, quod si sic, ergo similitudo, & diuersitas, vt terminant intellectum, vel conueniunt in vna similitudine, & sic non est annexa diuersitas cum similitudine, vel conueniunt in diuersitate, & sic non est annexa similitudo cum diuersitate, quia semper implicat diuersitatem fieri similem, & similitudinem diuersam, ergo, &c.

Secun-

Secundò, Si est annexa inseparabiliter diuersitas, ergo cōceptus entis perfectius explicat inferiora, quàm cōceptus generis, quia in genere nec minimum quidem sui inferioris clauditur, & semper ille conceptus est perfectior, qui plura representat actu, & ad plura se extendit, ergo, &c.

Tertiò, Si est annexa inseparabiliter diuersitas substātię, & accidentis in conceptu entis, ergo conceptus entis in substantia non potest formari sine accidente, ergo nec substantia potest intelligi sine accidente, quia ens est illud, quod primò cadit in intellectu, & illo non habito nihil cognoscitur de inferioribus, ergo substantia non est prior cognitione, vt dicitur 7. *Meta. tex.* 4.

Quartò, Si sic, ergo si vnū ens esset in vniuerso, quamuis illud esset intelligens, non posset tamen sui ipsius entitatem cognoscere propter defectum illorum, quæ deberent contineri in conceptu entis; quod est falsum, quia sic esset intelligens, & non intelligens. Si quis diceret, quòd in tali casu intelligeret solam ipsius entitatem, quia supponendo, quòd nullum aliud ens detur, tale ens non foret abstractum ab alijs. Contra siue vnum, siue plura singularia, vbicumque conceptus secundum se sit abstrahibilis, semper proprietas debet demonstrari de subiecto, vt abstrahens à particularibus 1. *Posteriorum Cap. de vniuersali*, ergo in tali casu dabitur cōceptus abstractus, absque quod includatur aliarum diuersitas, vel si non fit abstractio entis ab ente particulari, quod solum existit, sed solum quando alia imaginantur esse; idem potest dici de vniuersali Arist. quod si vnum est particulare, non est necesse recurrere ad cōceptum abstractum, sed solum quando plura continentur sub illo.

Quintò, Si sic, ergo vel omnes diuersitates includuntur inseparabiliter in conceptu entis, vel quædam solum, si quędam solum, ergo etiam nullæ, tum quia non est maior ratio

de

de vna, quam de alia, quia differentiæ simul natura diuidũt suum superius, *in prædicamentis C. de simil.*; tum quia in Physicis, si vnum corpus penetraret aliud, infinita corpora illud facere possent, tum quia 1. *de generatione Tex.* 28. si in aqua materia aeris nihil prohibet esse infinitas materias in aqua, quod si omnia, ergo necesse diffinientem omnia scire contra *Aristo. 2. Poster. Cap.* 10. & eo maximè diffiniendo, vel vtcumque describendo ens, necessarium est omnia scire, quia ens immediatè dicitur de omnibus, quæ excogitari possunt, secundum illos, qui negant vniuocationem entis, ergo, &c.

Vltimò videtur, quòd non prædicetur nec vniuocè, nec æquiuocè, nec analogicè ex infrascriptis.

Primò, esse dicit conceptum communissimũ abstractum ab omni ente reali; ergo est supra omnes, & quoscumq; modos prædicandi particulares; ergo habebit modum prædicandi communissimum, quia modi prædicandi æquiuocè, vniuocè, & analogicè sunt speciales, & semper vniuersalia vniuersalibus, & particularia particularibus sunt comparanda 2. *Physs. Tex.* 37. ergo ens non prædicatur ad modum illorum.

Secundò, vtcumque dicatur prædicari, vel hoc erit secundum conceptum confusum, vel distinctum, si secundò, quia sic conuertitur secundum singulas rationes, & entitates rerum, ergo, vt nomina conueniant rebus secundum naturam rerum, nullum simile nomen possunt habere entitates rerum, ergo ex defectu communis nominis, nec æquiuocè, nec vniuocè, nec analogicè prædicatur, quia ex diffinitione ipsorum est, quòd omnia conueniant in nomine *ex Aristo. in prædicamentis.* Si primò, ergo nec adhuc æquiuocè, &c. quia identitas, vel diuersitas rationis, quæ imaginari possit in conceptu confuso entis pro formanda æquiuocatione, &c.

non videtur, quod possit facere ad prędicari æquiuocè, &c. quia Aristo. in diffinitione ipsorum dicit se loqui de diffinitione substantiæ secundum illud nomẽ, modo constat, quod si sit diffinitio substantiæ secundum illud nomen iam non est confusa, eo quod si confusa sufficeret, iam omnia essent vniuoca, & nihil æquiuocum, quia conceptus superior genericus vniuocus est confusus inferioris, & sic inferiora, marinus v. g. & cælestis in nomine canis essent vniuoca, quia conceptus distinctus corporis est confusus substantiæ particularis ipsorum; substantiæ dico, quæ est secundum nomen canis, ergo, &c.

Tertiò, substantiæ entitas particularis cõparata ad aliam entitatem substantiæ particularis eiusdem speciei specialissimæ, talis dico entitas est eiusdem rationis simpliciter in omnibus, ergo vniuocè prædicatur de illis entitatibus substantiæ particularis, quia ex Aristo. vniuocorum diffinitio est, quod sint eiusdem rationis simpliciter. Eadem substantiæ particularis entitas, comparata ad aliam particularem entitatem quãtitatis est eiusdem rationis proportionaliter, ergo de illis analogicè prædicatur, iuxta analogorum diffinitionem, ergo idẽtitas superior ad vniuocam, & analogam identitatem, & abstracta ab illis, ab vniuoca .s. quæ est inter duas substantias particulares, ex vna, & ab analoga, quæ est inter particularem substantiam, & particularem quantitatem, ex altera, non est, nec vniuoca, nec analoga, immò nec ęquiuoca, quia si aliqua illorũ foret, dicta idẽtitas sic abstracta essentialiter prædicaretur de alijs duobus, quia ex Porphirio. *essentialiter superiora prædicantur de inferioribus*, quare vniuoca, & analoga, essentialiter æquiuoca, vel æquiuoca, & analoga essentialiter vniuoca, vel vltimo æquiuoca, & vniuoca essentialiter analoga, secundum quod quis fingeret talem identitatẽ magis habere hunc modum prædican-

dicādi, quam alium, ſed hoc eſt impoſſibile, quia rationes vniuocorum, analogorum, & æquiuocorum ſunt per oppoſita, & vnum oppoſitum eſſentialiter includit negationem alterius, ergo ens, quod eſt communiſſimum, & primo cadēs in intellectu debet prædicari de omnibus ſecundum rationem abſtractā à ratione æquiuoca, analoga, & vniuoca, ergo nec vniuocè, &c.

Quartò, Idētitas formaliter, & in cōmuni accepta eſt ſuperior ad identitatē conceptus vniuoci, & analogi, quia fundamentū ſuperioritatis acceptæ in cōmuni, ſolum ſtat in hoc, quod res ſignificata proprio nomine inueniatur eadem ſecundum rationem in omnibus, de quibus dicitur fundamentum vniuocę, vel analogicę ſuperioritatis addit idētitati ſecundum rationem ſic communiter acceptæ modum identitatis particularem, v. g. vniuocum identitatem ſecundum rationem ſimpliciter, analogum proportionaliter, ergo non ſolum ens, quod imbibitur in conceptu ſuperioritatis communiter dicti de analoga, & vniuoca ſuperioritate abſtrahit ab analoga, & vniuoca prædicatione, ſed etiam vt eſt communiſſimum ad omnes particulares rationes entis, ergo, vt ſic non prædicabitur nec æquiuocè, nec vniuocè, ergo, nec etiam æquiuocè, quia implicat, quòd detur conceptus ſuperior ſecundum eamdem rationem in pluribus, & ſit æquiuocum, ergo ens, vt communiſſimè acceptum ſic abſtrahit ab omnibus, quòd nec æquiuocè, nec vniuocè, nec analogicè prædicatur. quia. vt ſupra, communiſſimo conceptui debet conuenire communis modus prædicandi, ergo, &c.

Quintò, affirmatio, & negatio entis de eodem ente eſt implicatio, & contradictio, vt patet, ergo ens non eſt æquiuocum, quia in æquiuocis nō eſt contradictio. 1. *Periher. C.* 4.

Vlterius, ens nullum gradum exprimit ſupra naturas genericas, ſpecificas, & indiuiduales, quia vnumquodque ſta-

cum est ens, & vnum 10. Meta. Tex. 16. ergo nec erit vniuocum, nec analogum, quia implicat, quòd detur vniuocum, vel analogum absque aliqua rei, vel conceptus superioritate, ergo, &c.

## *Explicatur, & simul probatur proportionalis analogia entis. Cap. XV.*

IN hac controuersia proportionalis analogiæ entis, inter primas ponenda illarum, quæ à Metaphysicis circumferuntur, vt planè intelligatur, quod disputatur, & punctus difficultatis attingatur.

Reuocandum est in primis ad memoriam illud, quod dictum est C. 12. circa completam rationem formalem entis, quod prædicari dicitur de Deo, & omnibus prædicamentis, nempè quod tale ens nil aliud formaliter, & quidditatiuè significat, nisi naturas, & essentias rerum proportionatas suis proprijs esse modo ibi exposito, eo quod ex tali veritatis acceptione liquidò constat, quod si æqualiter, & secundum eamdem rationem simpliciter fuerint diuersæ naturæ proportionatæ cum suis esse, aderit vniuoca similitudo dictæ proportionis inter easdē naturas, sic proportionatas ad sua esse, iuxta vniuocorum diffinitionem, quod si proportionaliter solum, sola etiam similitudo proportionalis, iuxta analogorum diffinitionem.

Dico similitudinem proportionis, non tamen vt dicit relationem formaliter, sed fundamentaliter, quia sic pro fundamentaliter accepta, est illa sola, quę pertinet ad rationem formalissimam entis, ex dictis eodem capite.

Dico etiam inter naturas rei comparatas ad sua esse, non tamen si accipiantur secundum gradus speciales rerū, quantum scilicet ad rationem propriam substantiæ, animalis, hominis,

minis, &c. sed solum quantum ad formalissimam rationem entis, quia nec aliter, nec alio modo introducta est præsentis disputatio, nisi vt appareat modus prædicandi entis de suis inferioribus, secundum quod ens simpliciter, & absolutè.

Illud ergo, quod in præsenti maximè ostendimus est sustinere, quod in vniuerso non possunt dari duo entia, etiam sicut dictum, si accipiantur, siuè in vniuersali, siuè in particulari semper secundum formalissimam rationē entis, quorum essentiæ, & naturæ habeant simile fundamentum proportionis ad sua esse simpliciter, & secundum eandem rationem, secundum quod requiritur ad constituendam vniuocationem entis. hoc est primum, quod sustinemus.

Illud, quod successiuè secundo loco sustinendum proponimus est, quòd talia fundamenta proportiones naturarum scilicet ad propria esse, semper sunt similia proportionaliter.

Hæc maximè accipimus sustinenda, quia ex ipsis cōprobatis optimè sequitur illud, quod principaliter intendimus in præsenti, videlicet. Quòd ens secundum suam formalissimam rationem, acceptum solùm propriè, & formaliter, dicit, & significat conceptum proportionaliter distinctum, & abstractum à suis inferioribus, etenim semper sequitur, si datur sola proportionalis similitudo inter naturas, & esse rerum significata nomine entis, ergo non nisi analogicè modo exposito ens potest prædicari de quibus formaliter dicitur.

Considerandum successiuè, quòd vniuersale, siuè prædicabile, iuxta diffinitionem *Aristo.1. Periherm. C.5.* quia dicitur quòd de pluribus natum est prædicari, & sic essentialiter est tale in ordine semper ad inferiora, ergo secundum quod multipliciter accipi potest, id quod natum est prædicari de pluribus in ordine semper ad inferiora, totidem modis

dis vniuersale in plures modos vniuersalis diuidi potest in vniuersale secundum rem, & vocem, si sola ipsius identitas spectetur, secundum quam essentialiter constituitur in esse vniuersalis; In specificum, genericum, & transcendens; si maior, vel minor, siuè rei, siuè vocis identitatis extensio consideretur; In quidditatiuum, & denominatiuum, si essentialis, vel accidentalis identitas accipiatur, in immediatum, & mediatum, si eiusdem identitatis modus descendendi, vel per se ipsum, vel cum alio ad inferiora inspiciatur.

Dictæ vniuersalis diuisiones, quamuis possint in vnum conuenire, quia vniuersale secundum rem, & vocem potest esse, vel genericum, vel specificum, vel transcendens, etenim ens secundum rem prædicatur, vt transcendens, animal, vt genus, homo, vt species, secundum vocē etiam, quia & cum identitate rei, & sine identitate, etiam stat vocis vnitas, iuxta diffinitionem æquiuocorum, & vniuocorū, ens adhuc quidditatiuè de omnibus, album verò, & alia accidentia denominatiuè de substantia, ens etiam immediatè de omnibus; genera autem, & species mediatè. Verumtamen, quia talis diuisionum conuenientia occurrere solum potest per accidens, eo quòd si per se, vel vna esset aliquid alterius, tamquam superioris secundum se, vel altera vnius quia dicitur 7. *Meta.* Tex. 43. quòd scisio nil aliud est, quàm quædam pedalitas, & tamen constat, quòd æquiuoca prædicatio, formaliter non est quædam maior, vel minor identitatis extensio, nec è conuerso, quia stat, quod abstracta per intellectū, vna ab altera, & altera ab vna, vtraq; in esse intelligibili permaneat, saltem in prima operatione intellectus, ad differentiam scisionis, quæ non est intelligibilis sine pedalitate.

Quare, vt innumeræ difficultates tollantur contra analogiam entis, & maximè illæ quæ videntur probare, quod ens prædicatur abstractiori modo, supra vniuocum, analogum, &

& æquiuocum, maximè præ oculis habendum, quòd vbicumque aliquid de vniuersali verificatur; quatenus diuiditur secundũ aliquam ex supradictis diuisionibus, formaliter tamen illatio non infertur ad membra aliarum diuisionum nec ad fundamenta earumdem, v. g. si ens est communissimum prædicatum, quod dicitur de omnibus, necesse est quidem, quòd de illis communissimo modo prædicetur, & sic nunquam vt species, nec vt genus, sed semper vt transcẽdẽs, non tamen vt quid abstractum ab vniuersali prædicatione æquiuoca, vniuoca, & analoga, ab immediata, & mediata, à quidditatiua, etiam, & denominatiua, tum quia nihil necessario, & formaliter infert, quod sibi conuenit per accidens, qualia sunt illa, quę dicta sunt de diuisionibus assignatis, tum quia si opportet vsque ad indiuidua diuidentem dicere, vt legitur 8. *Phys. Tex.* 38. Iam non est intelligibile, quòd ens, quamuis dicat conceptum cõmunissimum possit prædicando abstrahi ab omnibus hisce modis euacuantibus omnes prædicandi modos, etiam qui fingi possunt sub genere dictarum diuisionum vniuersalis, etenim constat, quod vniuersale sic diuisum non nisi per opposita immediata diuiditur.

Considerandum tertiò, quòd nomina, siuè æquiuoca, siuè analoga, etiam secundum attributionem, non significant rationes adeo diuersas, quòd diuersis, diuersimodè comparatæ non possint aliquando fieri vniuoca, etenim Canis nomen æquiuocum ad latrabilem, & marinum, est vniuocum ad omnia latrabilia, & ad omnia marina, si secundum speciem illorum nomina accipiantur. Sanum quod est analogum secundum attributionem ad animal, medicinam, & vrinam, est etiam vniuocũ ad omnia animalia, medicinas, &c. sustinere carnes proportionale ad ossa, scepiones, & spinas, vt dicitur 2. *Poster. C.* 9. est quoque vniuocũ ad omnia ossa,

ſpinas, &c. tũ quia ſpecies ſaltem ſpecialiſſimæ ſemper vniuocè prædicantur de ſuis inferioribus *ex Porphyrio C. de ſpecie*, tum quia ſi aliqua analogia, vel æquiuocatio occurrere poſſet in ordine ad indiuidua (loquor de vniuerſalibus, quæ prædicantur mediatè de ſuis inferioribus) iam inter conceptus æquiuocè, & analogicè acceptos, & alia indiuidua, ſub illis contenta, ſemper intercederent conceptus ſpecifici, iuxta variam ſignificationem nominis analogi, & æquiuoci; & ſic ſemper vniuocè de ſuis indiuiduis prædicarentur.

Nec impedit quòd vniuoca, analogica, & æquiuoca prædicatiò ſint tres ſpecies diſparatæ, ſub genere prędicationis, & ſic videatur dici poſſe, quod vna ſpecies non ſit altera; eò quòd differentiæ, ſub genere acceptæ intrinſecè, & formaliter ſe inuicem negant, & deſtruunt.

Etenim reſpondetur, quod ex varijs modis concipiendi, ſuper quos fundantur variæ ſpecies, & modi prædicãdi, quales ſunt (quatenus ad præſens attinet) æquiuocè, analogicè, & vniuocè prædicationes, non inconuenit, quod vna, & eadem res, vel nomen ſub diuerſis ſpeciebus, etiam diſparatis colloceturs, etenim ſuperficies, quatenus menſura intrinſeca poſita fuit ab Ariſtotele in Prædicamentis in ſecunda ſpecie quantitatis continuæ, vt menſura extrinſeca in quinta, quare nulla eſt difficultas, quod quantitates inter ſe comparatæ ſecundum ſimplicem rationem, qua ſunt quanta, ſint vniuocè in ratione communi quantitatis continuæ, eædem verò comparatæ ſecundum rationem multi, & pauci, vel paris, & imparis ſint proportionales, vt dicitur *de ſenſu, & ſenſato c. 8.*

Item animalia, vt canis marinus, & latrabilis ſecundum ſe ſint æquiuoca, vt comparata ad ſuas proprietates proportionales, quia ſicut domeſticus canis ad ſuam latrabilitatem, ſic marinus ad ſuam natabilitatem, ſi tamen hæ ſint illorum veræ proprietates.

Cau-

Causa, quod idem nomen ad diuersa comparatum possit esse æquiuocum, analogum, & vniuocum, erit ex vario nostri intellectus modo concipiendi, quia namque nomina imponuntur secundum quod à nobis concipiuntur, eo quod sunt signa passionum animæ. 1. *Periher. C.* 1. sicut occurrit quod intellectus aliquando prius cognoscat aliquid posterius secundum rem, deinde per inquisitionem deueniat in cognitionem alicuius prioris, inde etiam nomen, quod primò impositum fuit rei, vel conceptui prius cogniti, successiuè dilatatur ad significandum, quod secundò fuit cognitum, vlterius, quia adhuc post tales conceptus distinctè acceptos cognoscit intellectus, quod posterius secundum rem cognitum habet habitudinem ad prius, successiuè accipit idem nomen ad significandam talem habitudinem, quare idem nomen ad diuersa comparatum est vniuocum, & analogum, hoc pacto: Nomen sapientiæ est vniuocum ad sapientias hominum, quibus primò impositum est nomen sapientiæ, est analogum ad sapientiam Dei, & hominis, vbi post cognitionem sapientiæ Dei, cognita est habitudo, & proportionalitas inter sapientiam Dei, & hominis.

Non aliter in æquiuocis, aliquando intellectus prius intelligit essentiam oculi, vt sentiens, & eliciens actum visionis, propriè, & formaliter, essentiæ sic conceptæ imponat nomen oculi, & sic tale nomen vniuocè dicitur de omnibus formaliter elicientibus actum visionis. Inde alio casu intercedente, intelligit essentiam cadaueris mortui, vt est imago oculi propriè, & formaliter videntis, dum viueret, essentiæ illius cadaueris sub tali respectu imaginis conceptæ attribuit nomen oculi, verum quia tale cadauer est sola, & simplex imago oculi videntis, inde nomen oculi, quod erat vniuocum ad omnes propriè, & formaliter videntes, fit æquiuocum ad oculum viuum, & mortuum, vt dicitur 2. *de Anima Tex.* 9.

His sic stantibus probatur illud, quod primò loco sustinendum accepimus supra, nempe quòd nõ possint dari duę naturæ habentes simile fundamentũ proportionis ad sua esse simpliciter, & secundum eamdem rationem, vt requiritur ad constituendam vniuocationem entis.

Primò, sicut res ad proprietates, sic ad subiectum, vt est de risibilitate ad verum, & pictum hominem, sed entia inæqualiter participant de veritate, & vnitate, quæ sunt proprietates entis, de veritate, quia principia sunt maxime vera, & secundum quod res magis à principijs recedunt, minus sunt veræ 2. *Metaph. Tex.* 4. de vnitate etiam, quia indiuisibile, quod est de intrinseca ratione formali vnius non competit æqualiter omnibus 3. *de Anima Tex.* 23. ergo entia non habent æquale fundamentum proportionis ad sua esse.

Secundò, si fundamenta proportionis ad esse, essent simpliciter similia, ergo quælibet causa entis secundum, quod ens esset vniuoca, saltem quantum formaliter pertinet ad illarum entitates formaliter acceptas, causæ .s. & effectus, quare si talis causa vniuoca esset per accidens, in omnibus darentur effectus de nouo in natura, absque causa per se, quod est falsum, quia omne per accidens reducitur ad per se; quod si esset aliqua causa per se vniuoca, ergo talis res, & causa esset causa totius entis, ergo entis in se ipso, quia impossibile est separare ab eo id, quod sibi conuenit per se primò, iuxta doctrinam Aristotelis *Capite de vniuersali*, & tamen adhuc impossibile, quòd aliquid sit causa actiua suæ entitatis, quia nihil agit nisi quatenus actu, & nihil fit, nisi quatenus in potentia, & non est possibile, quod idem simul sit actu, & potentia, vt dicitur 8. *Phys. Tex.* 30. ergo fundamenta proportionis ad esse non sunt eiusdem rationis in entibus.

Ter-

Tertiò, detur ens communissimum, quod dicitur vniuocum ex vniuoca similitudine dictę pro portionis ad esse, ergo dabitur aliquod ens particulare abstractissimum à particularibus modis entis à substantia, quantitate, &c. tum quia non datur vniuersalia separata, tũ quia *si color est in corpore, ergo in aliquo corpore, si animal dicitur de homine, ergo de aliquo homine in prædicamentis Cap. de substantia*, sed hæc duo entia particularia in tali ratione abstractissima entis, vbicunque sint vniuocè entia, non habent in quo distinguantur, quia tali casu imaginato non nisi per aliquod additum distinguerentur, quod tamen est impossibile, quia sicut quodcunque addatur semper est ens, iã nihil foret additum, & nulla foret distinctio, quod si nulla distinctio, iam nulla prædicatio vniuoca, quia semper vniuoca de sua formali ratione de pluribus debent prædicari, quamuis illud, quod prædicatur sit vnum, & idem in omnibus sic diuersis, ergo non datur fundamentum similitudinis vniuocæ inter ipsa, quod abstrahat à particularibus entibus, vt entia formaliter ergo, &c.

Quartò, & facit pro confirmatione, etiam præcedentis. Detur negatio communissima dicens, & significãs omninò nihil, ergo dabitur eadem ratione, quà supra aliquod omninò nihil abstractissimum à particularibus modis omninò nihil, sed hæc omninò nihil particularia non habent per quod differant, quia si esset aliquid in vno, quod non in altero, quamuis illud additum fingeretur negatiuum, iam illud tale omninò nihil, cui addita esset differentia, etiam negatiua, vel modus vtcumque prius ante factam additionem, non esset omninò nihil propter defectum negationis additæ, vt patet ex terminis, ergo nec ens est vniuocum ad plura entia formalissimè accepta in ratione simplicissima entis, quia nullum non ens, & nihil est tale simpliciter, nec distin-

guitur simpliciter ab alio non ente, sed solum in ordine ad ens, cui opponitur, vt cæcitas, & surditas ex visione, & auditione, cuius sunt negationes.

Quintò, species motus non distinguuntur nisi secundum terminos ex quibus, & in quos 2. *Phys. Tex.* 14. 11. *Metaph. C.* 10. sed species motus nihil habent commune, in quod resoluantur 11. *Metaph. C.* 9. vlterius, motus non potest poni in genere priuationis simpliciter, immò nec actus, nec potentiæ 3. *Phys. tex.* 15. ergo saltem aderunt aliqua entia, quæ non habent simile fundamentum proportionis ad sua esse simpliciter, & secundum eamdem rationem, ergo, &c.

Sextò, nullum inferius inæqualiter participat rationem formalem illius, quod vniuocè prædicatur de ipsis, quia hoc immediatè pugnat cum ratione, & diffinitione vniuocorum, sed esse inæqualiter participatur ab omnibus, quia illis clarius, illis obscurius communicatum est esse, & viuere 2. *Cæli Tex.* 100. ergo entia non habent simile fundamentum proportionis ad sua esse, ergo, &c.

Pro sustinenda proportionali similitudine inter fundamenta naturarum ad sua esse, quod secūdo loco faciendum erat, necessarium est scire, quòd ratio, & proportio, vt legitur *secundo Post. C.* 1. vel medietas, vt legitur *secundo de Anima Tex.* 12. vel proportio, vt communiter accipitur à latinis (loquor de proportione inæqualitatis in quantitate) quam in præsenti accipimus, exempli gratia, vt inde facilius ascendere possimus ad analogiam entis, etenim proportionis nomen, secundum primam impositionem, significat habitudinem quantitatis, & inde dilatatum est ad omnem habitudinem materiæ, & formæ, actus, & potentiæ, &c. talis inquam inæqualitatis proportio in quantitate, siuè sit dupla, siuè altera vtcumque proportionis species, quantum ad præ-

sens

ſeus eſt duplex, altera inter duas quantitates eiuſdem magnitudinis comparatas ad alias duas quantitates, etiam inter ſe eiuſdem magnitudinis, vt duo decem ad duo quinque, inter quas eſt proportio dupla; altera inter duas etiam inæqualis magnitudinis, comparatas ad alias duas, etiam inæqualis magnitudinis, vt octo, & quattuor ex vna parte, & ſex & tria ex altera, inter quas etiam eſt proportio dupla.

Si ſermo ſit de ratione, ſiuè proportione dupla inter quantitates primi generis, videlicet inter duo decem, & duo quinque, talis proportio eſt vniuoca, & vniuocè prædicatur de illis quantitatibus, immò ſimilitudines dictarum rationum, ſiuè proportionum ad omnes quantitates, vt decem, & quinque, etiamſi in infinitum multiplicari contingeret, iuxta multitudinem numeralem omnium quantitatum, decem, & quinque, ſemper vniuocè prædicantur de omnibus decem, & quinque.

Quòd ſi fiat ſermo de ratione, ſiuè proportione dupla inter quantitates ſecundi generis, inter octo, & quatuor ex vna, necnon ſex, & tria ex altera, talis ratio, ſiuè proportio dupla inter octo, & quatuor, ſex, & tria. Immò quæcunque proportio dupla, vtcunque orta inter quantitates, quarum termini ſunt inæquales, eſto, quòd in infinitum augeantur illarum quantitatum numeri, numquam vniuoca, ſed ratio proportionalis ſecundum literam Ariſtot. vel proportio proportionalis, iuxta communem vſum latinorum dicenda erit.

Primum probatur tali pacto ex dictis à Porphyrio, quælibet ſpecies ſpecialiſſima vniuocè prædicatur de indiuiduis, ſed duo decem, & duo quinque non differunt niſi numero, vt conſtat, ergo illarum ratio, ſiuè proportio eſt vniuoca.

Vlterius. Proportiones, ſicut communiter relationes

om-

omnes; specificam distinctionem habent radicaliter à fundamentis, completiuè à terminis, immò ratio cuiuscumque rei, quia ex proprijs principijs est iudicanda, inde Aristo. 5. *Metaph. Tex.* 20. ex diuersitate principiorum à quibus causantur, & in quæ proximè fundantur relationes, radicalem distinctionem specificam accepit, ergo, quorum fundamenta, & termini sunt eiusdem rationis simpliciter, & absolutè, relationes etiam sunt eiusdem rationis simpliciter, sed in datis rationibus, & proportionibus fundamenta, & termini sunt eiusdem rationis simpliciter, & absolutè, quia non nisi numero distinguuntur, ergo illorum proportiones, vniuocè de omnibus prædicantur, ergo, &c.

Hic posset fieri talis difficultas. Si proportionis similitudo iam dicta est vniuoca, quia species specialissima vniuocè prædicatur, non autem proportionalis, sequitur etiam quod proportiones, quæ sūt similes proportionaliter solum, non autem eiusdem rationis simpliciter, & absolutè, quia & ipsæ, vt species specialissimæ possunt comparari ad sua individua, quod & ipsæ quoque prædicentur vniuocè de singulis proportionalitatibus, solo numero distinctis, quare si hoc non repugnat, ergo, proportiones inter duo decem, & duo quinque, licet eiusdem rationis simpliciter non minus habent proportionalem similitudinem, quam aliæ quæcunque proportionales similitudines, ergo si vniuoca similitudo cum proportionali, iam quæcunque proportionalitas in ente excogitata, adhuc potest admittere vniuocationem in ordine ad inferiora.

Respondetur; Aliud est comparare proportionalitatem in specie ad singula indiuidua, sub specie proportionalitatis posita, aliud comparare proportiones eiusdem rationis simpliciter, vt proportiones duorum decem, ad duo quinque, cum alijs proportionibus, quæ sunt in decem, & quatuor ex

vna, & inter sex, & tria ex altera. Primo modo rationes, siuè proportiones dicuntur vniuocè de singulis rationibus, siuè proportionibus proportionalibus, verùm nunquam simpliciter vniuocè. Si secundo modo accipiantur sic implicat esse proportionale, & vniuocum, hoc verificatur in æquiuocis, quia si considerentur æquiuocata, vt comparantur ad vniuocata, & analogata, implicat, quòd sint, vel vniuoca, vel proportionalia, si considerentur species æquiuocationis, vt comparantur ad sua indiuidua, idest ad hæc, & ad illa æquiuoca, non impedit, quòd de suis indiuiduis .i. de singulis æquiuocis vniuocè prædicentur, quare nulla consequentia ad inferendam vniuocationem entis, quia si entia inter se analogantur, non repugnat, quòd quædam indiuidua entis dicãtur vniuocè analogata in ratione specifica analogiæ, nunquã tamen secundum se vniuocata, sicut in præsenti cõtendimus contra vniuocationem entis, & eò magis, quia talis analogiæ vniuocatio, quæ verificatur de particularibus entibus, æqualiter proportionalibus cum terminis, ad quos habent proportionem, est secundæ intentionis, sicut vniuocatio, cuiuscunq; æquiuocationis est secunda intentio.

Modò probatur secundum ex propositis, quòd proportio dupla, quorum termini sunt inæquales, qualis est inter octo, & quatuor, sex, & tria, non est vniuoca, sed proportionalis.

Primò, si affirmatio causa affirmationis, negatio causa negationis, & è conuerso 1. *Poster.* C. 13. sed per præcedentem conclusionem probatam proportio est vniuoca in quãtitatibus primi generis, ex vniuocà similitudine eorum, quę fundant, & terminant relationes proportionis, ergo ex diuersitate simpliciter eorum, quæ fundant, & terminant proportiones, vt in datis numeris octo, & quatuor, sex, & tria, non sequitur vniuoca similitudo, verũ quia habent aliquam similitudinem, & non sunt omninò diuersa, ergo proportionalitas dupla.

Con-

Confirmatur impossibile, quòd effectus sint eiusdem rationis simpliciter, & illorum causæ nequaquam, quia vnus effectus solam vnam causam habet 2. *Poster. C.* 10. nisi fortè occurrat, quòd alteru eminenter contineat virtutem alterius, vt de igne, & à sole, & ab altero igne causato, qui est eiusdem rationis simpliciter in ambobus propter eminentem virtutem solis, quòd tamen in præsenti non verificatur, vt constat.

Iterum confirmatur. Quorumcunque proprietates non verificantur æqualiter de omnibus, sub aliquo cõmuni contentis, illud commune, cuius dicuntur proprietates non est vniuocũ ad omnia talia, quia *C. de vniuersali*, illud est adæquatum subiectum, ratione cuius proprietates conueniunt omnibus, de quibus verificantur, sed proprietates dupli in eo, quod duplum, non conueniunt æqualiter decem, & quinque, octo, & quatuor, sicut duobus octo, ad duo quatuor, ergo non sunt æqualiter, & vniuocè dupla, sed solum proportionaliter decem, & quinque, octo, & quatuor. Minor probatur, commutata proportio in primis decem, & quinque, octo, & quatuor solum conuenit, si antecedentia cum antecedentibus, & consequentia cum consequentibus conferantur, non autem si antecedens vnius, cum consequente alterius conferatur, quia proportio decem ad quatuor est dupla sexquialtera, octo ad quinq; est supertripartiens, in secũdis scilicet, in duobus octo ad duo quatuor, vtcunq; licet arguere à commutata proportione, vt constat ex terminis, ergo non est eadem proportio vniuoca in omnibus, ergo, &c.

Vltimò, quantitates fundant proportiones multiplices, secundum quod maior minorem continet aliquoties, & minor maiorem metitur, sed quod est primum in genere illud est mensura aliorum 10. *Metaph. Tex.* 2. ergo vnitas, mensura in proportionibus multiplicibus, ergo, secundum quod

com

comparantur numeris ad vnitatem 5. *Metaph. Tex.* 20. ergo prima proportio dupla erit illa, quæ est duorum ad vnum, quia duo, & vnum sunt prima, inter quæ est proportio dupla, ergo succedentes numeri erunt dupli, secundum quod induunt rationem duorum, & vnius, & habent modum illius, sicut dicitur, quod idem in quantitate facit æquale primò, & principaliter, in virtute autem, & potentia æquale proportionaliter, secundum quod talis virtus, & potentia induit modum quantitatis, & deriuatur ab eodem modo participatæ quantitatis, si ergo octo, & quatuor est duplum, quia induit modum duorum ad vnum, ergo non est eiusdem speciei duplæ, cuius est decem, & quinque, quia implicat, quod res, quæ est primò, & principaliter talis, sit eiusdem rationis vniuocè cum re, quæ est talis modaliter, ergo, &c.

Contra hanc determinationem videtur, quod sic possit argui primò, si proportionalitas dupla non est vniuoca, & eiusdem rationis in omnibus speciebus dupli, quæcunque sit illorum quantitas, ergo non stant proportiones in indiuisibili, quia hoc pacto proportionalitas dupla habet latitudinem ex multiplici varietate proportionalitatis duplæ orta ex varietate terminorum, & illorum differentia; quod tamen constat manifestè falsum.

Secundò, si duplum non est vniuocum in omnibus speciebus dupli, propter illorum diuersam quantitatem, ex quo talis diuersitas solum cõsistit in excessu vnius quantitatis ad alteram, eo quòd octo, quod est duplum ad quatuor, solum differt à sex, quod est duplum ad tria, quòd octo superat sex in duobus, quatuor verò superat tria in vnitate, ergo diuersitas talis pertinet ad arithmeticam proportionem, & nos in præsenti solũ intelligimus de proportione, & proportionalitate geometrica, quæ consistit in sola proportionum secundum speciem similitudine, quare si geometricum non [illegible]

sequeretur in aritmeticum ex dictis *Past. C. 7.* quiam propor-tio, & proportionalitas dupla abstrahit à consideratione ex-cessus, & differentiæ terminorum, sed abstracta specie dupli à differentia quantitatis duplæ ad subduplam, semper re-manet species dupli vniuoca ad omnia dupla, ergo, &c. sub 38. Tertiò, sicut aritmetica proportionalitas, quia habet ter-minorum differentias æquales, & proportiones eorundem inæquales abstrahit à speciebus proportionis duplæ, triplæ, &c. & sic in ratione, & proportionalitate aritmetica; talis proportionalitas est vniuoca, quia eadem habitudo excessus, siue terminorum differentia potest saluari in diuersis spe-ciebus dupli, tripli, &c. etenim ita se habet octo ad sex arit-metice, sicut quatuor ad duo, quia quatuor superat duo in duobus, sicut octo superat sex, & tamen non est similis pro-portio geometricè, quia octo ad sex se habet in proportione sexquitertia, quatuor ad duo in proportione dupla, ergo etiã geometrica proportio, quia è contrario habet differentias terminorum inæquales, proportiones eorundem æquales, debet abstrahi à differentijs terminorum inæqualibus, quia cum inæquali terminorum diuersitate saluatur species pro-portionis duplæ, triplæ, &c. ergo quidquid sit de inæqualita-te, secundum differentiam terminorum proportionalitas geometrica est vniuoca, ergo applicãdo ad formalissimam rationem entis, cuius causa introducta est præsens disputatio quidquid sit de differentia, & inæqualitate terminorum sub-stantiæ, & accidentis in ratione entis, quando quæritur, quam similitudinem habeant substantia, & accidens in eo, quòd entia, potest responderi, quòd ab illis sit abstrahibilis conceptus entis, ostendens æqualem similitudinem simpli-citer inter substantiam, & accidens, & inde vniuocam, vtpo-tè nihil includentem differentiæ, & inæqualitatis termino-rum, ergo, &c.

Quar-

Quartò inæqualis est materia Cœli, & horũ inferiorum, imò diuersæ rationis simpliciter, & tamen corpus de genere substantiæ est vniuocum ad cælestia, & inferiora corpora, ergo diuersitas terminorum in geometrica proportione non impedit vniuocam similitudinem, ergo proportionalitas dupla adhuc in omnibus est vniuoca, esto quòd differentiæ terminorum sint inæquales. Siquis diceret, quòd corpus solum vniuocum logicè, non physicè; contra, ergo etiam proportiones duplæ, triplæ, &c. erunt vniuocę logicè, ergo etiam similitudo inter substantiam, & accidens in ratione entis erit vniuoca logicè, & si aliqua analogia erit, illa erit solum analogia inæqualitatis, ergo, &c.

Ad primum respondetur, quòd proportio stat in indiuisibili, quandò manente eadem quantitate antecedentis, vel consequentis, quid minimum tollatur, vel auferatur ab opposita quantitate, quia impossibile, quod eadem quantitas, ad diuersa comparata habeat eandem proportionem, vt est vulgare in mathematicis, quòd si quantitates simul proportionales, etiam proportionaliter varientur, quamuis in infinitum succedat talis varietas, tamen semper aderit eadem habitudo proportionalis in omnibus hoc pacto. Identur duodecim, & sex proportionaliter dupla, vt dicto, & quattuor addantur decem ad duodecim, & quinque ad sex, erunt viginti duo, & vndecim, ecce quòd viginti duo est duplum ad vndecim, sicut erat duodecim ad sex. Iterum addantur sex ad octo, & tria ad quatuor, erunt quatuordecim, & septem, ecce quòd adhuc quatuordecim est duplum ad septem.

Respondetur secundò: Aliud est loqui de denominatore proportionis, in quo est talis habitudo, & primo, & per se, vt in proportione dupla in qua denominator est duo, in tripla denominator est tria, in quadrupla quatuor, &c. aliud de quantitatibus accipienti-

bus denominationem à prædictis, quatenus induunt, & rationem, & modum illorum, proportiones, primo modo, in ordine s. ad denominatorem, stant in indiuisibili, quia quicunque sint numeri octupli, etiamsi in infinitum augeantur, semper ab octonario speciem sortiuntur, quia non aliter fundant proportionem octuplam, nisi quia induunt modum numeri octonarij, nam maior quantitas semper continet minorem octies, quid si non præcisè octies, iam non amplius octupli. Proportiones secundo modo, quatenus respiciunt quantitates secundum se, & simpliciter non stant in indiuisibili, sed habent latitudinem, propter auctam, vel diminutam quantitatem.

Ad secundum, & tertium simul respondetur, quod aliud est loqui de certis quantitatibus materialiter, & vt tales res simpliciter, octipedalis s. & bipedalis quantitas, considerando ipsas solum, vt tales quantitates, & nil aliud de ipsis cogitando; aliud est loqui de ipsis, vt fundant habitudines ad terminos oppositos, vt octo ad quatuor, & duo ad vnum, primo modo differentiæ non includuntur in communi conceptu illorum propter vniuocam similitudinem, quam habent ad inuicem; verum hoc non est, de quo disputamus, quia loquimur secundo modo, & intelligimus, quòd illorum differentiæ includuntur in communi conceptu, si accipiantur, vt fundantes habitudinem proportionis, & volumus in hoc sensu, quòd nō possit intelligi distincto conceptu, quòd habitudo octo ad quatuor sit proportionalis cum habitudine duo ad vnum, nisi simul etiam distinctè cognoscatur differentia, & inæqualitas terminorum, nunquam tamen certa quantitas materialiter, & primo modo, quod sic probatur.

Sicut quantitates, & quantitates formaliter non sunt analogæ, quia, vt sic, conueniunt in genere quanti, eo quòd ge-

neralissima sunt vniuoca ex Porphyrio; sed solum analoga: si comparentur in ratione multi, & pauci, paris, & imparis, *de sensu, & sensato Capite* 8. à simili, differentiæ, & inæqualitates terminorũ non debent includi in illorũ conceptu proportionali, si secundum se, & formaliter considerentur, vt sunt differentiæ constituentes diuersas rationes mensuræ, cuius causa sunt formaliter in genere quantitatis, etenim constat quòd, vt sic, nihil rei habent cum habitudine analoga; sed solùm pertinent ad rationem mensuræ. Si secundo modo, in ratione scilicet multi, & pauci, paris, & imparis, quia fundant, & constituunt relationes proportionis, in tali conceptu proportionis debent contineri, nec ab illis possunt abstrahi, etiam in prima operatione; quod sic probatur dupliciter.

Primò, nulla species potest abstrahi à differentia intrinsecè, & essentialiter constituente ipsam; sed differentiæ quantitatis intrinsecè, & essentialiter constituunt proportionalitatem, si considerentur quantitates, secundum quòd fundant relationes proportionis, quia demptis illorum differentijs, iam non sunt amplius proportionaliter conuenientes, vt constat, ergo illorum differentiæ non sunt abstrahibiles à communi conceptu analogo.

Secundò, à compositis ad distincta non valet consequentia, quando vnum ex componentibus destruit aliud, *ex Preder.* C. 2. ergo non valet hæc consequentia; Hoc est duplum proportionaliter, ergo duplum vniuocè; quod idem est, ac simpliciter duplum; Item non valet, Hoc est idem duplum proportionaliter, ergo idem duplum vniuocè, & ratio est, quia identitas proportionalis, quamuis nõ totaliter destruat identitatem vniuocam, quia sic proportionale esset æquiuocum, illam tamen diminuit, etenim sensus est, quòd talia non sunt idem totaliter, vt vniuoca, sed proportionaliter so-

lum,

lum, veluti participantia quidem aliquid identitatis vniuocæ, non tamen illam identitatem retinentia totaliter; quare si proportionalia non sunt simpliciter, & totaliter eadem, quia solum participant de identitate vniuoca, & sic in tantum recedunt à totali ratione vniuoca, quantum accedunt ad participandam rationem alterius extremi .s. diuersitatis æquiuocæ, vt tepidum, tantò minus calidum, quanto magis accedit ad frigidum, ergo in conceptu analogo fundamenta debent intelligi, vt diuersa; si non vt diuersa simpliciter, quia sic fierent æquiuoca, & identitas vniuoca totaliter foret ablata, saltem, vt constituentia proportionalem similitudinem, ergo, &c.

Ad illud, quomodo talis differentiæ consideratio non pertinet ad Aritmeticum, & per consequens non sequitur Geometricum descendere ad Aritmeticum, quomodo non fit abstractio proportionis duplæ à differentijs, quæ pertinent ad Aritmeticam considerationem.

Respondetur, quod non conueniunt demonstrationes geometricæ, cum aritmeticis, quia, vt supra geometricæ illas accipiunt, vt fundant diuersas habitudines cóparando quantitates, cuius sunt partes, vt totum ad totum, aritmeticæ, vt inter se comparatæ, faciunt alias proportiones distinctas genere, & specie à proportionibus resultantibus à quantitate, vt totum, quare conceditur, quòd duplum abstrahat quidem simpliciter, & absolutè à differentia, vt facit proportionem aritmeticam, nunquam ab eadem differentia, vt facit identitatem proportionalem geometricam, modo exposito, quare nihil etiam contra analogiam entis.

Ad quartū respondetur, quòd non est par ratio de corpore, & ente prout constituunt vniuocatione logica entis, quia conceptus corporeitatis est simpliciter eiusdem rationis, quamuis illius esse sit inæqualiter participatum, conceptus

verò

verò entis non potest fieri eiusdem rationis simpliciter in entibus, & quod esse sit inæqualiter participatum, & ratio est; quia corpus abstrahit ab esse, & non esse, ens nunquam ab esse potest abstrahere, quia, vt dictum est capite sexto, esse est formale significatum entis.

Datur vlterius alia disparitas inter corpus, & proportionem duplam, triplam, & alias proportiones, quod in conceptu similitudinis corporum, nec minimum quidem diuersitatis intelligitur, sicut fit in ratione dupli, tripli, &c. etenim formaliter, & intrinsecè, vt ex illorum etiam nominis ratione percipitur, semper proportionalitas annexa conspicitur, ad quam sequitur, quòd in nulla logica, vel physica conceptus vniuocatione conuenire possint, propter disparatas, & incompossibiles rationes vniuocorum, & analogorum, quare, &c.

Succedunt his aliæ duæ difficultates maximæ, quibus videtur posse probari, quòd rationes huiusque habitæ, si quid faciunt, quòd solum inferant analogam proportionalitatem in aliquibus, non tamen in omnibus, contra id, quod supra fuit probatum.

Primò, esto quòd essentia cuiuscunque rei sit proportionata, & commensurata proprio esse, quia determinatus actus in determinata potentia, non tamen sequitur, quòd debit in omnibus similis proportio essentię, & existentię, sicut necessarium est ad constituendam proportionalitatem in quocunque ente, quia stat, quòd essentia vnius habeat proportionem duplam, v. g. cum suo esse alterius essentia proportionem triplam, quadruplam, &c. quod si sic, quia duplum, & triplum non sunt similia proportionaliter, vt de se patet, ergo non omnia entia habent inter se proportionalem similitudinem, ergo, &c.

Secundò, si ens in substantia, siue in vniuersali, siue in

par-

particulari accipiatur, & comparetur cum ente in acciden-
te; siue in vniuersali etiam, siue in particulari, est propor-
tionale, ergo saltem ens particulare in substantia compara-
tum cum altero ente particulari pariter in substantia erit
vniuocum, sicut vniuoca proportio inter duo octo ad duo
quatuor, vel saltem sicut duo octo ad alia duo octo, inter
quæ est proportio æqualitatis; & dictarum proportionum
similitudo, eiusdem rationis simpliciter, & absolutè; tum
quia non videtur, quod sit differentia inter illas entitates, vt
supra ad inuicem comparatas, quia si substantia dicta de
duobus corporibus est vniuoca ad ipsa corpora, ergo etiam
entitas essentialiter inclusa in substantia erit vniuoca ad ta-
lia corpora, aliàs essentia vna simpliciter esset proportiona-
ta ad plures existentias: contra id, quod dicitur 1. *de Anima*
*Tex.* 53. contra Pithagoricas fabulas fingentes, quamlibet
animam quodlibet corpus ingredi; tum quia si omne æqui-
uocum reducitur ad vniuocum, sicut multa ad vnum, vt no-
men canis æquiuocè dictum de marino, & latrabili vniuocè
dicitur de omnibus latrabilibus, ergo multo magis propor-
tionale, quod est medium inter æquiuocum, & vniuocum, &
sic participat de ratione vniuoci, debet reduci ad vniuocũ,
ergo nomen entis analogicè, & proportionaliter dictum de
substantia, & accidente debet vniuocè dici de omnibus ac-
cidentibus, & substantijs inter se collatis; & sic de omnibus
indiuiduis sub propria specie contentis, quod si sic, ergo vl-
terius sequitur, quòd detur aliquod prædicatum vniuocum,
quod non sit genus, quia cuicumque comparetur,
nunquam est genus, ergo etiam eo mediante descendit; &
recipitur in suis inferioribus mediante conceptu obiectiuo,
vniuocè ad inferiora entia, ergo, &c.

Ad primum respondetur, non esse possibile, quod essen-
tia vnius rei sit in proportione, v. g. duo latera propria exi-

stentia, in proportione tripla, vel quacumque alia imaginata proportione, quia semper est necessarium, quòd omnes essentię cuiuscunque entis sint non modo in eadem proportione ad inuicem, verùm omnes illorum proportiones sint proportiones æqualitatis, & nulla dupla, tripla, &c. quod sic probatur ex natura potentiæ, & actus, natura potentiæ est, quòd patiendo sit perfectibilis ab actu, & natura actus, quod agendo sit perfectiuus potentiæ, ergo si actus non est tantum actiuus, quantum est passiua potentia, sequitur quod vel potentia non esset totaliter, & perfectè actuata, si maior possibilitas potentiæ, quam actiuitas actus, vel frustra actiuitas actus, si maior possibilitate potentiæ, ergo, cum essentia comparetur ad existentiam, vt actus ad potentiam, sicut datur vna essentia, quæ est perfectior altera, necessariũ est, vt proprius actus recipiatur in propria potentia, vt dicitur 2. *de Anima Tex.* 53. & alibi, quòd cuiuscunque essentia sit æqualiter passiua, sicut existentia est actiua, ergo inter omnes essentias æqualitas proportionis non minus, quam in numeris habentibus inter se proportionẽ æqualitatis, etiam cum inæqualitate terminorum, vt octo ad octo, & duodecim ad duodecim, in quibus constat, quòd proportio inter primos est æqualitatis, sicut inter secundos, & tamen si proportiones illorum inter se compararẽtur, quamuis ambæ proportiones æqualitatis, nunquàm propter differentias terminorum proportiones sunt æquales, vel similes simpliciter, sed solum proportionaliter, sicut supra dictum est exemplo proportionis inæqualitatis, vt inter octo, & quatuor, duodecim, & sex, quare, &c.

Ad secundum respondetur, quòd in dicta difficultate arguens quia duo potest intendere, vel quòd ens sit commune vniuocum ad particularia, si solum accipiantur, vt entia, quando dicitur quoddam ens est ens, vel si accipiantur na-

turæ particulares, secundum quod omnia superiora prædicantur de inferioribus, quando dicitur Petrus est ens; Respondetur ergo, quòd vtcumque accipiatur ens in ordine ad quæcumque inferiora, etiam indiuidua contenta sub quacumque specie etiam specialissima, nunquam tale ens prædicatur vniuocè de particularibus, & ad instantiam de duobus octo, quę sũt vniuoca in dupla proportione ad duo quatuor, negatur similitudo.

Et ratio diuersitatis, per quam duplum potest esse vniuocum ad duo octo in ordine ad duo quatuor, ens autem nequaquam ad duo particularia entia, est hæc. Dupliciter differt ens, & duplum, primò, quod ens immediatè dicitur de omnibus rebus, & in ipsis immediatè descendit, immò nullum gradum exprimit supra naturas genericas, specificas, & indiuiduales, vt magis apparebit Capite 18. duplum autem nec dicitur, nec descendit immediatè ad particularia dupla, sed semper per differētiā dicitur, de suis particularibus, quia differentia constituens duplum in esse dupli specifico, & essentiali, semper est alia, per quam diuiditur in hæc, & illa dupla. Differunt secundò, & hæc secunda differentia resultat ex prima, quòd ens, quia immediatè dicitur de omnibus, quando in illa diuiditur, non solum diuiditur ex parte inferiorum, in quibus inest, sed etiam ex parte sui, & secundùm naturam suam, idest, secundum eandem naturam, per quam constituitur in esse, per eandem etiam diuiditur, duplum autem, quia mediatè dicitur de inferioribus, non diuiditur ratione eorum, quæ sibi insunt ex sui natura intrinsecè, & essentialiter, sed ratione differentiarum, quæ ipsi adduntur.

Ergo non potest abstrahi ens simpliciter à differentijs, siuè modis diuidentibus ens, quia implicat, quòd immediatè dicatur, & descendat, & postmodum abstrahat à modis diui-

détibus, quia si abstrahit, ergo habet aliquid, per quod constituitur à re, quæ diuiditur, ergo mediante tali principio constituente descendit ad inferiora, sicut animal, quia abstrahit à speciebus, habet etiam principium sensitiuum, per quod mediatè descendit ad ipsas.

Ergo particulares modi, etiam entis particularis includuntur in conceptu entis, similiter Petreitas, &c.

Ergo, qua ratione non est vniuocum ad substantiam, & accidens, quia modi, vt proportionales includuntur in ente, sic non erit vniuocum ad quæcumque particularia entia, quia si non absolutè saltem; vt proportionales, sic semper particulares modi erunt accepti in ente.

Ad illud: quomodo æquiuocum ad vniuocum, vt multa ad vnum, si ens ad nihil est vniuocum. Respondetur, quòd æquiuocum reducitur ad vniuocum, quando commune, ad quod fit resolutio mediatè descendit, quod si immediatè illud vnum non est nisi analogum, exemplũ est de simili, quod æquiuocè dicitur de figuris, & coloribus, vniuocè de speciebus coloris, & analogicè de speciebus figurarum. 2. *Poster. Cap.* 10.

## *Quid dicendum ad difficultates contra proportionalem Analogiam entis.* Cap. XVI.

AD primum illorum, quæ inferebant æquiuocationem entis Respondetur. Sicut ens, vt dicit compositum ex essentia, & existentia est proportionale ad aliud ens, vt dicit essentiam, & existentiam; ens etiam, vt dicit essentiam, est proportionale ad aliud ens, vt dicit essentiam, quia proportionaliter ambo sunt commensurata ad sua esse, & è contra ens, vt dicit existentiam, proportionale ad aliud, quod dicit existentiam, quia ambo commen-

suratá suæ essentiæ, quare apparet, quòd sunt quatuor termini non minus, quàm in ente composito ex illis, nec impedit, quòd essentia abstrahat à temporis differentia, existentia non, quia sunt essentiæ, & existentiæ, quæ comparantur ad inuicem, & solū dicitur, quod vnius essentia, est proportionalis cum altera, similiter vnius existentia cum altera, quod semper verissimum est, quia diuersitas terminorum requisita in proportionalitate in gradibus s. essentiæ, & existentiæ, stat cum similitudine proportionali illorum.

Ad secundum respondetur; fieri similes demonstrationes de aliquo contingit dupliciter, primò, quòd eadem proprietas per commune medium de pluribus demonstretur, sicut risibilitas de Petro, & Francisco per rationalitatem communem, secundò per diuersa media, semper diuersa diuersis, & contraria contrarijs applicando, vt in exemplo similitudinis in ordine ad figuras, & colores, in quibus occurrit, quod diuersæ, & contrariæ conclusiones per diuersa, & contraria media demonstrentur; demonstrationes primò modo arguunt vniuocam, vel saltem analogam identitatem medij 2. *Poster. C.9.* demonstrationes secundo modo, media diuersa, & contraria, ex quo itaque demonstrantur in diuersis, vnitas, bonitas, &c. per eandem rationem entis, & ens non est vniuocum, ex supra habitis, remanet, quòd sit analogum, ergo, &c.

Ad tertium respondetur; quòd prædicatio extrinseca sex prædicamentorum de substantia non tollit analogiam, quia analogia entis stat in comparatione entis ad aliud ens in ratione communi entis, non in comparatione diuersarum naturarum comparando tria prædicamenta prima accidentis cum sex vltimis, & quatenus intensè collatis considerentur, eadem accidentia sunt proportionalia, quia sicut tria prima prædicantur de substantia in concreto, secundum nomen,

nequa-

nequaquam secundum rationem, alia sex proportionaliter dicuntur de substantia in concreto secũdum nomen, nequaquam secundum rationem, vt legitur *Cap. de substantia*, quamuis tria prima intrinsecè, sex vltima secundum extrinsecam denominationem, ergo, &c.

Ad quartum respondetur, quòd rationes propriæ analogatorum, quatenus simpliciter, & absolutè distinguuntur, sũt incompossibiles, quatenus conueniunt in illa proportionali similitudine, vniuntur, & in tali conceptu abstrahunt ab illis, vt contradictoria absolutè, nunquam vt contradictoriè proportionalia, sicut diuersa etiam, & contraria vniuntur in vna diuersitate, & contrarietate .i. vniuntur in hoc, quòd sunt ad inuicem simul contraria, vt legitur *Cap. de oppositis*, quare, &c.

Ad primum pro inferenda vniuocatione entis, respondetur, quod abstractio ab omni materia dupliciter accipitur; primò materialiter, vt res est; sicut res omnes dicuntur scibiles; secundò formaliter, vt ratio formalis obiecti metaphysices .i. vt quidditatiua ratio obiecti metaphysices, dico secundum quòd tale obiectũ ingreditur genus scibile, quod est esse sub genere obiecti; primo modo .i. materialiter, quia abstractio, & ipsa est pars entis, non potest diuidi, iuxta diuisiones totius entis; vt constat; secundo modo, quamuis sit proprietas entis, eo quòd speculabilitas est illius proprietas, sicut visibilitas coloris, 2. *de Anima Tex.* 66. non tamen est necessarium, quòd diuidatur secundum omnes modos, quibus ens diuiditur in inferiora, quia sic totidem rationes formales, & abstractiones ab omni materia, quot prædicamenta, immo quot entia, quare stat, quod ens sit analogum, & talis abstractio sit vna secundum speciem specialissimã, tum quia scientia, ex quo vnitatem habet ex obiecto; vt scibile, & tamen illud obiectum plures partes subiectiuas continet,

vt prædicamenta in metaphysica, non potest fieri, quòd ijsdem diuisionibus diuidatur obiectum, vt res, & vt scibile, quia vnitas, & diuersitas sunt incompossibiles, nisi ad diuersa referantur, tum quia vna, & eadem res propter diuersos conceptus obiectiuos in ipsa existentes fundat diuersas abstractiones, quæ licet de eadem re materialiter verificentur, nunquam tamen formaliter, vt dicitur 2. *Phys. Tex.* 18. de quantitate, quod vt terminus corporis Physici fundat abstractionem Physicam, simpliciter autem vt quantitas abstractionem mathematicam.

Ad secundum respondetur, quòd relationis essentia est quidem ad aliud se habere, non tamen simpliciter, & secundum eamdem rationem, sed solum proportionaliter, quia sicut realis realiter refertur ad terminum realem, sic rationis refertur secundum rationem ad suum terminum, & sic vtraque est vera relatio.

Ad tertium respondetur, quòd vnitas est analogica, accipiens diuersitatem requisitam pro fundanda analogia, tum ex parte entis, quod est suum subiectum, tum ex parte habitus, cuius est negatio.

Ad quartum, & quintum, simul respondetur, vt supra ad secundam difficultatem fol. 137. quidquid sit de quacumque essentia rerum, tamen accipiendo ens, quia nõ dicitur mediatè de rebus, sed semper immediatè, necesse est quoque, quòd in conceptu, etiam speciei specialissimæ entis, includantur partiales modi ipsius entis, quia aliter non potest saluari immediata prædicatio de omnibus, quòd si sic, quia ibi non includuntur nisi, vt proportionaliter similes, ex quo, vt dissimiles, simpliciter non vniuntur, semper ens ad quodcumque comparatum est analogum, & proportionale.

Ad sextum respondetur, quod modi, qui diuidunt ens, essentialiter includuntur in ratione analoga entis, vt sunt eadem

dem proportionaliter, nunquam, vt talia simpliciter, & absolutè.

Ad septimum respondetur, quod negationes proportionaliter sunt similes, sicut entia, & affirmationes, quorũ sunt negationes; & sic in vna negatione includitur aliquid, quod non in altera; quod tamen facit similitudinem proportionalem, & illud, quod includitur in vna, quod non in altera est negatio proprij actus, vel habitus, &c.

Ad octauum. In casu, quo duæ quantitates habeant proportionem duplam, & intellectus non sit certus de inæqualitate terminorum. Respondetur, quod aliud est loqui de proportione dupla simpliciter, aliud de similitudine proportionum; conceptus de proportione est certus, & distinctus, de similitudine proportionum, quæ potest esse inter illas quantitates incertus, & confusus, propter incertam quantitatem terminorum, immò semper talis conceptus pertinet ad quid nominis, tum quia Aristo. *C. ad aliquid*, dicit, qui nescit, quo res est melior, opinionem quidem habet, nunquam tamen scit, quòd sit melior, tum quia ignoratis fundamentis radicaliter saltem constituentibus proportionalitatis relationem, necesse est, quòd ignoretur relatio, & quòd talis relatio solum habeat rationem quid nominis.

Ad nonum respondetur, quòd duo dupla duorum octo, & quatuor comparata cum duobus duplis, quorum vnum est duodecim ad sex, alterum decem ad quinque, conueniũt in genere dupli, sed prima duo dupla sunt proportionalia ad alias duas species dupli, quod sic manifestatur. Si quantitas vnius octo ad quatuor, comparata cũ quantitate vnius decẽ ad quinque est proportionaliter dupla, ergo duo octo ad quatuor, & duo decem ad quinque, immò si innumera, & infinita forent octo, & quatuor, decem, & quinque, semper forent proportionalia in genere dupli, quia simplex spi-

na, & sepion sunt ad inuicem proportionales, vt dicitur 2. Poster. C.9. innumeræ, etiam & infinitæ si forent spinæ, & sepiones, essent proportionales, quare negatur consequentia, quòd si octo ad quatuor est vniuocum ad aliud octo, & quatuor, si comparetur idem octo ad quatuor, cum decem, & quinque, ergo non est proportionale, quia iam dictum est præcedenti capite, quod idem nomen ad diuersa comparatum potest esse analogum, & æquiuocum, & vniuocum.

Ad decimum respondetur, quòd ad datam responsionem non sequitur, ergo æqualitas, & inæqualitas simul, sed semper inæqualitates, idest inæqualia simpliciter vniuntur, quatenus fiunt, & sunt similes, vel æquales proportionaliter, quia prima, vt illuo octo ad quatuor, ad duo possunt comparari, vel inter se; & sic sunt æqualiter dupla; vel ad decem, & quinque, & sic eadem octo, & quatuor ad decem, & quinque comparata sunt inæqualiter dupla, quare semper in conceptu analogo dupli non conueniunt, vt æqualia, & inæqualia, sed semper, vt inæqualia in proportionali similitudine dupli.

Ad vndecimum respondetur, quòd dominus, quia se habet ad seruum, sicut pater ad filium simpliciter, & secundum eandem rationem, quantum ad simplicem actum referendi, non autem proportionaliter, inde relatio realis formaliter accepta dicitur de omnibus relationibus realibus, tamen si relationes in specie quantum ad prædicata specialia conferantur ad inuicem, non inconuenit, quod idem in genere sit vniuocum, in specie analogum, quia quod plus est Statua Herculis in genere corporis est vniuoca cum Hercule, cuius est statua, æquiuoca in forma Herculis, vt constat, &c.

Ad duodecimum respondetur, quod analogiæ nomen

pro secũdá intentione est relatiuum, sicut vniuocum, æquiuocum, genus, species, & similia, tamen sicut animal secundum se, & formaliter est res absoluta, quia non nisi fundamentaliter est capax denominationis genericæ, &c. ens etiã fundamentaliter abstrahit à relatiuo, & absoluto, quia in substantia est absolutum simpliciter, in alijs prædicamentis excepto ad aliquid est relatiuum ad subiectum, in ad aliquid relatiuum ad subiectum, & terminum, quare si proportionale, & proportionale relatiuum, ergo nihil est absolutum, ergo, &c.

Ad decimum tertium respondetur, quod differentiæ terminorum in ente non arguunt, quæstionem si est esse quæstionem in parte, quia tales differentiæ, vt dictum est capite præcedenti, non adduntur enti, vt differentiæ supponentes ens constitutum per differentiam superiorem, sed pertinent ad intrinsecam differentiam, quæ constituit tale ens, ergo, &c.

Ad decimum quartum respondetur, vt ad quartũ, quod ens, quia immediate dicitur de omnibus, quidquid sit de essentia commensurata ad esse nunquam ens est vniuocum quare, &c.

Ad primum illorum, Quæ videntur inferre totalem abstractionem ab omnibus modis diuidentibus ens, respondetur, quod non intelligitur similitudo, & diuersitas, vt duo disparata simpliciter, sed quatenus vniuntur in sola proportionali similitudine, vt in vniuocis, in quibus, quia nihil diuersitatis includitur, intellectus format conceptum simpliciter, idem in analogis autem quia fundamenta dicunt solam similitudinem proportionalem, intellectus formando illorum conceptum, illa intelligit, vt similia proportionaliter.

Ad secundum negatur consequentia, quia inferiora non

continentur in conceptu analogo ſimpliciter, ſed proportionaliter, quare non cognoſcuntur ſimpliciter, & ſecundum ſe abſolutè, ſed quatenus conueniunt ad faciendam differen, iam conſtituentem genus analogum; quod non arguit perfectiorem conceptum inferiorum in analogis, ſicut in vniuocis, vbi à differentijs, & inæqualitatibus ſub illis totaliter abſtrahuntur conceptus cõmunes, & ſi quis inſtaret, ergo ſaltem aliqualiter in analogis; & nihil ſimpliciter in vniuocis includitur in conceptu ſuperiori, reſpondetur, quòd illud tale eſt neceſſarium in analogis, quia non fit totalis abſtractio, ſed proportionalis, quia diuerſi modi inferioris, vt dictum eſt, pertinent ad intrinſecam quidditatem ſuperioris, ergo, &c.

Ad tertium reſpondetur, quòd ſubſtantia, & accidens dupliciter accipiuntur; ſimpliciter, & vt proportionalia; Primo modo ſubſtantia eſt prior cognitione; Secundo modo vtrunq; cognoſcitur, vt proportionale in conceptu communi, ſicut cauſa etiam eſt prior ſimpliciter effectu, tamen ſi, vt relatiua, ſimul cognoſcitur cum effectu.

Ad quartum reſpondetur, ſi vnum eſſet ita quod nullum aliud nec poſſet etiam intelligi, illud ens intelligeretur à ſe ipſo, ſecundum ſui naturam, & abſolutè, ſi tamen tale ens eſſet intelligens, nunquam tamen intelligeretur, vt ens analogum, ſicut etiam in tali caſu, nec vt æquiuocum, nec vt vniuocum propter defectum termini, ad quem & analoga, & vniuoca, & æquiuoca etiam debent referri.

Ad quintum reſpondetur, quòd nulla neceſſitas, diffinientem omnia ſcire, ſed ſolum illa, de quibus ab intelligente formatur conceptus analogus, & hæc nunquam ſcire ſimpliciter, ſed ſolum proportionaliter, quando res perfectè cognita ſecundum rationem analogam eſt intelligenda proportionalis cum altera, ſolum confuſè cognita, verum

nec etiam hoc pacto omnia debent intelligi, quia vt detur conceptus analogus, sufficiunt solum quatuor termini, quare in hac argumentatione solum sequitur, quòd qui plura posset cognoscere perfectiori modo, analogum penetraret; exemplum sit tale, esto quod pater habeat decē filios, vt cognoscatur sub ratione paternitatis, non est necesse, quòd omnes filios simul cognoscat, quia si vnum filium cognoscit, etiam cognoscit rationem paternitatis, quamuis plures cognoscendo filios perfectius, etiam cognoscat particularem illam rationem paternitatis, ergo, &c.

Ad primum illorum, quibus videbatur, quòd ens non prædicetur, nec analogicè, nec vniuocè, nec æquiuocè, sed abstractiori modo. Respondetur, quòd sicut dictum fuit Cap. præcedenti, communissima prædicatio entis arguit quidem, quòd tale prædicatum debeat dici transcendens, non tamen abstractiori modo, quam sit analogum, vniuocum, &c. quia hi partiales modi prædicandi vniuocè, analogicè, &c. solum diuidunt vniuersale, respiciendo simplicem identitatem siuè rei, siuè vocis, transcendens verò genericum, &c. non diuidunt vniuersale eodem modo, sed ex maiori, vel minori eiusdem rei, siuè vocis extensione, quare constat, quòd illius communissima ratio formalis solum attendi debet secundum prædicata transcendentalia, ergo, &c.

Ad secundum respondetur, quod cùm nominemus, & significemus, sicut concipimus, ex quò idem conceptus est explicitus in ordine ad vnum, implicitus in ordine ad aliud, inde etiam idem nomen analogum significat vnum determinatè, aliud indeterminatè, ergo sequitur, quòd nomina, vt significant vnum determinatè, sic conueniunt naturæ rei, & sūt propria, quantum ad conceptum determinatū, quem significant, sunt communia cæteris, quantum ad implici-

tam naturam aliorum, quam significāt, ergo, propter conuenientiam nominis analogi cum identitate rei proportionali, sunt analoga. Ad instantiam de conceptu confuso respondetur, quod talis conceptus cōfusus, solum pertinet ad quid nominis, quia cum nihil peculiare intelligatur, quod fundet proportionalem similitudinem, iam talis nominis explicatio, dicēdo v. g. quòd est, vt explicetur ens, nil aliud est nisi significatiua nominis, sicut ex quacūq; diffinitione vbi nil ponitur, quod pertineat ad essentiam, solum habetur nominis explicatio, ad Aristo. dicitur quod eadem diffinitio substantiæ secundùm illud nomen, in analogo est vnius distincta, alterius confusa. Si quis diceret, vtcumq; res cadat, quando dicitur animal, quia duo significātur, explicitè animalitas, & implicitè quod habet animalitatē, quia nō aliter posset prædicari de speciebus, nisi implicitè illas species significaret, quia *ex Porphyr.* nulla pars prædicatur de toto; à simili quando dicitur ens in ente duo debēt significari, explicitè esse, & implicitè quod habet esse, ergo etiā quado dicitur ens, explicitè significatur analogum, qui cum sint multa analoga, sustinere carnes principium, &c. ens tali pacto explicitè dicit tale genus analogiæ .f. existere potius, quam sustinere carnes, vel aliud, ergo sicut vox animal, significando animalitatem explicitè, & implicitè, quod habet, fit genus vniuocum, iam similiter, significādo existere explicitè, & quod habet tale existere implicitè erit genus vniuocum, respōdetur; quod in animali habetur conceptus vniuocus, quia differentiæ, quæ diuidunt animal, nihil pertinent ad rationem animalis, quia animal, & vniuersaliter omne vniuocum cōstituitur solùm per differētias superiores, ens autem, & alia analoga habent differentias, quæ simul diuidūt, & essentialiter pertinent ad constitutionem illorum, quare conceptus animalis est simpliciter confusus

in ordine ad differentias inferiores, vtpote nihil rei habentes cum essentiali ratione animalis, conceptus vero entis, est confusus, quatenus differentiæ, vel modi diuidentes, quamuis cum idẽtitate proportionali inseparabiliter semper habeant annexam diuersitatem, tamen in ipso non est necesse, quòd omnes implicitè contineãtur, quia vel vnũm ex analogatis explicitè solum continetur, aliud implicitè, vel si ambo implicitè per illud verbum, quod est, quãdo intellectus intendit liberare analogum à differentijs, vel modis, illud quod est pertinet ad quid nominis, aliud quod determinatè significat aliquã naturam pertinẽtem ad quid rei illius, ergo, &c.

Ad tertium, negatur in primis, quòd entitas duorum indiuiduorum eiusdem speciei specialissimæ sit vniuoca, sicut dictum est supra ad quartum, & quintum, & etiam præcedenti capite. Verùm quia dimissa analogia entis, quis posset arguere. Proportio dupla, octo ad quatuor, comparata cum alia pariter octo, ad quatuor, quia est vniuocè similis, comparata ad decem, & quinque, est similis, & dupla proportionaliter, ergo prædicari est superior identitas ad analogum, & vniuocum, quare semper ens, vt communissimum prædicabitur modo abstrahente ab æquiuoca prædicatione analoga, &c. Respondetur, vt ad primum, & sicut dictum est in præcedenti capite, quòd communissima natura entis solum arguit, quòd ens sit prædicatum transcendens, nõ autem abstractum ab analogo, &c. ex caussis ibi assignatis.

Ad quartum similiter, quia si entis communissima ratio sic potest abstrahere, vt fingitur, ergo, etiam deberet prędicari modo abstracto à trascendenti generico, & specifico, quod nec intellectus imaginari potest.

Ad quintum dicitur, quòd ens habet superioritatem,

non

non solum vocis, sed conceptus etiam, & rei in ordine ad omnia, tamen quia illius superioritas non est eadem simpliciter, sed proportionaliter, inde semper est analogum proportionale.

## *De quibus prædicetur ens secundum analogiam attributionis. Cap. XVII.*

Circa analogiam attributionis videtur, quòd prædicamenta dicantur secundum attributionem ad Deum, etiam in ratione entis.

Primò, Vrina dicitur secundum attributionem ad sanitatem animalis; quia signum sanitatis, sed multa tum nomina, tum res significant Deum, aliàs ex effectibus nõ potest cognosci Deus, ergo secundum attributionem.

2 Secundò, Magis distant priuationes, & negationes ab entitate substantiæ, quàm entia positiua à Deo in ratione entis, quia inter ens, & non ens est infinita distantia, sed negatio dicitur secundum attributionẽ ad substantiam *4. Metaph. Tex. 2. 7. Metaph. Tex. 2.* ergo aliquod ens potest habere attributionem ad Deum.

3 Tertiò, Animal pictum est analogum secundum attributionem ad verũ, quia si quæratur quid in eo, quod animal dicitur imago animalis veri, sed multa, immò omnia sunt imagines Dei, saltem quoad rationem entis; ergo secũdum attributionem, ergo, &c.

Si dicatur, quòd talia sunt similia, ex analoga proportionalitate, secundum quam intrinsecè, & formaliter ens solet dici de rebus, non autem secundum attributionem, quia in attributione non attenditur similitudo, sed simplex respectus.

Contra. Intrinseca prædicatio, siuè similitudo non

tollit attributionem, tum quia omnia dicuntur bona formaliter, & intrinsecè *primo Ethicorum Cap. 7.* & tamen referuntur secundum attributionem ad primũ analogatum, accidens ad substantiam 7. *Metaph. Tex.* 2. tùm quia medicinale 4. *Metaph. Tex.* 2. dicitur secũdum attributionem de eo, quod habet artem medicam, quia efficiens sanitatem, & tamen est formaliter sanum.

Quartò, Vrina dicitur sana, quia per ipsam cognoscitur, & significatur sanitas animalis, ergo effectus Dei erunt secundum attributionem, quia per illos Deus cognoscitur, & significatur secundum rationem entis, sicut patet ex demonstrationibus *Arist. 8. Phys. & 12. Metaph.* ergo analogia attributionis in ordine ad Deum.

Si quis diceret, quòd nullus effectus significat distinctissimam rationem entis in Deo, sicut sequitur, vt sit secundum attributionem, eo quòd nomen analogum, significat primum distinctè, secunda analogata confusè. Contra si sic, ergo vrina non est secundum attributionem sana, quia non omnia significat distinctè, quæ pertinent ad sanitatem animalis, quia si concoctionem humorum, iam non expulsionem significat, nec omnia alia, ad quæ arguitur perfecta sanitas, nisi vrina sit effectus vniuocus, qui sequatur ad sanitatem indicatam, quod si vniuocus, iam non esset secundum attributionem, vt constat.

Circa eandem analogiam entis videtur dubitari, quòd accidens in ratione entis non habeat attributionem ad substantiam.

Primò, Vel accidens habet hanc attributionem, secundum quod est intrinsecè, & formaliter ens, vel solum secundum extrinsecam denominationem, si primò, ergo non habet attributionem ad substantiam, quia in attributione terminus communis solum dicitur formaliter de primo, & de

cæte-

cæteris extrinseca denominatione, non secundò, quia si accidens est ens extrinseca denominatione, ergo, ens non dicitur quidditatiuè de omnibus; vt sustinent negâtes vniuocationem entis, vel saltem accidẽs est nihil, quia inter ens, & nihil nihil mediat.

Secundò, Entitas, ad quam habet attributionem accidens, vel est eadem cum entitate substantiæ, vel alia, si primò, ergo idem habet attributionem ad se ipsum, si secūdò, ergo ens nomen æquiuocum ad hæc duo entia, & tamen supra habitum est, quod ens est proportionale, ergo etiam non habet attributionem ad substantiam in ratione entis, sicut nec vrina Petri habet attributionem ad sanitatẽ Antonij, quia alia, & alia est sanitas vtriusque.

Tertiò, Substantia in ratione entis, non ingreditur diffinitionem accidentis, in eo quod ens, ergo accidens nõ habet attributionem ad substantiam in ratione entis. Consequentia clara, quia talis est analogorum secundum attributionem natura. Antecedens probatur. Entitas substantiæ, quæ dicitur ingredi diffinitionem accidentis, vel est entitas, vt commune analogum secundum proportionem ad substantiam, & accidens, & sic vnum nõ ingreditur diffinitionem alterius, sed semper diffinitio vnius est alterius diffinitio proportionaliter, vel est entitas, vt est distincta simpliciter, & absolutè ab entitate substantiæ, quod si sic, ergo distinguuntur ad inuicem, ex eo quia substantia est ens in se, accidens in alio, ergo distinguuntur contrariè non minus, quam differentiæ sub genere, ergo sicut disparata species, nec vnius differentia ingreditur diffinitionem alterius disparatę, quia adeo sunt incompossibiles, ratione contrarietatis, quod implicat in eodem reperiri 4. *Metaph. Tex.* 27. ergo nec substantia ingreditur diffinitionem accidentis, ergo, &c.

Quar-

Quartò, Vel accidens habet relationem realem in eo quòd ens ad substantiam, vel rationis, secundum quam possit habere talem attributionem; non secundo, quia ex relatione secundum rationem non datur attributio realis, quam quærimus in accidente; nō primo saltem in accidente, quod est prædicamentum ad aliquid, & relatio realis, quia non est relationis relatio, ergo saltem non omne accidens habet attributionem ad substantiam.

Quintò, Accidens, quamuis sit causa effectiua entitatis in substantia, saltem dispositiua, eo quod Aristoteles antiquis concedit *1. Phys. Tex. 76.* quòd si fit homo, fit simul animal, substantia, & ens, & tamen substantia non habet attributionem ad accidens, secundum rationem entis, quamuis illius causa, ergo nec accidens ad substantiam, quamuis illius causa, nec valet dicere, quòd accidens est sola dispositio substantiæ, tum quia ex hoc sequeretur quòd substantia esset magis secundum attributionem, quam accidens, tum quia *Aristo. 4. Metaph. Tex. 2.* quòd instrumenta dicuntur medicatiua secundum attributionem ad medicum, tamquam ad principale agens, quod arguit in omnibus efficientibus, siue disponentibus, siue non; sit æqualis ratio analogiæ secundum attributionem, ergo, &c.

In hac materia attributionis multa quidem, & ferè innumera considerari possunt, tamen vt breuitati studeamus, tria tantummodo prælibabimus, ex quorum cognitione duæ veritates maximè apparebunt, quòd entia finita, & prædicamentalia non habent attributionem ad Deum, & quòd accidens est analogum secundum attributionem ad substantiam.

Primum, Ex propositis ad prælibandum est tale. Analogum secundum attributionem, formaliter, & intrinsecè dicitur de primo analogato, de cæteris autem secundum

extrinsecam denominationem.

Secundum, Analogum tale non habet conceptum formalem, nec obiectiuum distinctum, & abstractum ab analogatis.

Tertium Primum analogatum ponitur in diffinitione cæterorum, secundum tamen nomen analogum.

Circa primum ex propositis considerandum, quòd nomina, quæ significant conceptus, & inde res, quæ repræsentantur per tales conceptus, aliquando significant conceptus absolutè, absque inclusione aliqua cuiusuis modi imperfectè significati, in eorum significatione, vt risibilitas de homine; aliquando conceptus includentes aliquid imperfectionis ex participata ratione dicti conceptus, vt nomen leonis, quando dicitur de homine, non quia absolutè sit talis, sed quia fortè habet fortitudinem, & mores leonis nomina primo modo accepta in ordine ad omnia, de quibus prædicantur, sunt vel vniuoca, vel proportionalia, quia si absolutè de omnibus, ergo secundum eamdem rationem, simpliciter, vel proportionaliter, quod est esse vniuocum, vel proportionale, vt constat ex illorum diffinitione; nomina secundo modo, quia significant conceptus habentes solum, & simplicem, respectum ad id, quod absolutè significatur sunt analoga, vel ex aliqua similitudine, vel ex aliqua operatione reali ipsis conueniente, secundũ quòd ad primum referuntur; primo modo statua hominis dicitur homo, quia sola hominis imago, secundo modo medicina sana, quia solum effectiua sanitatis.

Analoga itaque secundum attributionem, de quibus in præsenti, sunt talia, quia habent commune nomen, quod propriè, & absolutè significat primum analogatũ, ad quod alia referuntur ex causa alicuius operationis realiter exercitæ circa illud primum analogatum, alia verò analoga ta-

signi-

significat non nisi quantum ad illos respectus, secundum quos talia analogata ad primum ordinantur; habita semper hac differentia, vt distinguantur ab analogis, de quibus datum est exemplum imaginis; quòd in illis respectus est ex simplici similitudine ad primum; In istis semper respectus est ex causa realis dependentiæ, quam habent ad primum, vel efficientis, vt medicinale, quod dicitur de potione cibo, &c. 4. *Metaph. Tex.* 2. quia à Medico tamquam à primo analogato, vt à causa efficienti ordinata procedunt, vel finalis, vt sanitas de medicina, & vrina ibidem, quia ordinatur ad sanitatem animalis, tamquam ad finem; vel materialis, vt ens de accidentibus, *ibidem*, quia ordinantur ad substantiam tamquam ad illorum subiectum.

Hinc modo sequitur, quod hæc secundaria analoga secundum attributionem, non aliter à priori vocabulo, voce, & significatione deriuentur, vt intrinseca ratio omninò in attributione saluetur, quam, vt effectus formales à sua causa formali, etenim hinc necessariò colligitur quòd sanum in concreto dictum de medicina, & vrina nullius sanitatis possit esse effectus formalis, nisi illius, & eiusdem sanitatis numero, quæ propriè, & absolutè est in animali, & de eodem animali prædicatur in concreto.

Analoga, siuè à similitudine, siuè à causa accepta, dicuntur talia propter relationem, & respectum ad primum, quia deficiente formali inhærentia rei, quæ prædicatur, & est in primo analogato ex illorum imperfecta participatione rei principaliter, & absolutè significatæ nomine analogo, si adhuc tale esset relatio ad primum, iam nec participatio rei analogæ, nec aliqua illius nominis prædicatio, nisi æquiuoca fingi posset, vt constat ex terminis.

Analogorum ex causa respectus est propter realem de-

pendentiam à primo analogato, etenim ſanitas vrinæ eſt à ſanitate animalis, medicinale inſtrumenti à medicinali medici, entitas accidentis ab entitate ſubſtantiæ, tamquam ab vltimo fine, à principali agente, & à primo ſubiecto, eo quod ſemper primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum 10. *Metaph. Tex.* 2.

Analogata ſecundaria in attributione vltra dependentiam realem, quam habent à primo analogato, adhuc exercent realem operationem terminatam ad primum illorum analogum, quia ſi nihil rei haberent, quod foret reale, & terminatum ad primum, iam reſpectus realis analogatorũ, qui quæritur pro ſuſtinẽda formali ratione ipſorum, exiſteret abſque fundamento reali, quod nec etiam imaginari eſt poſſibile, & eo maximè, quia ablata neceſſitate dictæ operationis in ſecundis analogis, quilibet effectus haberet attributionem ad ſuam cauſam, & ſic nomen cauſæ ſecũdum attributionem poſſet prædicari de omnibus effectibus cuiuſcunque cauſę, omnia etiam, quæ cauſantur à ſole, poſſent ſecundum attributionem dici ſoles, immò, quod plus eſt, animal haberet attributionem ad medicinam, à qua effectiuè dependet ſanitas animalis, non autem medicina ad animal.

Eadem analoga ſecundaria, voce, vocabulo, & ſignificatione deriuantur à primo analogo, vt effectus formalis à ſua cauſa, quia ſi ſanum animalis eſt effectus formalis ſanitatis, quæ eſt formaliter in animali, & propriè, vt conſtat, ſanum vrinæ, & cæterorum, quando alterius ſanitatis effectus, imaginari poſſet, tunc non ad ſanitatem animalis, ſed ad ſanitatem illius, cuius eſſet effectus formalis, analogum ſecundum attributionem foret, vel ſi nec huius nec illius ſanitatis eſſet effectus formalis, ſic daretur ſanum ſine cauſa formali, & denominatiuum ſine forma denominante, &

adhuc

adhuc nullius analogum secundum attributionem verè affirmari posset, quia in tali casu, nec ad aliud diceretur, ex quo nullius alterius sanitatis foret effectus formalis, nec ad se ipsum, quia eiusdem ad seipsum nulla relatio, quare ex defectu relationis nec attributio sustineri posset.

Sed hic occurrunt quædam dubitanda primo, si sanum in omnibus est effectus formalis sanitatis in animali, ergo analogà sunt vniuoca, tum quia ab vna, & eadem numero forma non nisi vnus effectus formalis haberi potest, vt de se constat, tum quia non est intelligibile, quod effectus formalis sit separatus à forma; cuius est effectus formalis, ita quòd albedo sit in pagina, & album in pariete, vel quod paries dicatur albus ab albedine paginę, ergo, &c.

Secundò, Signum nihil reale ponit & causat in re signata, quia signatum à signo solum accipit denominationem extrinsecam, ergo non est videre qualem operationem habeat vrina, vt signum sanitatis, quæ terminetur ad eamdem animalis sanitatem, ergo, &c.

Tertiò, Si respectus necessarius pro fundanda denominatione accepta à nomine analogo, ergo secunda analoga conuenientius deberent denominari talia à respectu, vel relatione, quàm à termino, ad quem ordinatur talis relatio, tum quia sic esset denominatio á forma inhærēte, eo quòd in relatiuis non fit denominatio à forma extrinseca, & sēper constat, quòd extrinseca prædicatio non nisi in defectum intrinsecę accipi solet, tum quia non est intelligibile, quod Petrus denominetur pater à paternitate Antonij, ad quam refertur eius filiatio, potius, quam à filiatione sibi inhærente.

Quartò, Ex quo dictum est, quod remoto respectu, & relatione, à secundis analogatis ad primum nulla sequitur attributio, potest quis interrogare absque alia apposita diffi-

cultate, quis sit hic respectus, & relatio, certa ne, & limitata relatio, qualis est inter quatuor, & duo, an potius sufficiat relatio vtcumque siue limitata, siuè illimitata.

Ad interrogationem quarto loco factam respondetur, quòd in attributione requiritur necessariò certa, & limitata relatio ad primum analogatum, non solum in genere respectus, quatenus vnum ex analogatis respicit primum, vt efficiens .s. medicina, aliud, vt significans sanitatem, vt vrina, sed etiam, quod in proprio, & particulari genere respectus eadem medicina, vt effectiua sanitatis, dicit talem habitudinem ad sanitatem animalis, qualis est habitudo dimidiæ, tertiæ, quartæ partis, vel cuius alterius, ex aliquo numero determinato acceptæ. Similiter vrina in proprio genere significat eamdem numero sanitatem, secundum certum, & limitatum gradum signi ad eamdem sanitatem relatum.

Probatur ex pluribus, primo si non adesset hæc limitata habitudo ad primum in attributione, ergo non esset idem numero terminus formaliter, qui respiceretur ab analogatis, sed alius iuxta diuersitatem causantis, significantis, &c. quia hoc pacto remota certa relatione posset occurrere, quod aliud esset causatum à medicina, aliud significatum ab vrina, & aliud acceptum ab animali, quod non est intelligibile, si tamen ratio formalis attributionis saluanda vellit: idem confirmatur exemplo veritatis, quæ dicitur secundum attributionem de voce, & re per ordinem ad veritatem conceptus, tali pacto, si voces, & res non habent limitatam habitudinem ad conceptus veritatem, nec ex verbis, nec ex rebus posset haberi certam veritas alicuius determinati conceptus, sed semper incerta, & illimitata esset formalis veritas conceptus, iuxta illimitatam; & incertam habitudinem vocis, & rei, tum quia non potest ex vi nominis

nis distinctiùs,atque perfectius significari conceptus,quam sit habitudo illius ad cōceptum,etenim in tali casu signum, non esset formaliter significatiuum ex illius habitudine ad conceptum, contra naturam attributionis, vt supra, tum quia veritas conceptus aliunde proueniret, quam ex veritate rei, contra Aristotelem, & omnes Philosophos,si relatio causantis veritatem non esset adæquata cum veritate conceptus, quod semper, vt constat est falsum, quia iuxta mutationem rei semper mutatur veritas orationis, & conceptus. *Cap. de substantia.*

Iterum confirmatur exemplo imaginis,si imago sit perfecta hominis imago quantùm ad lineas, & figuram, non quantum ad colores, qualis est statua ex marmore, non dicetur habere nec attributionem, nec similitudinem, nisi ad illa, quæ repræsentantur, & significantur per ipsam,ergo si illimitatam habitudinem, vel rationem signi, & imaginis haberet quantum ad figuras, & lineas,non nisi quantum ad gradum significatum, & repræsentatum haberet habitudinem ad hominem, ergo semper adæquatum signū, & imaginē necessarium est, quòd habeat cum re, ad quam dicitur habere attributionem, ergo limitatum iuxta limitationem, ad quam habet habitudinem, quia, sicut simpliciter ad simpliciter, sic tale, & tantum ad tale, & tantum ergo, &c.

Secundò, Talis est necessaria relatio ad terminum,qualis requiritur termini cognitio, vt detur certa scientia relationis, quæ ordinatur ad terminum, quia relatiuorum esse est ad aliud, sed ex *Arist. Cap ad aliquid*, si aliquis non nouit omnino ad quid hoc aliquo modo se habet, neque si ad aliquid hoc aliquo modo se habet potest cognoscere, vt in exemplo dupli, & melioris, vbi dicitur, quod ex non habita cognitione, cuius sit duplum, vel cuius sit melius, non sequi-

sequitur illorum scientia, sed sola suspicio, ergo relatio in attributione erit certa, & limitata iuxta certam, & limitatam rationem in primo analogo existentem, ad quam dicitur habere attributionem, ergo, &c.

Tertiò, *Aristo.6.Phys.T.* 18. ad difficultatē Zenonis, qui contendebat non dari motum, quia mouens, secundum ipsum, debebat transire infinitas partes spatij: Respondet, quod si partes spatij sunt infinitæ, infinitum est, etiam tempus, & eo modo etiam infinitum, quo motus perficitur in spacio. Eamdem responsionem admittit 8. *Phys. Tex.* 68. Quantum pertinet pro adæquata proportione temporis, motus, & spatij, quamuis ad tollendam omninò difficultatem Zenonis 8. *Phys.* ostendat in specie, qualiter infinitę partes temporis possint pertransiri, ergo non sufficit quæcumque habitudo, & relatio, sed semper talis, qualis terminus, ad quem ordinatur relatio, vt saluetur, quòd relatiua sint simul natura, ergo in attributione certa semper, & limitata proportio, & habitudo ad primum analogatum, ergo, &c.

Ad tertium respondetur, quod non fit denominatiò in attributione à relatione medicinæ, vel vrinæ quæ est ad sanitatem animalis, nec ab opposita relatione sanitatis, quæ est ad ipsam, sed semper à sanitate animalis, ad quam referuntur relationes medicinæ, & vrinæ, quia si à relatione fieret denominatio, medicina, & vrina habèrent attributionem ad talem relationem, non ad sanitatem animalis, quia semper attributio est ad illud, à quo nomen accipitur; nec sequitur, quod analoga sint vniuoca, quia id, quòd tollit vniuocationem in attributione, sunt diuersi respectus ad eamdem formam, & terminum, solum sequitur, quòd medicina, & vrina ex relatione, quam habent ad sanitatem animalis, illa efficientis, hæc significantis, quòd possint etiam denomina-

minari à tali relatione inhærente, vbicumque illarum nomina dentur, quia, vt dicitur *Cap. de qualitate*, à naturali potentia non habetur denominatio propter defectum vocabulorum, quod si nomina forent harum relationum, secundum quæ possent dici sic, & sic relata ad sanitatem animalis, nunquã ex tali nomine relationis haberent aliquam attributionem, si non aliunde, saltem ex diuersitate nominum, quibus diuersæ relationes significarentur, & ex re significata nomine earumdem relationum, quæ simpliciter, & absolutè verificaretur de ijsdem rebus diuersimodè relatis ad primum analogatum, ergo medicina, & vrina à sanitate animalis, quæ est fundamentum oppositæ relationis sana dicuntur.

Quando additur, quod extrinseca denominatio non fit, nisi ex defectu intrinsecæ; Respondetur, quod hoc est verum in ordine ad eumdem conceptum obiectiuum, quòd si plures conceptus obiectiui, vt in proposito, vbi datur relatio ad sanitatem, & datur etiam sanitas animalis, ad quam exercetur relatio causantis, significantis, &c. duplex etiam denominatio datur; alia intrinseca à relatione, vbicumque dentur nomina relationum, vt in exemplo naturalis potentiæ, alia extrinseca à sanitate, ex quo non nisi respectum ad sanitatem habent medicina, & vrina, & hoc propter defectum rei significatæ nomine sanitatis, quæ non conuenit ipsis simpliciter, & absolutè, sicut animali conuenit, & sicut requiritur in denominatione intrinseca, ergo, &c.

Ad secundum respondetur, quòd signum essentialiter vt tale, quia vt communiter ab omnibus accipitur, stat in hoc, quòd præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud faciat in cognitionem venire, inde non potest negari, quòd signum exerceat realem operationem, quæ terminetur ad rem significatam, vrina ad sanitatem, oratio ad ve-

ritatem, &c. quia duplex eſt obiectum cognitum, vnum ad intra .ſ. ſpecies expreſſa ſanitatis in cognoſcente, aliud ad extra nempe ſanitas in animali, cognoſci in obiecto extrinſeco, ſolum ponit relationem rationis, ſecundum quam dicitur cognitum; in obiecto intrinſeco ponit eſſe reale cognoſcibile .ſ. eſſe imaginem rei cognitæ. In propoſito, ſignum ponit eſſe rei ſignificatæ, necnon terminum,& obiectum cognoſcentis eamdem rem ſignificatam, differenter tamen à ſigno, & cognoſcente, quia operatio cognoſcentis eſt à cognoſcente, tamquam à principali agente, à ſigno, tamquam ab inſtrumento, iuxta illud 2. *Poſteriorum. Cap.* 2. *demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire*. quare, vt dici poſſit, quod cognitio ſit operatiò realis, quia ſufficit, quòd ſit realiter exercita à cognoſcente, & realiter terminetur ad rem cognitam, tamquam ad proprium obiectum, quamuis nihil reale ponat in re ad extra, ſed ſolum in cognoſcente modo iam dicto; ſufficit etiam vt ſignum inſtrumentaliter exerceat realem ſui ipſius operationem, quæ conſiſtit in hoc, quod eſt ſignificare aliud præter ſe ipſum, ſufficit dico quòd talis operatio terminetur ad obiectum ſignificatum, & illud reale, quod requiritur in obiecto extrinſeco, ad quod terminatur operatio, ſit in cognoſcente, quare, &c.

Ad primum reſpondetur; quod ex vnitate formæ, à qua pendent plures effectus formales, non ſequitur, quòd analoga ſit vniuoca, quia hoc euenit, vt dictum eſt ex varijs reſpectibus analogatorum ad terminum analogum; eo quod ſanum aliter eſt effectus formalis ſanitatis in animali, medicina, & vrina, in animali namque eſt effectus formæ inhærentis, propter formam ſanitatis, quæ non conuenit ipſi ſecundum aliquam imperfectam participationem, ſed ſimpliciter, & abſolutè ſecundum illud totū eſſe, quod ipſi eſt eſſentiale, in medicina verò, & vrina propter imperfectam

ſani-

ſanitatis participationem, eo quia ſolum in ipſis ſanitas ponit reſpectum cauſæ, vel ſigni ad eandē numero ſanitatem quæ in animali.

Quando additur, quomodo effectus formalis in medicina, & vrina à forma non inhærente reſp ondetur, quòd hoc non inconuenit, quia comparatur hoc pacto ſanitas animalis ad vrinam, & medicinam, in eo quod ſana, vt actus ad potentiam, & indé ſi non eſt forma inhærens, eſt ſaltem gerens vicem formæ, quia formæ proprium, & eſſentiale eſt éſſe actum, hoc autem ſic probatur exemplo ſcientiæ.

Scientiæ denominantur, immo eſſentialiter conſtituuntur in ſuo eſſe ſpecifico ex obiecto formali, iuxta illud 2. *de Anima Tex.* 35. potentiæ per actus, & actus per obiecta, erſgo obiectum ſe habet ad ſcientiam, vt forma, & actus ad potentiam, quia actus eſt qui diſtinguit, & ſeparat. 7. *Metaph. Tex.* 49. ſed obiectum eſt, extrinſecum à ſcientia, quia cientiarum differentiæ ſunt intrinſecæ, quamuis deſumantur ex ordine eſſentiali ad obiectum extrinſecum, ergo ſanitas animalis erit etiam, & ipſa forma medicinæ, & vrinæ in eo quod ſanæ dicuntur, eo quod propriæ, & eſſentiales illarum differentiæ deſumuntur ex ordine eſſentiali, quem habent vt ſic à ſanitate animalis, non minus, quam ſcientiarum differentiæ ab obiecto ſcibili, ergo ſanum medicinæ, & vrinę eſt effectus formalis eiuſdem numero ſanitatis, quę in animali.

Quod ſi quis inſtando arguat, ſi intrinſeca differentia ſanitatis in medicina, & vrina deſumitur per ordinem ad ſanitatem animalis, ergo ſanum, quod dicitur de ipſis eſt effectus formalis differentiæ intrinſecæ non autem ſanitatis in animali. Reſpondetur, quod à ratione formali, à qua pendet hic effectus formalis, non excluditur ſanitas animalis, quia ſi obiectum eſt forma ſcientiæ, eo quod ex ordine

ad ipsum desumitur intrinseca differentia scientiæ, quia quod est causa causæ, est etiam causa causati eo modo, quo est causa causæ, ex quo obiectum est causa, vt forma extrinseca, differentia, quæ constituit scientiam in esse specifico, sciens etiam erit effectus formalis non solum scientiæ, sed etiam obiecti scibilis, illius, vt forma intrinsecè, huius extrinsecè, ergo idem erit de sano, quando dicitur medicina, & vrina est sana, ergo, &c.

Circa abstractionem quæsitam considerandum, quòd multipliciter potest imaginari talis abstractio. primo, quod commune analogum abstrahat, vt quid superius à primo, & secundis analogatis. Sanitas v.g. à sanitate animalis, vrinæ, & medicinæ, quasi quod nomine sanitatis significetur aliquid superius ad sanitatem formaliter, & ad sanitatem causatam, & significatam, & quòd in tali conceptu sanitatis abstractæ includatur nihil sanitatis formaliter significatæ, & causatæ.

Secundò, quòd abstrahat saltem, vt quid commune à secundis analogatis. Sanitas dico secundum extrinsecam denominationem à respectibus omnibus, qui cōtinentur in secundis, quasi quod talis conceptus sic abstractus dicat respectum ad primum analogum, idest ad sanitatem animalis, abstractum tamen à tali respectu signi, & causæ.

Tertiò, quòd abstrahat à subiectis, & rebus, quæ continentur sub tali nomine, & forma, analogicæ attributionis, sanitas formaliter ab animali, causaliter à medicina, & vt signum ab vrina.

Quartò, quod secunda analoga abstrahant à subiecto, quod est primum .i. respectus medicinæ, & vrinæ ab animali.

Quintò, quod ratio, quæ formaliter, & intrinsecè saluatur in primo .i. sanitas in animali, abstrahat à rationibus,

quæ

quæ ſunt in ſecundis analógatis à ſanitate, vt cauſa, & vt ſignum.

Si primo modo, impoſſibile eſt mente concipere, etiam data fingendi venia, dari aliquod cõmune, quod poſſit fundare ſimilitudinem, vt fiat abſtractio per modũ ſuperioris à particularibus modis in attributione contentis, tum quia tale ſic abſtractum eſſet vniuocum, vt conſtat ex terminis, quare non amplius analogum, tum quia ſi ratio ſecundum nomen eſſet eadem in omnibus, iam commune analogum non prędicaretur de primo intrinſecè, & de ſecundis ſecundum extrinſecam denominationem, immò primum ſecundum rationem communem nominis analogi non eſſet cauſa cæterorum, ſed indifferenter ſe haberet ad omnia; illud commune, vt patet in vniuocis, animalitas etenim hominis non cauſatur ab animalitate in equo, nec è conuerſò, quia eſt eadem ſimpliciter in omnibus, quòd ſi diuerſa, propter diuerſum modum prędicandi ſecundum intrinſecam, & extrinſecam denominationem, iam talis ratio non eſſet ſuperior, ſed immediatè de omnibus prædicaretur, ſicut principaliter modò contendimus.

Si ſecundo modo, nec adhuc poteſt abſtrahi à ſecundis analogis, quia licet corpus abſtrahat, vt quid ſuperius ad corpus viuum, & ſtatuam Mercurij ex marmore, quia ęqualiter conueniunt in ratione ſubſtantiæ, & trinæ dimenſionis, tamen in ratione Mercurij diffinitio èſt alia, & alia, quia vnũ eſt animal rationale, aliud imago animalis rationalis. A ſimili non inconuenit, quòd reſpectus medicinæ, & vrinæ in ratione ſimplici, relationis poſſint conuenire, & quod relatio, quæ dicitur de ipſis, vt relatio, formaliter abſtrahat ab omni ſpecie relationis, & tamen, quia illorum diffinitio, ſecundum nomen relationis, ſecundum attributionem non eſt eadem ſimpliciter, ſicut diffinitio Mercurij, quæ nõ erat

eadem

eadem, nisi in ratione corporis, non autem in ratione ſecundum nomen Mercurij, inde à reſpectibus, quibus ſecunda analogata ordinantur ad primum, non poteſt abſtrahi communis conceptus ad omnes reſpectus, ſed ſemper totidem reſpectus, quot ſecundaria analogata, quibus occurrunt ad primum referri.

Si tertio modo analogum formaliter acceptum, vt dicitur intrinſecè de animali, non abſtrahit à ſubiecto, quod denominatur tale, ſanitas dico formaliter ab animali, nec analogum, vt dicitur ſecundum extrinſecam denominationem abſtrahit à ſecundarijs analogatis i. ſanitas cauſalis à medicina, vt ſignum ab vrina, quod ſic probatur. Differentię in accidentibus deſumuntur à principijs ſubiectorum, & ex ipſis ſubiectis talia accidentia diffiniuntur iuxta illorum diffinitiones, immò formarum etiam differentiæ, & diffinitiones, quæ traduntur ab Ariſto. in tota ſua Philoſophia, ergo ab illo non poteſt abſtrahi accidens, etiam in prima operatione intellectus, ſed analogū primum reſpicit ſuum analogatum, tāquam proprium ſubiectum, analoga etiam ſecunda, ſua analogata, tamquam propria ſubiecta, ſanitas, formaliter, animal, cauſaliter, medicinam, & vt ſignum vrinam, ergo nec ab animali, nec à medicina, nec à quocumque alio analogato eſt abſtrahibilis conceptus termini analogi.

Si quarto modo, ſecundaria analoga non ſolum in ſui completa diffinitione non abſtrahunt à proprijs ſubiectis, ſed nec à ſubiecto primi analogi. i. ſanitas cauſalis medicinæ non abſtrahit à ſubiecto formaliter. ſ. ab animali, quia in vnum relatiuum non poteſt diffinitè ſciri niſi id, ad quod dicitur non ſit diffinitè cognitum, quia *relatiuorum eſſe eſt, ad aliud Cap. ad aliquid,* modo, quia eſſe relationis radicaliter oritur à fundamento, quod reſpicit ſubiectum, in quo

ſuſti-

sustinetur, & à quo dependet, ergo secundaria analoga, quia essentialiter includūtur sub analogia attributionis, propter diuersos respectus, quos habent ad primum analogum, absque termino, & subiecto primi analogi intelligi nequeunt, ergo sanitas medicinæ, & vrinæ non abstrahit ab animali, in quo saluatur sanitas formaliter, & intrinsecè.

Si quinto, & vltimo modo, analogum primum, sanitas dico animalis abstrahit à sanitate medicinæ, & vrinæ, nec non à subiectis illarum hoc pacto. Relatio transcendentalis abstrahit ab opposita relatione, sed relatio secundi analogati, in ratione termini analogi est transcendentalis, quia in prædicamentali relatione nulla prioritas, & causalitas ex Aristo. *Cap. ad aliquid*, & primum, vt supra est causa cæterorum analogatorum, ergo in primo analogo, in sanitate animalis, nulla mentio, nec sanitatis, nec aliorum subiectorum, quia impossibile, quòd in diffinitionibus per aliud, duo se inuicem diffiniant, ergo, &c.

Circa tertium ex propositis, facillimum est scire, quòd secundaria analoga in propria illorum ratione, & diffinitione, necessariò recipiunt, & subiectum, & formam, ad quam tamquam ad primum analogum attributionem habēt, quia si non abstrahunt nec à subiecto, nec à forma primi analogi, si dicunt relationem transcendentalem ad primum, si illorum esse à primo dependet, vt supra; modò, quia res nec sciri, nec diffiniri potest, nisi eo modo, quo est, ergo non nisi per primum sciri, & diffiniri possunt.

Verum, quia docuit Aristo. *Cap. de vniuersali*, quòd proprietates non resoluuntur in quæcūque subiecta, sed solum in prima, & adæquata .i. secundum illos conceptus obiectiuos, in quibus causa propria, & adæquata cōtinetur illarum passionum, ergo animal, quod est subiectum sanitatis, primum inter analogata secundum attributionem, quamuis

sub

ſub pluribus conceptibus obiectiuis accipi poſſit, ſub conceptu entis, ſubſtantiç, corporis, viuẽtis,&c.tamen,quia tales conceptus non includunt primò, & adæquatè cauſam ſanitatis formaliter, in diffinitione medicinæ, vrinæ, vt ſana, animal ſolum accipitur, vt primum,& adæquatum fundamentum ſanitatis formaliter .i. vt habens ſic, & ſic adæquationem humorum; dico ſic, & ſic non autẽ ex quacumque adæquatione humorum, quia mixta habent adæquationem contrariarum qualitatum, & tamen non dicuntur ſana, ſed ſolum animal ex Ariſto. *Cap. de oppoſitis*, quod ſic confirmatur, ſi aliter, quam dictum eſt illud fieri poſſet,ergo illud quod fuiſſet acceptũ pro primo analogo, & ſubiecto non eſſet primum, ſed illud quod fingeretur neceſſariò acceptũ in tali diffinitione, quia res non niſi per propriam, & adæquatam cauſam ſciri, & diffiniri poteſt iuxta doctrinam *Cap. de vniuerſali*, vlterius ſi affirmatio,cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis 1. *Poſter. Cap.* 14. ergo,cum primum analogum, propriũ etiam, & adæquatum illius ſubiectum ingrediantur diffinitionem aliorum non aliunde, quàm ex hoc, quod vnumquodq; per propriam,& adæquatam cauſam ſcitur, & diffinitur, ergo quæcumque forma, & quodcunque aliud ſubiectum quomodolibet excogitatũ,quod ſit aliud à primo,eſto dico,quòd eſſet etiam idem realiter cum primo vbicumque accipiatur ſub alia formalitate eſſentialiter diſtincta à propria ratione, ſecundum quam fundat ſecunda analoga, à diffinitione illorum eſt remouendum, ergo animal, & ſanitas ingrediuntur diffinitiones ſanitatis,vrinæ; & medicinæ, ſolum ſub tali formalitate, ſecundùm quam terminant oppoſitos reſpectus ſanitatis, vrinæ, & medicinæ ad ipſa, ergo, & c.

Reliquum eſt tandem, quòd ex tribus modò conſideratis inferamus duas veritates propoſitas, quod accidens ſit ana-

analogum, secundum attributionem ad substantiam, nequaquam ad Deum.

Primum deducitur hoc pacto. In conceptu accidentis in eo quòd ens includuntur varij conceptus ad substantiam, in eo quòd ens; quia, vt dictum est *Cap. 10. ex Aristo. 7. Metaph. Tex. 2.* accidentia, non sunt entia absolutè quemadmodum substantia, sed quia entis, aliter tamen, & aliter, eo quòd istud est ens, quia passio substantiæ, illud, quia causa effectiua, &c. immò accidens in ratione entis diffinitur per substantiam, quatenus ens, etenim accidentia non sunt entia, nisi quia entis, quod est substantia, quia ibidem legitur *quædam enim, quoniam substantiæ*, ergo ens dicitur de substantia formaliter, & intrinsecè, de accidentibus secundum extrinsecam denominationem, ergo non datur conceptus, qui sit vniuocè communis ad ipsa, ergo, quia nec adhuc ens est vniuocum ad illa, vt ibi ex Aristo. sequitur, quòd sit analogum secundum attributionem, quia supradictæ conditiones, non nisi de analogia secundùm attributionem, iuxta tres considerationes factas, verificari possunt.

In hisce illationibus, sola apud me remanet illa difficultas, quæ communiter solet afferri, qualiter ens dicatur secũdum extrinsecã denominationẽ de accidente, tum quia si accidentia, vt dictum est Cap. 10. verè, & realiter sunt entia non solum, vt passiones, & vt via ad substantiam, sed quia assimilantur cum substantia in entitate, eo quod nullo intellectu considerante, vtrunque verè, & formaliter habet esse reale, ergo ens formaliter, & intrinsecè dicitur de omnibus.

Ad hanc difficultatem respondetur, quod substantia, & accidens dupliciter considerãtur, primo secundum suas naturas, substantia, vt talis, accidens etiam, vt tale, quatenus

dico sunt quædã absoluta, secundò, vt proportionaliter similia ad sua esse, si secundo modo vtrumque habet esse reale formaliter, & intrinsecè, & sic sunt analoga, secũdum proportionem; verum si primo modo accipiantur, quia in ipsis, vt sic non includitur similitudo proportionalis, immò sequitur quòd seclusa tali similitudine, adhuc ad inuicem possint comparari, quatenus vnum ordinatur ad aliud, tamquam ad subiectum, natura .s. accidentis absolutè accepta, ad naturam substantiæ pariter absolutè acceptę, inde ex tali respectu accidentis ad substantiam, saluatur nomen entis commune ad substantiam, & accidens, sed ratio secundum illud nomen dicitur extrinsecã denominatione de accidente, formaliter intrinsecè de substantia, ergo si ens formaliter intrinsecè dicitur de accidente, hoc euenit, quia secundum suam naturam absolutè acceptam non est ens formaliter, sed quia entis, quod est esse ens secundum attributionem ad substantiam.

Quod tali exemplo manifestari potest. Detur animal viuum habens perfectam sanitatem, retineat in suo sinu aliud animal aduersæ naturæ, calor naturalis continentis alterer aliud aduersæ naturæ, ita, & taliter quod incidat in ægritudinem certum est, quod animal continẽs est formaliter sanum, & intrinsecè quia suppositum est, quod habeat perfectam sanitatem, est etiam causaliter, & secundum attributionem, & extrinsecam denominationem ęgrum, quia tritissimum in arte medica, quod sanum, & ægrum dicuntur de subiectis, causis, & signis, de primo, intrinsecè, & formaliter, de alijs, secundum extrinsecam denominationem. Detur, quòd idem animal retineat in suo sinu aliud, quod non sit aduersæ naturæ tamen ægrum, & quod ex calore continentis sanitas amissa restituatur, ergo in tali casu animal restituendo alteri sanitatẽ erit simul intrinsecè sanum,

vt supra, sanum etiam extrinseca denominatione ex sanitate in altero causata, etenim sanitas, & ægritudo fiunt circa idem subiectum, tum ex Aristo. *Cap. de oppositis*, tum quia non aliter introducitur, & expellitur sanitas, nisi quia simul introducitur, & expellitur ægritudo. Idem est de accidente in ratione entis .i. si accidentis natura, simpliciter, & absolutè consideretur, est ens secundum extrinsecam denominationem, eo quod vt sic est ens, quia entis, si consideretur vt habens esse proportionale ad esse substantiæ, sic est ens intrinsecè, & formaliter.

Ad verificandam vltimam partem, quòd ens finitum non habeat attributionem ad Deum, à nobis veniunt sustinendæ duæ rationes, quas attulimus Cap. 12. pro hac veritate probanda; prima, quia ens finitum non habet certam, & limitatam proportionem ad Deum, eo quod est ens infinitum; secunda, quia Deus non ingreditur diffinitionem cæterorum entium, etiam si, vt entia, diffiniantur.

Prima ratio sustinetur in hunc modum. In analogia attributionis non sufficit quæcumque excogitata proportio, & habitudo, sed requiritur, quòd sit certa, & limitata ad primum analogatum, ex causis, & rationibus assignatis, sed semper quodlibet finitum ens in infinitum distat à Deo, ergo nulla certa, & limitata habitudo, ergo nec attributio ad Deum.

Si quis diceret, quod Deus est quidem formaliter infinitus, & sic ad ipsum qua infinitus formaliter, non est certa, & limitata habitudo, tamen sub ratione, qua est participabilis ab ente finito, quia sic non fit comparatio ad Deum sub ratione infiniti, sed sub ratione finiti, eo quod nullum ens finitum potest participare perfectionem infinitam; inde potest dari certa, & limitata habitudo ad Deum, iuxta illud Aristo. 1. *Cæli Tex.* 10. *vnumde, & alijs communicatum*

 *est;*

*est; his quidem clarius, his autem obscurius esse, & viuere.*

Cõtra, siue sub ratione, quà infinitus formaliter, siue sub ratione finita, quà imitabilis, & participabilis accipiatur, igitur ex hac imitata, & participata ratione sola aderit analogia; quæ ex imitatione, analogia, s. proportionalitatis, vel similitudinis, in quibus nulla attenditur ratio causalitatis, sed vel sola imitatio, vel similitudo proportionalis, ergo nulla attributio, quia probatum est in attributione necessariam causalitatem primi ad secunda analogata, ergo, &c.

Vlterius si satis esset hæc certa habitudo ad Deum, vt imitabilis, &c. ergo non esset idem numero terminus formaliter, ad quẽ entia finita haberent relationem, sed alius, & alius, ex alia, & alia ratione formali, ad quam esset imitatio, & participatio, & tamen in analogia attributionis idem numero terminus est, qui ab omnibus respicitur.

Posset aliquis dicere, quòd sicut diuersa medicamenta habent attributionem ad diuersas sanitates numero distinctas, & tamen saluatur identitas numeralis in illorum attributione, secundum ordinem, quem habent ad propriam, & particularẽm sanitatem, quam singula medicamenta respiciunt, similiter in rebus comparatis ad diuersas rationes formales, diuersimodè imitabiles, & participabiles, saluatur identitas numeralis termini ad quem; propter esse imitatum, & participatum, ad quod ordinatur.

Sed contra, & probo, quòd nec etiam in hoc sensu saluatur identitas numeralis, vt fingitur in rebus, quæ imitantur, & participant formalem rationem in Deo, quando dicuntur secundum attributionem ad aliquid primum. Identitas numeralis in attributione ita saluari intelligitur, quod denominatiuum in secundis analogatis accipiat nomen à primo, & sit effectus formalis eiusdem numero formæ, quæ in primo analogato, sanum medicinæ, & vrinæ à nomine

sani-

sanitatis, quæ in animali, & effectus formalis eiusdem numero sanitatis, quæ in animali ex supra probatis, sed res quę imitantur, & participāt rationes formales, quæ sunt in Deo, denominatiuum non accipit nomen ab ijsdem rationibus formalibus, quæ in Deo, nec illorū etiam est effectus formalis, sed accipiunt nomen v. g. ab humanitate, & equinitate, &c. quæ formaliter, & intrinsecè est in rebus, quæ dicuntur homines, ergo, &c. & sunt effectus formales illius formæ, quæ intrinsecè, & formaliter est in illis, immò dempta humanitate, & equinitate, intrinseca à rebus, quæ denominantur homines, & equi, nulla potest imaginari imitatio, vel participatio rationis formalis, quæ in Deo, ergo adhuc non saluatur identitas numeralis termini, ad quem dicitur, quòd res finitæ habeant attributionem ad Deum.

Secundò, principaliter si aliqua attributio ad Deum sola esset in ratione signi, quia ex illis, quæ referuntur ad primum, secundum attributionem, sola signa nihil reale ponunt in primo analogato, sed nullum est signum, quod possit præstare, quia si detur signum naturale, vt effectus, hoc non sufficit pro attributione, aliàs quilibet effectus diceretur secundum attributionem in ordine ad causam, quod est manifestè falsum, quod si secundum rationem causæ, hoc non est intelligibile in Deo, quia Dei nulla imaginabilis causa, nisi quis diceret Deum non esse Deum, quod si vltimò, signum esset ex institutione. Contra signum primò, & per se refertur ad signatum, ergo conceptus significatus per tale signum est terminus significationis signi, ergo ex instituentis cognitione est attēdenda significatio signi, sed nullus conceptus, qualitercumque excogitatus, potest esse similitudo Dei, eo quod quilibet conceptus est finitus, & determinatus secundum aliquam rationem entis finiti, & semper Deus est incircumscriptus, infinitus, & eminenter

con-

*est; his quidem clarius, his autem obscurius esse, & viuere.*

Cõtra, siue sub ratione, quà infinitus formaliter, siuè sub ratione finita, quà imitabilis, & participabilis accipiatur, igitur ex hac imitata,& participata ratione sola aderit analogia; quæ ex imitatione, analogia, .s. proportionalitatis, vel similitudinis, in quibus nulla attenditur ratio causalitatis, sed vel sola imitatio, vel similitudo proportionalis, ergo nulla attributio, quia probatum est in attributione necessariam causalitatem primi ad secunda analogata, ergo,&c.

Vlterius si satis esset hæc certa habitudo ad Deum, vt imitabilis, &c. ergo non esset idem numero terminus formaliter, ad quē entia finita haberent relationem, sed alius, & alius, ex alia, & alia ratione formali, ad quam esset imitatio, & participatio, & tamen in analogia attributionis idem numero terminus est, qui ab omnibus respicitur.

Posset aliquis dicere, quòd sicut diuersa medicamenta habent attributionem ad diuersas sanitates numero distinctas, & tamen saluatur identitas numeralis in illorum attributione, secundum ordinem, quem habent ad propriam, & particularem sanitatem, quam singula medicamenta respiciunt, similiter in rebus comparatis ad diuersas rationes formales, diuersimodè imitabiles, & participabiles, saluatur identitas numeralis termini ad quem; propter esse imitatum, & participatum, ad quod ordinatur.

Sed contra, & probo, quòd nec etiam in hoc sensu saluatur identitas numeralis, vt fingitur in rebus, quæ imitantur, & participant formalem rationem in Deo, quando dicuntur secundum attributionem ad aliquid primum. Identitas numeralis in attributione ita saluari intelligitur, quod denominatiuum in secundis analogatis accipiat nomen à primo, & sit effectus formalis eiusdem numero formæ, quę in primo analogato, sanum medicinæ, & vrinæ à nomine

 sani-

ſanitatis, quæ in animali, & effectus formalis eiuſdem numero ſanitatis, quæ in animali ex ſupra probatis, ſed res quę imitantur, & participāt rationes formales, quæ ſunt in Deo, denominatiuum non accipit nomen ab iiſdem rationibus formalibus, quæ in Deo, nec illorũ etiam eſt effectus formalis, ſed accipiunt nomen v. g. ab humanitate, & equinitate, &c. quæ formaliter, & intrinſecè eſt in rebus, quæ dicuntur homines, ergo, &c. & ſunt effectus formales illius formæ, quæ intrinſecè, & formaliter eſt in illis, immò dempta humanitate, & equinitate, intrinſeca à rebus, quæ denominantur homines, & equi, nulla poteſt imaginari imitatio, vel participatio rationis formalis, quæ in Deo, ergo adhuc non ſaluatur identitas numeralis termini, ad quem dicitur, quòd res finitæ habeant attributionem ad Deum.

Secundò, principaliter ſi aliqua attributio ad Deum ſola eſſet in ratione ſigni, quia ex illis, quæ referuntur ad primum, ſecundum attributionem, ſola ſigna nihil reale ponunt in primo analogato, ſed nullum eſt ſignum, quod poſſit præſtare, quia ſi detur ſignum naturale, vt effectus, hoc non ſufficit pro attributione, alias quilibet effectus diceretur ſecundum attributionem in ordine ad cauſam, quòd eſt manifeſtè falſum, quod ſi ſecundum rationem cauſæ, hoc non eſt intelligibile in Deo, quia Dei nulla imaginabilis cauſa, niſi quis diceret Deum non eſſe Deum, quod ſi vltimò, ſignum eſſet ex inſtitutione. Contra ſignum primò, & per ſe refertur ad ſignatum, ergo conceptus ſignificatus per tale ſignum eſt terminus ſignificationis ſigni, ergo ex inſtituentis cognitione eſt attēdenda ſignificatio ſigni, ſed nullus conceptus, qualitercumque excogitatus, poteſt eſſe ſimilitudo Dei, eo quod quilibet conceptus eſt finitus, & determinatus ſecundum aliquam rationem entis finiti, & ſemper Deus eſt incircumſcriptus, infinitus, & eminenter

con-

*est; his quidem clarius, his autem obscurius esse, & viuere.*

Cõtra, siue sub ratione, qua infinitus formaliter, siue sub ratione finita, qua imitabilis, & participabilis accipiatur, igitur ex hac imitata, & participata ratione sola aderit analogia, quæ ex imitatione, analogia, .s. proportionalitatis, vel similitudinis, in quibus nulla attenditur ratio causalitatis, sed vel sola imitatio, vel similitudo proportionalis, ergo nulla attributio, quia probatum est in attributione necessariam causalitatem primi ad secunda analogata, ergo, &c.

Vlterius si satis esset hæc certa habitudo ad Deum, vt imitabilis, &c. ergo non esset idem numero terminus formaliter, ad quẽ entia finita haberent relationem, sed alius, & alius, ex alia, & alia ratione formali, ad quam esset imitatio, & participatio, & tamen in analogia attributionis idem numero terminus est, qui ab omnibus respicitur.

5. Posset aliquis dicere, quòd sicut diuersa medicamenta habent attributionem ad diuersas sanitates numero distinctas, & tamen saluatur identitas numeralis in illorum attributione, secundum ordinem, quem habent ad propriam, & particularem sanitatem, quam singula medicamenta respiciunt, similiter in rebus comparatis ad diuersas rationes formales, diuersimodè imitabiles, & participabiles, saluatur identitas numeralis termini ad quem propter esse imitatum, & participatum, ad quod ordinatur.

Sed contra, & probo, quòd nec etiam in hoc sensu saluatur identitas numeralis, vt fingitur in rebus, quæ imitantur, & participant formalem rationem in Deo, quando dicuntur secundum attributionem ad aliquid primum. Identitas numeralis in attributione ita saluari intelligitur, quod denominatiuum in secundis analogatis accipiat nomen à primo, & sit effectus formalis eiusdem numero formæ, quę in primo analogato, sanum medicinæ, & vrinæ à nomine

 sani-

ſanitatis, quæ in animali, & effectus formalis eiuſdem numero ſanitatis, quæ in animali ex ſupra probatis, ſed res quę imitantur, & participāt rationes formales, quæ ſunt in Deo, denominatiuum non accipit nomen ab ijſdem rationibus formalibus, quæ in Deo, nec illorū etiam eſt effectus formalis, ſed accipiunt nomen v. g. ab humanitate, & equinitate, &c. quæ formaliter, & intrinſecè eſt in rebus, quæ dicuntur homines, ergo, &c. & ſunt effectus formales illius formæ, quæ intrinſecè, & formaliter eſt in illis, immò dempta humanitate, & equinitate, intrinſeca à rebus, quæ denominantur homines, & equi, nulla poteſt imaginari imitatio, vel participatio rationis formalis, quæ in Deo, ergo adhuc non ſaluatur identitas numeralis termini, ad quem dicitur, quòd res finitæ habeant attributionem ad Deum.

Secundò, principaliter ſi aliqua attributio ad Deum ſola eſſet in ratione ſigni, quia ex illis, quæ referuntur ad primum, ſecundum attributionem, ſola ſigna nihil reale ponunt in primo analogato, ſed nullum eſt ſignum, quod poſſit præſtare, quia ſi detur ſignum naturale, vt effectus, hoc non ſufficit pro attributione, alias quilibet effectus diceretur ſecundum attributionem in ordine ad cauſam, quod eſt manifeſtè falſum, quod ſi ſecundum rationem cauſæ, hoc non eſt intelligibile in Deo, quia Dei nulla imaginabilis cauſa, niſi quis diceret Deum non eſſe Deum, quod ſi vltimò, ſignum eſſet ex inſtitutione. Contra ſignum primò, & per ſe refertur ad ſignatum, ergo conceptus ſignificatus per tale ſignum eſt terminus ſignificationis ſigni, ergo ex inſtituentis cognitione eſt attēdenda ſignificatio ſigni, ſed nullus conceptus, qualitercumque excogitatus, poteſt eſſe ſimilitudo Dei, eo quod quilibet conceptus eſt finitus, & determinatus ſecundum aliquam rationem entis finiti, & ſemper Deus eſt incircumſcriptus, infinitus, & eminenter

con-

*est; his quidem clarius, his autem obscurius esse, & viuere.*

Cōtra, siue sub ratione, quà infinitus formaliter, siue sub ratione finita, quà imitabilis, & participabilis accipiatur, igitur ex hac imitata, & participata ratione sola aderit analogia; quæ ex imitatione, analogia, s. proportionalitatis, vel similitudinis, in quibus nulla attenditur ratio causalitatis, sed vel sola imitatio, vel similitudo proportionalis, ergo nulla attributio, quia probatum est in attributione necessariam causalitatem primi ad secunda analogata, ergo, &c.

Vlterius si satis esset hæc certa habitudo ad Deum, vt imitabilis, &c. ergo non esset idem numero terminus formaliter, ad quē entia finita haberent relationem, sed alius, & alius, ex alia, & alia ratione formali, ad quam esset imitatio, & participatio, & tamen in analogia attributionis idem numero terminus est, qui ab omnibus respicitur.

Posset aliquis dicere, quòd sicut diuersa medicamenta habent attributionem ad diuersas sanitates numero distinctas, & tamen saluatur identitas numeralis in illorum attributione, secundum ordinem, quem habent ad propriam, & particularem sanitatem, quam singula medicamenta respiciunt, similiter in rebus comparatis ad diuersas rationes formales, diuersimodè imitabiles, & participabiles, saluatur identitas numeralis termini ad quem; propter esse imitatum, & participatum, ad quod ordinatur.

Sed contra, & probo, quòd nec etiam in hoc sensu saluatur identitas numeralis, vt fingitur in rebus, quæ imitantur, & participant formalem rationem in Deo, quando dicuntur secundum attributionem ad aliquid primum. Identitas numeralis in attributione ita saluari intelligitur, quod denominatiuum in secundis analogatis accipiat nomen à primo, & sit effectus formalis eiusdem numero formæ, quę in primo analogato, sanum medicinæ, & vrinæ à nomine sani-

ſanitatis, quæ in animali, & effectus formalis eiuſdem numero ſanitatis, quæ in animali ex ſupra probatis, ſed res, quę imitantur, & participãt rationes formales, quæ ſunt in Deo, denominatiuum non accipit nomen ab ijſdem rationibus formalibus, quæ in Deo, nec illorũ etiam eſt effectus formalis, ſed accipiunt nomen v. g. ab humanitate, & equinitate, &c. quæ formaliter, & intrinſecè eſt in rebus, quæ dicuntur homines, ergo, &c. & ſunt effectus formales illius formæ, quæ intrinſecè, & formaliter eſt in illis, immò dempta humanitate, & equinitate, intrinſeca à rebus, quæ denominantur homines, & equi, nulla poteſt imaginari imitatio, vel participatio rationis formalis, quæ in Deo, ergo adhuc non ſaluatur identitas numeralis termini, ad quem dicitur, quòd res finitæ habeant attributionem ad Deum.

Secundò, principaliter ſi aliqua attributio ad Deum ſola eſſet in ratione ſigni, quia ex illis, quæ referuntur ad primum, ſecundum attributionem, ſola ſigna nihil reale ponunt in primo analogato, ſed nullum eſt ſignum, quod poſſit præſtare, quia ſi detur ſignum naturale, vt effectus, hoc non ſufficit pro attributione, aliàs quilibet effectus diceretur ſecundum attributionem in ordine ad cauſam, quòd eſt manifeſtè falſum, quod ſi ſecundum rationem cauſæ, hoc non eſt intelligibile in Deo, quia Dei nulla imaginabilis cauſa, niſi quis diceret Deum non eſſe Deum, quod ſi vltimò, ſignum eſſet ex inſtitutione. Contra ſignum primò, & per ſe refertur ad ſignatum, ergo conceptus ſignificatus per tale ſignum eſt terminus ſignificationis ſigni, ergo ex inſtituentis cognitione eſt attẽdenda ſignificatio ſigni, ſed nullus conceptus, qualitercumque excogitatus, poteſt eſſe ſimilitudo Dei, eo quod quilibet conceptus eſt finitus, & determinatus ſecundum aliquam rationem entis finiti, & ſemper Deus eſt incircumſcriptus, infinitus, & eminenter

dico sunt quædã absoluta, secundò, vt proportionaliter si-milia ad sua esse, si secundo modo vtrumque habet esse reale formaliter, & intrinsecè, & sic sunt analoga, secũdum proportionem; verum si primo modo accipiantur, quia in ipsis, vt sic non includitur similitudo proportionalis, immò sequitur quòd seclusa tali similitudine, adhuc ad inuicem possint comparari, quatenus vnum ordinatur ad aliud, tamquam ad subiectum, natura .s. accidentis absolutè accepta, ad naturam substantiæ pariter absolutè acceptę, inde ex tali respectu accidentis ad substantiam, saluatur nomen entis commune ad substantiam, & accidens, sed ratio secundum illud nomen dicitur extrinsecà denominatione de accidente, formaliter intrinsecè de substantia, ergo si ens formaliter intrinsecè dicitur de accidente, hoc euenit, quia secundum suam naturam absolutè acceptam non est ens formaliter, sed quia entis, quod est esse ens secundum attributionem ad substantiam.

Quod tali exemplo manifestari potest. Detur animal viuum habens perfectam sanitatem, retineat in suo sinu aliud animal aduersæ naturæ, calor naturalis continentis alteret aliud aduersæ naturæ, ita, & taliter quod incidat in ægritudinem certum est, quod animal continẽs est formaliter sanum, & intrinsecè quia suppositum est, quod habeat perfectam sanitatem, est etiam causaliter, & secundum attributionem, & extrinsecam denominationem ęgrum, quia tritissimum in arte medica, quod sanum, & ægrum dicuntur de subiectis, causis, & signis, de primo, intrinsecè, & formaliter, de alijs, secundum extrinsecam denominationem. Detur, quòd idem animal retineat in suo sinu aliud, quod non sit aduersæ naturæ tamen ægrum, & quod ex calore continentis sanitas amissa restituatur, ergo in tali casu animal restituendo alteri sanitatẽ erit simul intrinsecè sanum,

vt supra, sanum etiam extrinseca denominatione ex sanitate in altero causata, etenim sanitas, & ægritudo fiunt circa idem subiectum, tum ex Aristo. *Cap. de oppositis*, tum quia non aliter introducitur, & expellitur sanitas, nisi quia simul introducitur, & expellitur ægritudo. Idem est de accidente in ratione entis .i. si accidentis natura, simpliciter, & absolutè consideretur, est ens secundum extrinsecam denominationem, eo quod vt sic est ens, quia entis, si consideretur vt habens esse proportionale ad esse substantiæ, sic est ens intrinsecè, & formaliter.

Ad verificandam vltimam partem, quòd ens finitum non habeat attributionem ad Deum, à nobis veniunt sustinendæ duæ rationes, quas attulimus Cap. 12. pro hac veritate probanda; prima, quia ens finitum non habet certam, & limitatam proportionem ad Deum, eo quod est ens infinitum; secunda, quia Deus non ingreditur diffinitionem cæterorum entium, etiam si, vt entia, diffiniantur.

Prima ratio sustinetur in hunc modum. In analogia attributionis non sufficit quæcumque excogitata proportio, & habitudo, sed requiritur, quòd sit certa, & limitata ad primum analogatum, ex causis, & rationibus assignatis, sed semper quodlibet finitum ens in infinitum distat à Deo, ergo nulla certa, & limitata habitudo, ergo nec attributio ad Deum.

Si quis diceret, quod Deus est quidem formaliter infinitus, & sic ad ipsum qua infinitus formaliter, non est certa, & limitata habitudo, tamen sub ratione, qua est participabilis ab ente finito, quia sic non fit comparatio ad Deum sub ratione infiniti, sed sub ratione finiti, eo quod nullum ens finitum potest participare perfectionem infinitam; inde potest dari certa, & limitata habitudo ad Deum, iuxta illud Aristo. 1. *Cæli Tex. 100. vnde, & alijs communicatum*

 *est;*

ſanitatis, quæ in animali, & effectus formalis eiuſdem numero ſanitatis, quæ in animali ex ſupra probatis, ſed res quę imitantur, & participãt rationes formales, quæ ſunt in Deo, denominatiuum non accipit nomen ab iiſdem rationibus formalibus, quæ in Deo, nec illorũ etiam eſt effectus formalis, ſed accipiunt nomen v. g. ab humanitate, & equinitate, &c. quæ formaliter, & intrinſecè eſt in rebus, quæ dicuntur homines, ergo, &c. & ſunt effectus formales illius formæ, quæ intrinſecè, & formaliter eſt in illis, immò dempta humanitate, & equinitate, intrinſeca à rebus, quæ denominantur homines, & equi, nulla poteſt imaginari imitatio, vel participatio rationis formalis, quæ in Deo, ergo adhuc non ſaluatur identitas numeralis termini, ad quem dicitur, quòd res finitæ habeant attributionem ad Deum.

Secundò, principaliter ſi aliqua attributio ad Deum ſola eſſet in ratione ſigni, quia ex illis, quæ referuntur ad primum, ſecundum attributionem, ſola ſigna nihil reale ponunt in primo analogato, ſed nullum eſt ſignum, quod poſſit præſtare, quia ſi detur ſignum naturale, vt effectus, hoc non ſufficit pro attributione, aliàs quilibet effectus diceretur ſecundum attributionem in ordine ad cauſam, quòd eſt manifeſtè falſum, quod ſi ſecundum rationem cauſæ, hoc non eſt intelligibile in Deo, quia Dei nulla imaginabilis cauſa, niſi quis diceret Deum non eſſe Deum, quod ſi vltimò, ſignum eſſet ex inſtitutione. Contra ſignum primò, & per ſe refertur ad ſignatum, ergo conceptus ſignificatus per tale ſignum eſt terminus ſignificationis ſigni, ergo ex inſtituentis cognitione eſt attẽdenda ſignificatio ſigni, ſed nullus conceptus, qualitercumque excogitatus, poteſt eſſe ſimilitudo Dei, eo quod quilibet conceptus eſt finitus, & determinatus ſecundum aliquam rationem entis finiti, & ſemper Deus eſt incircumſcriptus, infinitus, & eminenter

con-

continens omnia, vt dictum est Cap. 3. ergo, &c.

Quod si iterum detur responsio, quæ supra, de duplici consideratione Dei, absolutè, & vt imitabilis. Contra, ergo saltem, quia signum non est nisi ad particularem rationem, secundum quam Deus est imitabilis, ergo attributio non est ad Deum, sed ad illam particularem rationem, qua Deus imitabilis, ergo, &c.

Secunda ratio, quòd ens finitum non habeat attributionem ad Deum, quia Deus non ingreditur diffinitionem cæterorum entium, tali pacto sustinetur.

Primum analogatum debet ingredi diffinitionem aliorum secundum propriam rationem, secundum quam distinguitur ab alijs, quia si quò ad communia, secunda analogata, quantum ad illa non habent attributionem, tũ quia vbicumque communia, non est extrinseca denominatio, & per consequens nec attributio, tum quia si communia, eiusdem ad se ipsum esset attributio, & si tamen aliqua attributio inter communia fingi posset, nulla maior ratio de ente finito ad Deum, quam de Deo ad ens finitum, sicut de accidente in ordine ad substantiam, magis quã de substantia ad accidens, sed non potest ingredi diffinitionem cæterorum entium secundum propriam rationem, ergo, &c. minor probatur.

Si in diffinitione cæterorum entium, ergo loco nominis Dei posset accipi illius diffinitio, sicut posse fieri docuit Aristo. 2. *Periher. Cap.* 2. pro veritate propositionis indaganda, sed hoc est falsum, quia quæcumque diffinitio data de Deo est per communia, vt supra, vel ex effectibus, quæ non arguunt, & inferunt prædicata, quæ illi conueniunt secundum quod ipsum, secundum se simpliciter, & absolutè, sed semper ex infinita distantia, quam habent, deficiunt ab illius significatione totali, & completa, ergo diffinitio

Dei,

Dei, non ingreditur diffinitionem cæterorum entium, ergo, &c.

Si quis diceret, quod ex hac ratione solũ infertur, quòd non est possibilis diffinitio Dei, secundum nos, tamẽ si posset formari completa diffinitio Dei, non tollitur, quòd talis diffinitio ingrederetur diffinitionem aliorum, quia sicut dicitur de indiuiduo, quod si diffiniretur, esset necessaria illius diffinitio, quamuis non possit haberi; de relatiuis etiam, quòd non aufertur, quòd sint simul natura; vel quod dicantur ad conuertentiam, si non conuertantur, quando non sunt rectè assignata à simili; quamuis non habeamus diffinitionem Dei, qua Deus simpliciter, & absolutè, quæ ingreditur diffinitiones cæterorum entium, quatenus habent attributionem ad ipsum, non sequitur quod diffinitio Dei completa, si posset haberi non ingrederetur diffinitiones cæterorum entium.

Sed contra, vel talis diffinitio sic accepta, quæ perfectè explicaret quidditatem Dei, esset Dei secundum suam naturam absolutè, vt distinguitur ab entitate cæterorum entium, vel vt proportionaliter eadem cum ipsis. Si secundo modo entia finita in hoc sensu non habent attributionem ad Deum, quia analogia attributionis, & proportionalitatis sunt disparatæ species, vt constat, & in proportionalitate vnum non ingreditur diffinitionem alterius, sed vnius diffinitio est diffinitio alterius. si primo modo, quia absolutè acceptus est infinitus, & vt sic non est attributio propter infinitam distantiam, ergo adhuc data hac diffinitione completa Dei, non debet ingredi diffinitionem aliorum.

Vlterius Res finita est cognoscibilis, immò de facto cognita absque vlla cogitatione Dei, & tamen maximè repugnat secunda analoga sciri, & diffiniri absque cognitione,

ne, & diffinitione primi, ex quo essentialis ratio attributio-nis stat in respectu ad primum, & impossibile cognoscere aliquod relatiuum, & ignorare, cuius est, ergo, quidquid sit de diffinitione habita Dei, nō est necessarium, quòd Deus, vel illius diffinitio ingrediatur diffinitionem cæterorum entium, ergo, &c.

Nec valet dicere, quòd illa cognitio cæterorum entium, in ratione entis, de qua loquimur, est imperfecta, donec cognoscatur Deus, quia sic arguitur. Talis est vnius relatiui cognitio, qualis etiā alterius correlatiui, eo quòd ipsorum esse est ad aliud, ergo si distincta cognitio patris requirit distinctam cognitionem filij, confusa etiam illius requirit confusam alterius, aliàs non simul natura, ergo quia nulla habita cognitione Dei, adhuc multa cognoscuntur in eo, quòd entia, stat, quòd nulla sit necessaria diffinitio Dei, siue perfecta, siue non, vt cognoscantur, & diffiniantur entia finita, ergo, &c.

Ad primum, pro sustinenda attributione entis finiti ad Deū, negatur consequentia, quia res, quæ significāt Deum impropriè sunt signa, eo quod nō nisi, vt effectus causarum, & è contra cum non sint á natura instituta, vt significent, & quatenus ad significandum instituta, vt nomina Dei, adhuc nullam attributionem habere possunt ad Deum, tum quia probatum est, quòd analoga, vt sint talia, secundum attributionem, non sufficit vtcumque illorum respectus ad primum, sed requiritur adæquata proportio ad illud, & tamen constat, quòd intellectus noster non intelligit Deum, nisi in conceptibus entis finiti, qui non possunt habere certam proportionem ad Deum, quia infinitum ens, immò nec nomen Deus, quamuis significet naturam diuinam, hoc præstare potest, quia semper illam significat, vel vt vniuersalis præuisor, vel causa prima, aut primus motor, &c. & sic ta-

lium

lium complexorum partes multis entibus finitis conueniunt.

Ad secundum negatur consequentia, quia negationes, & priuationes distinguuntur per affirmationes, & habitus, quos negant, & priuant, quare sicut talia sunt finita, respectus illorum sunt finiti, & limitati, quamuis infinita distantia inter ens, & nihil, quia id, ad quod referũtur, & ad quod habent attributionem est finitum ens, inter Deum autem, & prædicamenta, ad quem habent relationem, vltra infinitam distãtiam, adhuc cernitur infinitas termini ad quem ex infinita entitate Dei.

Ad tertium, admittitur responsio data ad instantiam. Respondetur, quòd licet similitudo, vt sic, & formaliter, non tollat attributionem, tamen vbi non adest certa, & limitata proportio stat similitudo sine proportione.

Ad quartum admittitur. Respond. & ad instantiam dicitur, quod si vrina perfectè cognosceretur, sicuti est certè, ex illius significatione cognoscerentur omnia pertinentia ad sanitatem animalis, cuius vrina foret, sed defectus est ex imbecillitate medici non cognoscentis sicuti est, & quatenus significaret concoctionem, non autem expulsionem futuram, vel aliud requisitum pro habenda perfecta cognitione animalis, adhuc haberet attributionem ad sanitatem animalis, saltem quantum ad conceptum obiectiuum, cuius esset perfectum, & adæquatum signum, quod verificatur de rebus significantibus aliquos conceptus obiectiuos Dei, bonitatem, sapientiam, &c. quia cum ipsi etiam solitariè accepti sint infiniti, nullum datur signum habens ad adæquatam proportionem, nec ad Deum, nec ad talem conceptum Dei, ergo, &c.

Ad primum illorum, quæ negabant attributionem accidentis ad substantiam, respondetur quòd accidens, vt ale-

secundum extrinsecam denominationem habet attributionem ad substantiam, & successiuè negatur consequentia, quæ infertur contra talem acceptionem, quia si ens dictum de substãtia, quidditatiuè prædicatur de omnibus substantijs, ens etiam extrinsecè dictum de omnibus accidentibus quidditatiuè prædicatur, quia iuxta diuersam acceptionem entis quidditatiuè dicitur de omnibus, diuersa diuersis applicando; Secundò respondetur, & melius, quòd ens etiam quia proportionale ad omnia, quamuis non prædicetur quidditatiuè, vt ens secundum attributionem, tamen quidditatiuè semper, vt proportionale, quia sic formaliter, & intrinsecè dicitur de accidentibus.

Ad secundum respondetur, quòd licet sit alia entitas, vt saluetur attributio, non tamen æquiuocum, vt canis ad marinum, & Cæleſtem, inter quos nulla habitudo, & respectus, immò nec solum æquiuocum, vt sunt analoga secundum attributionem, quia cum attributione, adhuc interuenit proportionalitas, media inter æquiuocum, & vniuocum; negatur etiam vltima consequentia, quia si non sit attributio inter vrinam Antonij, & sanitatem Petri, hoc non est, quia illorum sanitates sint diuersæ, sed quia (quod tamen non obseruatur in proposito) quia dico proprius actus ad propriũ subiectum, & potentiam non comparatur, etenim facta recta comparatione, semper succedit habitudo, & attributio, vt in exemplo entitatis in risibilitate, vbi si fiat comparatio entitatis risibilis ad entitatem hominis, quamuis distinctæ entitates, semper attributio risibilitatis in homine, in ratione entitatis, nunquam autem si ad entitatem equi comparetur.

Ad tertium respondetur, quòd entitas substantiæ ingreditur diffinitionem accidentis, vt distincta simpliciter ab entitate accidentis, non tamen in recto, sed iuxta modum,

quo

quo subiecta ingrediuntur diffinitionem passionum, etenim dicitur risibilitas aptitudo hominis ad ridendum; quare non sequitur implicantia, quæ sequeretur si in recto, dicendo, accidens in ratione entis est ens in se.

Ad quartum respondetur, quòd relatio entis, quod est ad aliquid, & exercetur ad substantiam, tamquam ad primum, est transcendentalis fundata in relatione prædicamentali, eo quòd & ipsa prædicamentalis est accidens, cuius esse est inherere, quare prædicamentalis relatio est ipsa, quæ negatur in alia prædicamentali, ne fiat processus in infinitum, vt videbimus inferius.

Ad quintum, negatur consequentia, quia non quæcũque causa alterius habet attributionem ad id, cuius est causa, quia præter hoc requiritur quòd dependeat à primo, tamquã à causa, siuè materiali, siuè finali, vel efficiente, accidẽs autem non sic est causa substantiæ, quòd in ratione causæ, etiam non dependeat semper à substantia, quia substantia est prior omni accidente 7. *Metaph. Tex.* 4. nec est simile exemplum medicatiui, quia instrumenta in illo dicantur secundum attributionem ad principale .s. ad medicum, substantia autem, non est instrumentum accidentis, sed principale agens, quare stat, quod vasa, & alia dicantur secundum attributionem, ad medicatiuum, quatenus instrumenta principalis agentis, non autem substantia ad accidens, quia substantia non est instrumentum accidentis, sed accidens substantiæ, quare, &c.

### Quòd ens prædicetur de omnibus inferioribus immediatè. Cap. XVIII.

QVIA mediatè prædicari iuxta nominis significationem idem est, ac dicere gradum abstractum à rebus, de quibus prædicatur, vt animal de homine, equo, &c. mediante s. natura sensitiua, communiter in omnibus adinuenta, immediatè verò nullum significare gradum, supra ea, de quibus dicitur, sed semper ad eamdem, ita, & taliter se habere, quòd primum significatum prædicati communis, sit multiplex, iuxta multitudinem illorum, de quibus prædicatur, vt canis de marino, & latrabili, itaque dubitando videtur ex infrascriptis, quòd ens mediatè de omnibus prædicetur.

Primò. Ens descendit, & recipitur in substantia mediante ratione formali substantiæ, quæ est esse in se, in accidente, mediante ratione formali accidētis, quæ est esse in alio, ex dictis Cap. 15. sed esse in se, & in alio non conuertuntur cum ente, vt constat, quia nihil diuiditur per id, quod formali er est in ipso, ergò, sicut animal prædicatur de homine mediante rationalitate, quæ diuidit animal, & constituit hominem, ens etiam prædicabitur mediatè de omnibus communi inferioribus.

Secundò. Ens, vt totum, nec non vt superius dicitur de prædicamentis, & de omnibus realiter, & quomodolibet excogitatis, quia est vnum, quod dicitur per se, & essentialiter de ipsis, ergo mediante tali ratione obiectiua omnibus, ergo, &c.

Tertiò. Sanitas prædicatur de vrina, & medicina, mediante adæquatione humorum, & tamen hoc est solum secundum extrinsecam denominationem, ergo magis ens, vt

vnum

vnum commune omnibus prędicamentis, de omnibus prędicabitur mediante esse, quod est formale significatũ entis ex dictis Cap. 6. consequentia clara, quia si secundum attributionem non habent conceptum abstrahibilem, vt dictum Cap. 17. & tamen mediatè prædicantur, ergo magis proportionalia, à quibus abstrahitur conceptus obiectiuus communis, & vniuersalis, saltem proportionaliter, ergo, &c.

Quartò. Esse rei contrahit, & limitat essentiam, sicut actus potentiam, ergo ens prædicatur mediante conceptu contracto, & limitato, quia nihil aliud dicit ens, quam compositum ex esse, & essentia, vt supra Cap. 1. sed, quod prædicatur mediante ratione contrahente, semper dicitur mediatè prædicari, vt animal de homine, mediante natura sensitiua, quæ contrahit viuens, ergo prædicatur mediatè, ergo, &c.

Quintò. Redit iterum eadem difficultas data Cap. 14. contra vniuocationem entis, cuius gratia sic arguitur. Ens dicitur vniuocè de omnibus hominibus, de omnibus albis, & vniuersaliter de omnibus indiuiduis contentis sub specie specialissima, quia non videtur posse fingi qualiter magis de vno particulari, quam de altero, etiam secundum communem rationem entis, quia nihil vniuocè dicitur de aliquibus, vbicumq; illud totum, quod conuenit quidditatiuè prædicato æqualiter non verificetur de subiectis, ergo ens habet conceptum obiectiuum, & gradum omnibus vniuocè communem, secundum quem descendit ad inferiora, & de illis prædicatur, quia non aliter animal prædicatur mediatè de homine, nisi quia habet pro formali naturam sensitiuam, vniuocè omnibus communem, ergo ens mediatè, &c.

Non obstantibus deductis, firmiter tenendum est, quod ens nullum gradum exprimat supra naturas genericas,

ſpecificas, & indiuiduales, & hoc ex pluribus.

1. Primò. Legitur apud Ariſto. 4. *Metaph. Tex. 2. Idem enim vnus homo, & ens homo, & homo, & non ſignificat diuerſum aliquid ſecundum dictionem repetitam ideſt homo, & homo, & vnus homo*, ergo nullum datur commune ſignificatum in conceptu entis, ſed omnia, de quibus dicitur, immediatè ſignificantur nomine entis, quia impoſſibile, quòd primum ſignificatum vbicumque commune, non ſit aliud à rebus, quæ mediante tali conceptu ſignificantur.

2. Secundò. Circumſcriptis, & abſtractis ab omnibus rebus omnibus, quæ imaginari poſſunt, & relicta ſola illarum eſſentia, ſemper eadem entia, à quibus ſunt abſtracta, & circumſcripta omnia, adhuc ſic præciſè accepta, ſunt entia, quia ſi non forent entia, ergo nō entia, propter illud principium metaphyſicum. De vno quoque verum eſt eſſe, vel non eſſe, quod ſi non entia, quomodo eſt relicta illarum eſſentia? quomodo etiam ſi eiſdem reſtituerentur ea omnia, quæ fuerunt abſtracta à rebus, ſub termino etiam ſingulari acceptis, illud totum non eſt nihil, quia quod dictum eſt de gradu particulari v. g. hominis idem venit dicēdum de omnibus ſuperioribus, animali, viuente corpore, & ſubſtantia, ſi à ſingulis hiſce gradibus circumſcribantur omnia relicta tamen ſola illorum propria eſſentia, quomodo vlterius poſſunt addi entitates, vt talia dicantur entia ſi ſecundum ſe, & formaliter ſunt nihil? & repugnat, quod aliquid poſſit affirmari de ſubiecto, cuius cōtradictorium eſt eſſentiale ſubiecto, vt affirmatio irrationalitatis de homine, ex quo ſecundum ſe, & formaliter rationalis, ergo ens immediatè, &c.

Tertiò. Idem confirmatur exemplo negationis, & ſic arguitur circūſcriptis omnibus ab aliqua negatione particulari, vt à non Petro, & relicta ſola eſſentia non Petri (ſi ta-

men

men in negationibus liceat vti nomine essentiæ)eadem negatio sic præcisè accepta semper erit non ens, quia aliter foret ens propter illud idem principium de vnoquoq; &c. & si ens, ergo non est negatio, & sic omnia sequuntur, quæ supra sequebantur abstractis omnibus, à particularibus rebus, & ipsis præcisè acceptis, diuersa diuersis applicando, ergo negatio communissimo conceptu habita immediatè dicitur de omnibus negationibus, ergo ens de omnibus rebus.

Quartò. Nihil est in non ente si communissimè accipiatur per quod diuidatur à particulari nõ ente, nihil est, etiam in particulari nõ ente, per quod diuidatur à non ente communissimo, quia vtraque sunt nihil, ergo non ens communissimum descendit immediatè in omni non ente particulari, ergo etiam ens communissimum descendit immediatè in omni ente particulari, quia si quid diuersitatis in modo descendendi, iam cuicumque affirmationi, non responderet adæquata negatio, quia in tali casu, vel affirmatio haberet conceptum medium, quem non haberet negatio, vel è conuerso, & sic contradictoriè propositiones de ipsis formatæ de omnibus verificari possent ex diuersitate clausa inter ens, & non ens, ergo, &c.

Quintò. Si ens non significaret immediatè naturas rerum, ergo possent formari propositiones affirmatiuæ, & negatiuæ sine verbo est, vel non est; quia semper differentia præcisè accepta, intelligitur absque alia, & quacumque ratione formali, quæ est ratio, quod illud, quod immediatè significatur ab ipsa, mediatè dicatur de alia re sic præcisè accepta, vt rationalitas, sine natura sensitiua, & animali, & hoc maximè, quia genus non prædicatur per se, & formaliter, siuè essentialiter de differentia 3. *Metaph Tex.* 10. & tamen sine esse, vel non esse, nulla est imaginabilis propositi-

positio enunciatiua 1. *Perihermenias Cap.* 8. Consequentia probatur; Id, quod formaliter significat actionem, vel passionem, significat ex vi dictionis, & sermonis motum, sed motus primò, & principaliter mensuratur tempore, ergo à verbis adiectiuis in propositionibus acceptis significantur in actu exercito res mensuratæ tempore præterito, præsenti, & futuro, sed significare aliqua mensurata tempore, est facere propositionem enunciatiuam, vt constat, ergo sine esse, & non esse est compositio, & propositio, vbicumque ens mediatè dicatur de rebus, ergo, &c.

Ad primum illorum, quæ in contrarium dicta sunt. Respondetur, quod esse in se, & in alio dupliciter accipitur, primo, vt sunt eadem proportionaliter, secundo simpliciter, secundum suas naturas absolutè acceptas; si secundo modo quæcunque illorum conuertuntur, cum proprijs naturis in se, cum substantia, in alio cum accidente, si primo modo, non conuertuntur, quia in plus est illorum ratio, vt eadem proportionaliter, quam particularium simpliciter, & absolutè, quia non est seclusa diuersitas rerũ formalium absolutè in illo proportionali, quia in proportionalibus idem est, per quod constituitur, & diuiditur illorum commune prædicatum ad differentiam vniuocorum, quæ mediatè prædicantur, eo quod ipsorum vniuersale per vnum constituitur, & per aliud diuiditur, vt dictum est Cap. 15.

Ad secundum respondetur, vt modò, quod licet ens sit superius, & communius, quam illa, de quibus proportionaliter dicitur, tamen immediatè prædicatur, eo quòd non totaliter abstrahit à modis diuidentibus illud commune, vt fit in vniuocis.

Ad tertium negatur; quod sanitas mediatè prædicetur de sanitate animalis, &c. quia adæquatio humorum, & ipsa, non nisi differenter de omnibus, eo quod formaliter dici-

tur

tur de animali, causaliter de medicina, & devrina, vt signum, ergo, &c.

Ad quartum respondetur, quòd limitatio, quæ potest esse in essentia, vt proueniens ab existentia in ratione actus, non arguit, quòd ens mediatè dicatur, quia in prædicatis mediatis, si detur talis limitatio, & contractio, adhuc est necesse, quòd tale abstrahat, vt quid simpliciter ab inferioribus; quia implicat dari conceptum mediatum de inferioribus, & quòd inferiora constituant superius, vt est videre clarè in proportionalibus, propter annexam inseparabiliter diuersitatem ipsorum; quasi seclusam, cum identitate proportionali.

Ad quintum iterum dicitur, sicuti Cap. 16. ad quartum, & quintum, pro entis vniuocatione inferenda, quòd ens affirmatum de speciebus specialissimis non prædicatur vniuocè de entibus particularibus, sub illorum specie specialissima contentis, quia particulares modi indiuiduorum; quibus diuiditur ens specificum, illud intrinsecè constituũt, & sic inde sequitur, quòd cũ sint tales modi indiuiduorum, secundum se, simpliciter, & absolutè inter se distincti, quòd non minus includantur in ratione entis specialissimi, quàm faciant modi prædicamentorum in se, & in alio, in ente .s. communissimè accepto, & quicumque etiam modi particulares, in communi illorum conceptu proportionali, quare si modi particulares indiuiduorum includuntur in illorum proximo conceptu, ergo nec de particularibus mediatè prædicabitur ens, ergo, &c.

*Quòd ens prædicetur quidditatiuè de proprietatibus suis, modis, etiam diuidentibus ens; & differentijs vltimis.*
*Cap. XIX.*

QVOD ens prædicetur de omnibus, vt præmittitur in titulo capitis; nullus, quòd sciam, vnquam dubitauit, & meritò etiam, tum quia cum nihil medıet inter ens, & nihil, sed contradictorio modo sint opposita, vbicumque supradicta non essent entia, iam forent nihil vnum, verum, &c. & sic omnia nihil, quomodolibet forent proprietates entis, quare nec numerus proprietatum entis haberi posset, vlterius modi non possent cōtrahere ens, nec vltimæ differentiæ proprias species, quia & ipsæ essent nihil, & ex nihilo nihil fit, tum quia hæc omnia intelliguntur, & sic cadunt sub obiecto intellectus, quod nil aliud est, quàm ens, tum quia omnia complexa resoluuntur ad prima complexa, & hæc ad conceptus simplices, quorum omnium vltimus est ens 4. *Metaph. Tex. 9.* tum quia vltra decem prædicamenta, de quibus dicitur ens, necessarium esset ponere alia, sub quibus ponerentur proprietates, modi, & vltimæ differentiæ, quia semper diuersorum generum, non subalternatim positorum diuersæ sunt specie differentiæ *in antepradicamentis.*

Difficultas est in modo prædicandi, quia cum sit triplex prædicatio, denominatiua, quando prædicatum est forma realiter distincta à subiecto, siuè intrinsecè, siuè extrinsecè prædicetur, identica, quando subiectum est idem realiter cum prædicato, siuè sub eadem ratione, siuè alia accipiantur ambo; quidditatiua, quando conceptus prædicati clauditur in conceptu subiecti, siuè conuertibiliter, siuè non.

Illud ergo, quod ponitur in controuersiam à metaphy-

ficis, & de quo in præsenti maximè fit sermo, est, nunquid ens prędicetur quidditatiuè, vel denominatiuè de omnibus subiectis. Fortè quis imaginari posset, quòd ens non prædicetur de supradictis, nisi denominatiuè ex infrascriptis.

Primò. Si in conceptu illorum formaliter, & quidditatiuè includeretur ens, illud ens inclusum, vel esset idem cum ente formalissimè accepto, vel aliud, si aliud, ergo ens communissimè acceptum, & cuius causa introducta est pręsens quæstio, non est illud, quod prædicatur de propositis, immò differentiæ vltimæ modi, & proprietates entis, esset dupliciter ens, semel illud ens communissimum, de quo maximè est facta quæstio, iterum illud aliud, quod diceretur prædicari quidditatiuè, si idem ergo differentia est sui ipsius diuisiua, item modi se ipsos contraherent; Item proprietates sui ipsius proprietates, ergo, &c.

Secundò. Hæc omnia habent suos proprios conceptus, qui explicantur suis proprijs, & formalibus rationibus, quibus ab ente differunt, aliàs, vt supra, idem seipsum diuideret, contraheret, & sui ipsius proprietas esset, ergo, &c.

Tertiò. Aristoteles 1. *Phys. Tex.* 76. contradicendo antiquis dicit, quòd quando fit canis, simul fit canis, animal, & ens, quamuis dum fit id, quod prius erat, fiat per accidens, ergo, quando diuiditur animal per rationale, & irrationale, diuiditur etiam corpus, substãtia, & ens, quia idem est principium constitutiuum, & distinctiuum, ergo, quando causa rationale esset quidditatiuè ens, esset etiam quidditatiuè animal, hoc falsum, quia 3. *Metaph. Tex.* 10. genus non prædicatur per se de differentijs, ergo, &c.

Quartò. Si sic, ergo inferiora actu in superioribus, saltem, quantum ad illam entitatem quidditatiuè inclusam in ipsis, ergo etiam simpliciter actu in superioribus, quantum ad omnia, quia vel illud additum aliquid diceret præter il-

lam entitatem, vel non, si secundò, ergo quò ad omnia contenta in inferiori includerentur in superiori, quia sic esset illud superius. Si primò, ergo tale additum non est quidditatiuè ens.

Quintò. Vel prædicatur secundum eamdem rationem de omnibus simpliciter, vel non, si primò, ergo vniuocum contra determinata, si secundò, ergo non quidditatiuè, saltem de altero, in quo non accipitur prædicatio, secundum illud, quod est totaliter, & perfectè in altero, quia sic sanitas, & ipsa quidditatiuè diceretur de omnibus sanis, quantum ad rationem participatam in ipsis, quare signum sanitatis quidditatiuè sanitas, ergo, &c.

Sextò. Nulla proprietas in sui formali ratione includit subiectum, quia vel secundum illud totum, non dependeret à subiecto propter illud, quod quidditatiuè esset inclusum in ipsa, & sic non esset talis subiecti proprietas, vel esset sui ipsius causa, ergo saltem proprietates entis non sunt quidditatiuè entia, ergo, &c.

Circa modum prædicandi, quem exercet ens, quando prædicatur de suis proprietatibus, modis, & vltimis differentijs, quia illud non aliter fieri potest, quam quidditatiuè, idcirco, vt certa reddatur hæc veritas, prius quam rationibus id, quod dicitur, confirmetur.

Primò. Sciendum est, quòd per passiones entis non intelligimus solam rationem formalem passionum, quia sola, & simplex indiuisio non est proprietas entis, sed ens quatenus stat sub indiuisione, sicut dicemus Cap. 33. quare, vt ens dicatur de illis, satis erit, quòd illud verificetur ratione illius, cui additur indiuisio.

Successiuè ad memoriam reuocandum id, quod supra circa analogiam entis est dictum, quod cum enti nihil possit addi, quasi, vt extranea natura, sed solum vt specialis

mo-

modus essendi, qui nullam faciat compositionem cum ente, expressus v. g. nomine substantiæ, non autem nomine entis, tamen hic specialis modus exprimens id, quod nomine entis non exprimitur, non sic est intelligendus, quasi quòd in conceptu entis nullo pacto includatur id, quod expressiorem significationem addit, quia si sic, rueret analogia, & vniuocatio entis eleuaretur, vt patet, esto etiã quòd illud totum, quod confusè concipitur, in præciso entis conceptu sic vtcumque excogitato, reperiretur in eodem expressiori conceptu accepto, & etiam in eodem toto, ex quacumque imaginata ratione, considerari etiam quis diceret, sed semper existimandum, vt omnis imaginata vniuocatio, & præcisio simpliciter conceptus formalis, & obiectiui entis ab inferioribus funditus euertatur, quod diuersitas illorum, quæ diuidunt ens, semper, & inseparabiliter, sit annexa cum earumdem identitate proportionali, rationibus, & causis positis supra Cap. 15. & maximè, quia in proportionalibus non inueniuntur duo esse, quorum altero analogum constituatur altero distinguatur, sed idemmet esse, quo constituitur, est etiam id, quo diuiditur, ad differentiam vniuocorum, quæ ex alio constituuntur, vt animal, sensitiuo, & ex alio diuiduntur, vt idem animal, rationali differentia.

His sic stantibus probatur itaque, quòd ens prędicatur quidditatiuè de omnibus, & essentialiter.

Primo, Illud est quidditatiuè tale, cuius immediatum oppositum additum subiecto, de quo verificatur aliquid, facit implicantiam, & contradictionem, sed non ens additum proprietatibus, modis entis, nec non vltimis differentijs, est immediatè oppositum enti, & ipsis additum, facit contradictionem, vt constat, ergo ens quidditatiuè de ipsis prædicatur. Minor quòd non ens, sit immediatum enti,

præ-

præterquã quòd manifesta, probatur ex Aristo. 4. *Metaph. Cap.* 4. vbi disputando contra antiquos ostendit, quod idem non potest simul esse, & non esse; *In postprædicamentis*, vbi legitur. *In affirmatione vero, & negatione, semper siue sit, siue non sit, hoc quidem falsum erit, illud autem verum*, ergo, &c.

Secundò, forma quælibet, est quidditatiuè ens, saltem substantialis 2. *de Anima Tex.* 1. sed differentia, etiam vltima, desumitur à forma, ergo quidditatiuè ens, quia non aliunde à forma sumitur, nisi quia secundum ipsam, substantia composita dicitur actu, *eodem Textu de Anima*, ergo, etiam quælibet differentia vltima, etiamsi sit substantiæ simplicis, quia & ipsa non nisi ab actu accipi potest, etenim solius actus est constituere, & distinguere, quia vt legitur 2. *de Anima Tex.* 7. *quod propriè est, actus est*, ergo, &c.

Tertiò. Materia est essentialiter ens reale eodem *Tex.* 2. *de Anima*, 1. *Phys. Tex.* 79. vbi dicit Aristoteles; quòd distinguitur secundum rationem à priuatione, quia *non ens per accidens, priuatio autem per se*. ergo magis differentia vltima est essentialiter, & quidditatiuè ens, quia vt actus constituit speciem, ergo passiones, etiam quidditatiuè entia, ratione conceptus materialis contenti, ergo, &c.

Quartò. Motus est quidditatiuè ens, tum quia ens ingreditur essentialem diffinitionem motus 3. *Phys. Tex.* 6. 11. *Meta. C. de motu*, tum quia *Tex.* 12. dicitur, quòd non aliter potest diffiniri motus, quàm per ens *Metaph. ibi*, & *Tex.* 13. Aristo, arguit antiquos, quòd diffiniendo motum dicebant, quòd erat non ens, ergo passiones entis, & differentiæ sunt magis entia quidditatiuè (si tamen sic liceat loqui) quam motus, tum quia motus est idem realiter, quod res, ad quas est motus *Tex.* 4. tum quia terminus motus comparatur ad motum, vt perfectum ad imperfectum

*Tex.*

*Tex.*15. & sub genere motus comprehenduntur non solum alteratio, quæ terminatur ad passiones, auctio ad quantitatem, sed etiam generatio, si tamen motus communiter accipiatur.

Quintò. Idem probatur de vltimis differentijs. Inferior differentia includit superiores essentialiter 7.*Metaph. Tex.*42. vbi dicitur, quod scissio est quædã pedalitas, quod si pedalitas, ergo quoddam ens particulare, ergo, vel omnis differentia, vel nulla, est quidditatiuè ens, contra negantes prædicari quidditatiuè de vltimis, & solum concedentes de cæteris.

Sextò. Idem de modis entis hoc pacto; Nihil habet esse naturale, nisi per id, quod est formale, & actuale in ipso, sicut nec artificiale, nisi per actuale in ipso 2.*Physs.Tex.*11. sed formale, & actuale in substantia est modus essendi in se ex dictis Cap. 5. & accidentis in alio, ex dictis Cap. 10. ergo substantia, & accidens, non aliunde habent esse actuale, quàm ex proprijs illorum modis, ergo à realitate modi illud habent, ergo ens, quod est tale ex ordine ad ipsa, quidditatiuè dicitur de prædicamentis, ergo, &c.

Septimò. Sicut differentiæ constituunt species, sic modi, prædicamenta, quia nil aliud datur, per quod prædicamenta constituantur; sed differentiæ cuiuscumque rei complent esse specierũ. *Porphyr. de differentia.* ergo modi complent esse prædicamentorum, ergo ens dicitur quidditatiuè de modis, quia esse est formale significatum entis, nec potest dici, quod modi sunt, quibus non qui, et enim idem esset etiã de differentijs, quòd sũt, quibus species sunt entia, non tamen ipsa sunt entia, quod tamen est falsum, tum ex supra probatis, tum quia species non abundaret à genere, quia genus est ens, vt quod, & quo speciei, differentia verò solum esset talis, vt quo.

Ad

Ad omnia supradicta posset aliquis dicere, quòd si quid probant dictæ rationes, solum arguunt ens nominaliter, prædicari quidditatiuè, non autem ens participaliter, secundum intentionem nostram, etenim ens participaliter dicit existens, & quælibet essentia finita abstrahit ab existere, & non existere.

Contra. Ens participaliter non dicit compositum in hoc sensu, quòd essentia sit necessariò annexa cum actuali existentia, sed solum dicit compositionem, quatenus essentialem ordinem habet ad existentiam, vt supra C. 6. quare cum non abstrahat essentia ab ordine ad existentiam, sequitur, quòd rationes iam dictæ sufficiẽter probent de ente transcendentaliter, & participaliter, quia nec passiones nec modi, nec vltimæ differentiæ abstrahunt ab ordine ad existentiam, coaptatam tamen, & commensuratam cum propria illorum essentia, ergo, &c.

Ad primum illorum, quæ in contrarium adducta fuerunt, respondetur. Illud idem ens formalissimè acceptum, est etiam illud idem realiter, quod includitur in conceptu omnium, de quibus prædicatur, tamen sicut animal, quod est genus, est idem realiter quod in Petro, quia non dantur vniuersalia separata, & inde non sequuntur incõmoda, quæ ponuntur in fine argumenti, quia cũ identitate reali habet distinctionem conceptus formalis, & obiectiui eo, quod in proprio conceptu communi habet esse secundum rationem, in Petro esse reale existentiæ, à simili distinguitur secundum rationem ens communissimè acceptum ab ente in inferioribus incluso, quia communissimè solum habet esse in ratione, in inferioribus esse reale, cuius causa formantur diuersi conceptus, & ad inuicem comparantur, vt contrahentes, & contracti.

Ad secundum respondetur, quòd proprij conceptus,

non ita distinguuntur à communissimo entis conceptu, quasi quod nihil illorum sit in ente analogo ad differentiam vniuocorum, in quibus vniuocum totaliter abstrahit ab vniuocatis, etenim sicut dictum est in secundo notando, Analogum cum identitate proportionali, vnit, & quodammodo confundit analogatorum diuersitatem, quare non sequitur quod idem se ipsum diuidat, contrahat, &c. sed solùm, quòd illud ex quo constituitur includatur saltem proportionaliter in communi analogo, quod diuiditur.

Ad tertium, Negatur consequentia, quia genus totaliter abstrahit à differentia, non autem ens à suis inferioribus.

Ad quartum, Negatur, quòd entitas in inferioribus sit actu in superioribus, quia hoc solum est virtualiter, & si aliqualiter inclusa diuersitas inferiorum illud fit modo solum proportionali, non tamen vniuoco.

Ad quintum respondetur; quòd ens dicitur de omnibus quidditatiuè proportionaliter, nunquam simpliciter, & vniuocè, quando additur, ergo quod de vno, non de altero, & è conuerso, conceditur semper quantũ ad id, in quo distinguuntur, etenim solum intelligitur, quòd ens prædicatur, vt superius quatenus inferiora eadem proportionaliter, quia quidquid est simile, simili est simile, &c.

Ad sextum respondetur, quod proprietates entis dupliciter possunt accipi, primò, quo ad formale abstractum, idest quantum ad simplicem rationem formalem proprietatis, quæ non est nisi relatio, vel negatio, sicut restat dicendum Cap. 33. secundò, quo ad concretum idest quantum ad totalem, atque completum conceptum proprietatum illius, ens ergo, licet non dicatur quidditatiuè, nec quidditatiuè includatur in proprietatibus, quantum ad simplicem rationem formalem illorum, quia ens reale, de

quo in præsenti, non est relatio, nec negatio, nec è conuerso, tamen includitur in totali conceptu, idest in subiecto, quod ingreditur totalem conceptum proprietatis, quia vnum cum dicat formaliter ens, quatenus stat sub indiuisione, vel vt indiuisum, ergo vnum est formaliter ens, ergo satis est, etiam, quòd proprietates entis dependeant à subiecto, quantum ad illarum rationem formaliter acceptam.

Sed occurrit quædam non dissimulanda difficultas, ergo ex hac responsione saltem sequitur, quod ens non dicatur quidditatiuè de modis, quibus constituuntur prædicamenta, nec minus etiam de vltimis differentijs, quia hæc omnia sunt entia realia positiua, & nullo pacto relatiua, quia si relatiua, omnia in vniuerso essent relatiua, & nullum absolutum; si secundum rationem, adhuc nullum ens reale, sed omnia entia rationis, si negatiua, nullum etiam daretur ens positiuum, quia omnia per modos, & differentias constituuntur, & nihil per negationem constitui potest.

Respondetur, quòd differentiæ, & modi, licet entia positiua realia, & secundum totalem illorum rationem formalem includant ens, tamen aliud est, quod significatur nomine entis, aliud nomine differentiæ, & modi, quia, vt supra hæc solum dicunt expressionem, si pro formali solum rationes illorum accipiantur; verum sicut in tota albedine, vt decem, & in omnibus, & quibuscumque modis albedinis excogitatis, includitur albedo, nec non gradus solum addunt ad rationem formalem albedinis expressionem, quæ in ratione formali, simpliciter accepta non significatur; inde conueniunt cum passionibus, modi, & differentiæ in hoc, quòd si comparentur cum simplici formalitate entis addũt modum expressionis, qui non includitur in tali formalitate entis, nisi vt supra, quantum ad entitatem proportionalem

in ipsis, ad inuentam; differunt autem, quòd hi sunt modi absoluti, & positiui, illi negationes, vel relationes.

realis, quia nunquam potuisset imaginari, se sufficienter probasse motum ante motum, ex mutatione interueniente in ad aliquid in duplo .s. & dimidio, si nulla relatio realis, sed omnis secundum rationem.

Tertiò. Legitur 3. *Phys. Tex.* 54. sursum, deorsum, antè, & retro, dextrorsum, & sinistrorsum non solum ad nos, & positione sunt, sed in ipso toto determinata sunt; ergo sunt relationes reales. Idem 2. *de Anima Tex.* 38. 2. *Cæli Tex.* 7. &c. de incessu animalium *Cap.* 4. ergo, &c.

Quartò. Legitur 4. *Metaph. Tex.* 20. quòd relatiua tertij modi, eo quòd alia ad ipsa dicuntur ad aliquid, non eo quod ipsa ad aliud; ergo saltem in altero illorum est relatio realis, quia si omnia secundum rationem, iam non potuisset fingere *Aristo.* quare vnum magis sit ad aliud, quam aliud ad vnum; ergo, &c.

Quintò. *Duodecimo Meta. Tex.* 19. vertitur in dubium, vtrum substantiæ ad aliquid, & cuiuslibet cathegoriarum similiter sint eadem, vel alia principia, & elementa; ergo ad aliquid est prædicamentum reale, ergo &c.

Modò, vt constet relationes specificari à sua essentia, & intrinseca differentia formalitèr, quod est primum ex propositis in prima conclusione, talia formantur argumenta.

Primò. *Ex Porphyrio Cap. de specie*, in vno quoque prædicamento sunt genera, & species, *Cap. de differentia*, differentiæ diuidunt, & intrinsecè constituunt species, immò sunt, quod quid speciei, & partes rei; ergo formale specificatiuum relationis realis est essentiale intrinsecum.

Secundò. Idem est principium intrinsecè constitutiuum, & distinctiuum à quocumque non tali, siuè disparatæ, siuè aliter, vtcunque, quia indiuisum à se, & diuisum ab alio facit vnum, quod est proprietas entis, ex dicendis *Cap.* 35. ergo nulla species relationis realis constituitur in tali esse

spe-

ſpecifico, niſi per differentiam intrinſecè, & formaliter conſtituentem eandem relationis ſpeciem: ergo &c.

Tertiò: Si formale ſpecificatiuum relationis realis non eſſet intrinſecè conſtitutiuum, eadem relatio eſſet, & non eſſet talis, eſſet talis per principium illud extrinſecum, quod ſupponeretur relationis conſtitutiuum, non eſſet talis, quia relatio ſic cõſtituta haberet intrinſecè oppoſitam affirmationem, in qua eſſet fundata negatio rei non conſtituentis intrinſecè, quia de vnoquoque verum eſt affirmare, &c. & quia ſemper affirmatio prior negatione 1. *Periher. Cap.* 4. & nunquam dicitur, quod homo eſt rationalis, quia non eſt irrationalis, ſed quòd non eſt irrationalis, quia prius rationalis, ergo &c.

Quod dictum eſt de relatione reali, facilè etiam intelligi poteſt de relatione ſecundum rationem, tum quia ſi ex dictis *Cap.* 10. non minus eſt vera relatio rationis, quam realis; ergo ſaltem, vt ſuperius analogum relatio prædicatur de reali, & rationis; ergo proportionalitate ſeruata, neceſſe, quod æqualiter ſpecificentur per intrinſecè conſtituentia, realis relatio, & ſecundum rationem.

Tum quia relatio vniuerſalitatis, quæ eſt ſecundum rationem diuiditur in quinque prædicabilia, tamquam in ſpecies conſtitutas in tali eſſe ſpecifico, iuxta diuerſum modum prædicandi de pluribus, vel accidentaliter, vel eſſentialiter, & hoc vel extrinſecè, vel intrinſecè, & hoc vel in quale, vel in quid, & hoc tandem, vel de differentibus ſpecie, vel numero ſolum, & ſic iuxta varias differentias, vel modos prædicandi conſtituuntur quæque prædicabilia, & per conſequens relationes rationis illorum. Tum quia ſicut in relatione reali datur genus generaliſſimum, vt relatio realis, ſpecies ſubalterna, vt relatio pertinens ad actionem, & paſſionem, ſpecies ſpecialiſſima, vt paternitas,

nitas, indiuiduum hæc paternitas, à simili in relationibus secundum rationem datur genus generalissimum, vt relatio secundum rationem, species subalterna, relatio prædicabilis, secundum quod communis ad omnia prædicabilia, species specialissima, vt relatio proprij, vel alterius cuiuscumque prædicabilis, indiuiduum, vt hæc relatio proprij, vel aliorum quælibet indiuidua relatio; ergo adhuc per differentias intrinsecas, relationes rationis est necesse, quòd in esse specifico constituantur, ergo &c.

Secunda pars conclusionis, quamuis aliquid difficultatis habere videatur; tum quia sequitur, dicere quis posset, quod ratione fundamenti in sua formalissima ratione relatio dicat entitatem realem, vel rationis, iuxta naturam fundamenti realis, vel rationis; tum quia si debilissimum esse relationis est causa, quòd relatio realis fundetur super aliud accidens, vt videtur communiter accipi; ergo motus, quia est omnium, quæ sũt actu imperfectissimus, propter admixtionem, quam continet actus, & potentiæ 3. *Phys. Tex.* 15. indigeret alio accidente, quod esset illius fundamentum proximum, potentia etiam, vt potentia ex quo inferior ad relationem realem, eo quod in reale dicit actualitatẽ, quam non dicit potentia, fundamentum, & ipsa requireret, quæ omnia sunt manifeste falsa.

Nihilominus non obstantibus prædictis est sustinẽdum, quod fundamentum relationis, speciali ratione, qua relatio, necessarium, vt ad causandam radicaliter essentiam relationis, quatenus dico relatio abstrahit ab existentia à subiecto, & à quacumque entitate etiam tam reali, quam rationis, quare sic arguitur.

Quædam sunt abstracta, quæ dicuntur ad aliquid, quia illorum concreta dicuntur ad aliud, æqualitas, quia æquale, similitudo, quia simile 5. *Metaph. Tex.* 20. sed æquale non

refertur ad aliud æquale, & simile ad aliud simile, nisi ex fundamento, quod est vnitas absolutè ex *Aristo. ibidem*; ergo nec æqualitatis, nec similitudinis relatio refertur nisi ex fundamento aliquo. Sed subiectum non potest esse adæquatum fundamẽtum relationis ad terminum, quia in quocumque prædicamento accidentis relatio esset fundata propter ordinem essentialem, quem dicit omne accidẽs ad subiectum, & tamen constat, quod non nisi in quantitate, & actione fundatur relatio realis; ergo fundamentum, quod est radicale specificatiuum, est aliud à subiecto.

Vlterius. Rebus mathematicis, esto quòd forent separatæ; propriè, & realiter conuenit tactus 1. *Gene. Tex.* 32. sed præsentialitas, intrinsecè, & essentialiter est ad aliud 3. *Physi. Tex.* 74. ergo fundamentum relationis abstrahit ab existentia, quia mathematica in sui abstractione non existunt, ergo conuenit relationi, sola inspecta ratione relationis essentiæ, & vt ordinatur ad terminum.

Præterea particularis relatio paternitatis circumscripto subiecto, & omni alia re ab essentia, indiget particulari fundamento. s. virtute actiua, vt sit essentialiter capax pro exercenda actuali relatione ad filium, tamquam ad terminum, etiam hæc relatio dupli indiget fundamento .s. quantitate pro exercenda relatione ad dimidium, & sic de singulis; ergo absolutè relatio, vt relatio, indiget fundamento, etiam facta circumscriptione à subiecto, & ab omni re non essentiali, quia, vt diffinimus singulare, sic & quod propriè est 3. *Physi. Tex.* 63.

Idem facillime constat in relationibus rationis, tum ex eo quod relatio, vt relatio abstrahit, vt analogum proportionale à reali, & rationis, tum etiam quia in diffinitione vniuersalis, & singularis 1. *Periher.* ponitur fundamentum, vt respicit terminum, quãdo dicitur vniuersale, quod habet apti-

aptitudinem ad prædicandum de pluribus; singulare de vno solum.

Ad difficultatem primam respondetur, quod sicut relatio essentialiter, nullam dicit entitatẽ nec realem, nec rationis, & fundamentum solum respicit essentialia relationis, non sequitur, quòd ex fundamento relatio aliquam entitatem includere possit.

Ad secundam dicitur, quòd si motus, & potentia formaliter non indigent fundamento; hoc fit quia in sui ratione formalissima dicunt realitatem motus actualem, quamuis imperfectissimam: potentia, quia ens reale diuiditur in actum, & potentiam 1. *Phys. Tex.* 78. 5. *Metaph. Tex.* 13. relatio autem nullam includit essentialiter entitatem, nec realem, nec rationis, immò quæcumque entitas, siuè realis, siuè secundum rationem non nisi virtualiter in relatione continetur, sicut differentiæ in genere, *ex Porphyrii Cap. de differentia.*

Tertia pars conclusionis, quod terminus sit completiuus speciei probatur in hunc modum. Illud est de complemento speciei, sine quo, data vltima differentia intrinsecè constituente, data etiam causa extrinseca, & fundamento, à quo essentialiter nascitur referribilitas necessariò, nec esse, nec intelligi potest relatio, sed nec esse nec intelligi potest relatio sine termino *in prædicamentis C. ad aliquid*, ergo terminus est complens speciem relationis.

Vlterius. Si relatio non haberet complementum speciei à termino; ergo esset, & non esset completa in esse specifico, esset, quia sic supponeretur illius species completa sine termino, non esset, quia implicat, quòd aliquid sit essentialiter ad vnum, & illud, ad quod est, & dicitur non sit de ratione essentiali illius, ad quod refertur, quia non aliter res ponitur de intrinseca ratione rei, nisi vt illorum

compleant speciem, quorum intrinsecam rationem ingrediuntur.

Verum quia posset fieri difficultas. Si terminus est extrinsecus, qualiter complet speciem relationis? vlterius, si in relatione datur differentia intrinseca, ex prima parte huius conclusionis, & talis etiam differentia desumitur à fundamento, ex altera parte eiusdem, qui fit, quod non superfluat terminus pro complenda specie relationis?

Respondetur ad primum, quod terminus dicitur completiuus speciei, quia licet extrinsecus rei, tamen semper est intrinsecus diffinitioni, eo quod præter genus, & differentiam, quæ sunt intrinseca rei, adhuc relatio ipsa tota essentialiter est ad terminum, & sic non potest abstrahi nec in prima operatione à termino, nec sufficit fundamentum, quia si accidentium differentię desumuntur à principijs subiecti, & tamen principia talia non complent illorum speciem, quamuis accidentia absoluta sint à termino; ergo in relationibus fundamenta hoc minus præstare poterunt propter essentialem ordinem, quem habent relationes ad terminum.

## *Qualis distinctio inter fundamentum, & relationem.* *Cap. XXIV.*

Contra secundam conclusionem videtur, quod sic possit argui.

Primò. Relatio transcendentalis non distinguitur à fundamento, vt constat; ergo nec prædicamentalis; ergo nec alia, vtcunque excogitata, quia si relatione trascendentali vna res ordinatur realiter ad aliam; ergo, vt res ordinatur realiter, quacunque alia relatione, nulla necessitas, quòd fundamentum distinguatur realiter à relatione, iux-

iuxta consequentiam *Aristo.* 1. *Phys. Tex.* 50. *idem facit Empedocles cum finitis, quod Anaxagoras cum infinitis*; ergo &c.

Secundò, Relatio dependet à fundamento, tamquam à causa, ex dictis præcedenti capite; ergo non maior distinctio inter fundamentum, & relationem, quàm inter causam, & effectum; ergo satis erit, quod vnum sit ratio alterius, quamuis non distinguantur, vt duæ res.

Tertiò. Vel distinguitur relatio à fundamento propter in, vel propter ad, non primò; quia relatio abstrahit ab omni, & quocumque in, non secundò, quia ad non distinguit nisi à suo correlatiuo, sicut non constituit nisi ad suum correlatiuum; ergo, &c.

Quartò. Si realis distinctio; ergo realis relatio distinctionis inter relationem, & fundamentum; ergo relationis relatio, & sic in infinitum; ergo &c.

Quintò. *Aristo.* 8. *Phys. Tex.* 9. ad probandam æternitatem motus facit tale argumentum; si mouens, & motum non fuerunt ab æterno in propinqua potentia, vt vnū moueret, aliud moueretur; ergo præcessit alia mutatio, secundum quam constituta fuerunt in tali potentia, vt in duplo necesse est mutari alterum, quamuis non vtrumque; ergo non est necessaria mutatio ex parte vtriusq; ergo saltem in subiecto, vbi nulla interuenit mutatio, relatio non distinguitur à fundamento; ergo &c.

Sextò. Quilibet numerus, cuicumque numero comparatus facit diuersam relationem proportionis, vt constat ex arithmetica; ergo duabus rebus acceptis, totidem relationis species in illis duabus rebus, quot sunt alię res in vniuerso, quia incipiendo à ternario, & ascendendo ad quaternarium, ad quinarium, & semper addendo, totidem species relationis, quot sunt vnitates additæ numeris; ergo in quacum-

cumque re innumeræ relationes; ergo pro euitanda hac inutili multitudine entitatum relatiuarum, in quacumque re, nulla erit distinctio relationis à fundamento; ergo &c.

Septimò. Si Relatio, & fundamentum, formalissimè accipiantur, ideſt ſecundum quòd abſtrahunt à reali, & rationis, non ſunt duæ res inter ſe diſtinctæ, quia vnitas, & diſtinctio ſunt proprietates entis, & relatio ex dictis *Cap.* 20. nullam dicit entitatem, nec realem, nec rationis; ergò abſtrahunt ab vnitate, & diuiſione reali, & rationis; ergo non ſunt duæ res diſtinctæ; ergo nec relationes, & fundamenta, ſi accipiantur in ſpecie ſunt duæ res, quia nunquam per quodcumque inferius tollitur id, quod eſt ſuperioris; ergo &c.

Vt veritas ſecundæ concluſionis propoſitæ, magis quam fieri poſſit clarior reddatur conſiderandum, quòd diſputatio non eſt circa diſtinctionem realem materialiter acceptam, relationis à fundamēto, quia ſicut conſtat, quòd diſtinctio materialis ſignificat diſtinctionem ſubiectorum, in quibus ſunt illa, quæ dicuntur diſtincta realiter, materialiter, vt dictum eſt, etiam in præcedenti capite, quòd fundamentum concurrit formaliter, quamuis, vt cauſa extrinſeca, ad conſtituēdam formaliſſimam rationem relationis, iam ſequitur, quòd ſi formaliter (vt decet) ſit diſputandū de diſtinctione relationis, & fundamenti, quòd alia diſtinctio eſt quærenda, quam materialis, & illa, quæ ex ſubiecto.

Vlterius. Circumſcripta diſtinctione relationis, & fundamenti à quacumque alia, quæ oritur ex ſubiecto, quia adhuc poteſt dupliciter imaginari propoſitorum diſtinctio primò, quatenus fundamentum, & relatio accipiuntur ſecundum illorum formaliſſimam rationem, ideſt, vt abſtrahunt ab omni, & quacumque ſpecie relationis, & fundamen-

menti, secundò, quatenus descendunt ad sua inferiora, quatenus inquam sunt relationes, & fundamenta, vel realia, vel rationis.

Inde, si accipiantur primo modo, formaliter .s. & communissimè, in secunda conclusione proposita, intelligitur, quòd distinguuntur fundamentum, & relatio, sicut duæ res, non tamen realiter, vel secundum rationem inter se formaliter distinctæ, sed solum virtualiter, quia si relatio formalissimè sumpta, nullam dicit entitatē, sed abstrahit ab omni, & quacumque entitate reali, & rationis, & sic vtraque entitas est solum virtualiter in relatione formalissima, eo modo, quo differentiæ sunt in potentia in genere, *ex Porphyrio Cap. de differentia*, vnitas ergo, & distinctio, quæ inter ipsa imaginari potest, non erit vel realis, vel rationis, nisi virtualiter; ex quo proprietates, vnitas .s. & distinctio, sunt semper minoris perfectionis, quam subiectum, cuius sunt proprietates.

Quòd si secundo modo, quia sic habent rationem entis realis, vel rationis, actu, & formaliter propter contractam illorum naturam ad talem modum, vel speciem relationis dependenter ab in, quod necessariò includitur in speciebus illorum, inde additur in conclusione, quòd distinguantur, vt duæ res actu, & formaliter relatio realis, & illius fundamentum realiter, relatio rationis, & illius fundamentum secundum rationem.

Cum itaque tres partes in dicta conclusione contineantur, iuxta ordinem seruatum *Cap.* 3. in venanda ratione formali entis realis, primo sustinebimus distinctionem realem inter relationem realem, & illius proprium fūdamentum, successiuè distinctionem secundum rationem inter relationem secundum rationem pariter, & suum proprium fundamentum, vltimò distinctionem virtualem relationis

for-

formalissime, abstractæ inquam ab actuali, & formali distinctione reali, & rationis.

Pro sustinenda ergo distinctione reali inter relationem realem, & fundamentum, sic argumentor.

Primò. Magis distinguuntur relatio realis,& proprium fundamentum, quam terminus, & relatio realis, tum quia relatio, & terminus opponuntur relatiuè, fundamentum verò, & relatio nequaquam, propter absolutam entitatem fundamenti, & semper inter omnes oppositiones minor est relatiua, tum quia simul stat, & intelligitur realis existentia fundamenti sine relatione,non tamen relatio sine termino, nec terminus sine relatione, sed relatio realis, & terminus realiter distinguuntur, vt constat; ergo fundamentum, & relatio sunt realiter distincta.

Secundò. Relatio æqualitatis non est realiter relatio inæqualitatis; ergo nec quantitas super quam fundantur, quandò quantitas eadem vni comparata est æqualis, alteri inæqualis. Consequentia clara,quia quæ eidem eadem, inter se eadem, eo modo, quo eidem eadem. Antecedens probatur *ex Aristo.3. Physi.Tex.12*. qui probat contra antiquos, quod motus non est inæqualitas, quia res non magis mouetur ad inæqualitatem, quam ad æqualitatem, vbi constat, quod ratio *Aristo.* esset nulla. Si dicatur, quod sunt eadem æqualitas, & inæqualitas,quia antiqui dicerent, quod si sunt eadem æqualitas, & inæqualitas,stat quod motus sit inæqualitas, quia sic nulla terminorum diuersitas à quibus, & ad quos, ergo &c.

Tertiò. *Aristo.7.Meta. Tex.8.* probat, quod materia est alia res à formis substantialibus tali pacto. Accidentia, quia prędicantur de substantia sunt aliud à substantia;ergo forma substantialis, quia prædicatur de materia est alia res à substantia materiæ ex hac auctoritate sic arguitur,vel

Ari-

Aristoteles infert distinctionem inter prædicatũ, & subiectum in rebus propositis, quando interuenit prædicatio vniuoca, & hoc non, quia non sequitur, quod sit aliud per essentiam homo, & animal, quamuis vnum de altero prædicetur, vel quando fit prædicatio denominatiua; ergo si prędicata denominatiua realiter distinguuntur à subiectis, de quibus dicuntur, quia similitudo prædicatur denominatiuè de qualitate, æqualitas, de quantitate; quia sunt illarum proprietates, vt dicitur *in prædicamentis*, immò etiam proportiones, vt constat dicuntur denominatiuè de quantitatibus, quantitates, & qualitates, quæ sunt illarum fundamenta realiter distinguuntur à propria relatione; ergo, &c.

Quartò. Alia, & alia est fundamenti, & relationis, intrinseca differentia, quia fundamenta sunt causæ extrinsecæ, & radices relationum, & *ex Porphyrio C. de differentia*, quælibet species constituitur per differẽtiam intrinsecam; alia etiam, & alia est ipsorum existentia; ergo realiter distinguuntur, quia si ex alietate essentiæ, & existentiæ non sequeretur distinctio realis, iam nulla foret realis distinctio, nisi ex alietate subiecti, & sic albedo, & dulcedo in saccaro essent idem realiter.

Secunda pars. antecedentis probatur, primò inductiuè in tribus modis relatiuorum, successiuè in omnibus vniuersaliter; In relatiuis tertij modi, qui fundantur super mensurabile, scibile, &c. hoc pacto. Relationes tertij modi sunt reales, ex realitate extrinseca oppositæ relationis, vt probabitur capite sequenti, sed realitas oppositæ relationis, scientiæ .s. ad scibile, est alia à realitate fundamenti relationis, in scibile, vt constat; ergo relationes tertij modi habent aliud esse ab esse fundamenti.

Si dicatur, quod sicut realitas relationis scibilis, est ex

realitate relationis scientiæ; sic realitas fundamenti relationis scibilis est ex realitate fundamẽti relationis scientiæ, & quòd existente fundamento, & relatione scientiæ, idem realiter realitate intrinseca remaneat, etiam quòd relatio, & fundamentum scibilis sint idem realiter realitate extrinseca.

Ingeniosissima responsio, sed quia fundamenta sunt realia realitate absoluta intrinsecè, & essẽtialiter, immò quandoque diuersorum prædicamentorum, vt scientiæ, & scibilis, iam ex realitate extrinseca relationis orta ex realitate oppositæ relationis non licet inferre realitatẽ extrinsecam vnius prædicamenti, & vnius rei absolutæ ex realitate alterius prædicamenti, & rei absolutæ, quia non sunt simul natura, sicut relationes, sed vnum est prius altero.

Idem probatur in relatiuis secundi modi, in actione .f.& passione. Actio significatur, vt in aliud tendens, & vt quasi deferens agentem, à quo procedit. Relatio verò, quando significatur, vt in aliud tendens, illud non fit, vt quasi deferens rem relatam, sed vt eam attingens, & quasi medium attingens fundamentum, & terminum, ergo alia est habitudo in, quæ est actionis, & relationis fũdatæ in actione, quia modus significandi sequitur modum intelligendi, & modus intelligendi modum essendi; sed accidentis esse est in; ergo aliud est esse in relatiuis secundi modi ab esse fundamenti.

Idem etiam in relatiuis primi modi. Quantitati separatæ propriè conuenit tactus *primo de generat. Tex.* 44. tactus essentialiter est ad aliud 3. *Phys. Tex.* 74. immò quantitati etiam separatæ conueniunt omnes species proportionis duplæ, triplæ, &c. vt constat, sed relationes iam dictæ habent habitudinem ad quantitatem separatam, significatam nomine in; quantitati verò, quia separata, non conuenit ha-

bitu-

bitudo ad subiectum; ergo aliud, & aliud esse relationis à proprio fundamento, quod est quantitas.

Si dicatur, quod quantitas separata retinet semper habitudinem ad subiectum. Contra ergo in actuale relationis duplæ, &c. habet actualem inhærentiã ad quantitatem, tamquam ad subiectum, quantitas solam aptitudinalem; ergo illorum esse saltem distinguuntur vt actus, & potentia; ergo realiter, quia actus, & potentia sunt primo diuidentia ens 5. *Metaph. Tex.* 14. Immò implicat, quòd in relatione includatur actualis inhærentia, quæ est illius existentia, in quantitate sola aptitudinalis, & quod sit vnica illarum inhærentia, secundum quam realiter existunt, quia, vt constat ex terminis actualis inhærentia in vno dicit negationem aptitudinalis solum, & hæc aptitudinalis negationem actualis.

Vniuersaliter in omnibus relatiuis. *Aristo.* 4. *Metaph. Tex.* 2. dicit, quòd alia dicuntur esse, quia substantię, alia, quia vtcumque aliquam habent habitudinem ad substantiam, siuè positiua entia, siuè negationes etiam, sed absoluta, & relatiua, quidquid sit de omnibus absolutis inter se comparatis, habent diuersam habitudinem ad substãtiam; ergo aliud, & aliud illorum esse, iuxta aliam, & aliam inhærentiam, & habitudinem ad substantiam; ergo fundamenta, quia absoluta, eo quod relationes habent pro fundamento alia prædicamenta, habent diuersas existentias à fundamentis; ergo tandem realiter distinguuntur, ergo, &c.

Sed circa relationes fundatas in quantitate occurrit difficultas non dissimulanda, siuè dicantur realiter distinctæ à fundamentis, siuè non, & est talis. si relationes duplæ, triplæ, &c. essentialiter dicunt habitudinem ad quantitatem, in qua fundantur, quomodo formæ inhærentes in quantita-

 tibus,

tibus, eo quod nulla relatio est tota in singulis partibus quantitatis, quia nulla pars est dupla, non est pars in parte, quia relationes ipsæ sunt indiuisibiles, & tamen inhærens per modum formæ, necesse est, quod sit altero illorum modorum.

Respondetur sicut subiectum se habet ad esse tale vnum per se, sic proprietas, quæ ab illo dependet, formaliter est in tali subiecto, & illud denominat, modò quia quantitas, secundum quòd habet rationem numeri est fundamentum relationis duplæ, &c. *5. Metaph. Cap. ad aliquid*, inde non denominabit, nec inhærebit relatio in quantitate, nisi secundum modum, & essentiam numeri, quare cum numerus sit vnum per se propter ordinē vltimæ vnitatis super alias; idest accipiens speciem ab vnitate vltima, vt est fundamentum talis ordinis, super alias vnitates iam relatio dupli non debet esse tota in singulis partibus, nec pars in parte, nisi fundamentaliter; idest, quatenus partes fundant species numerorum, antecedentes vnitates materialiter, vltima vnitas formaliter, quia nec aliter, nec alio modo forma numeri constituens numerum in tali esse specifico, est receptibilis in vnitatibus habentibus rationem materiæ, & potentialis, propter discretionem vnitatum contentam in essentiali ratione numeri, vt dicitur, *capite de quantitate*.

Distinctio relationis secundum rationem à fundamento proprio, quod est secundum, quòd in præsenti quærimus, quia requirit cognitionem distinctionum, quæ inter res, siue reales, siuè rationis occurrere solent, idcirco considerandum quod entia realia, quadruplici distinctione differunt, quædam realiter, siuè vt duæ res, Socrates, & Plato, materia etiam, & forma, siuè vt vnum addens aliquod reale, quod non aliud, vt homo, & animal, propter rationalitatem additam in conceptu hominis, vltra naturam sensitiuam,

uam, & non inclusam in conceptu animalis; quædam secundum rationem, siuè ratiocinatam, quando vna, & eadem res habens vnum, & idem esse reale, fundat nihilominus diuersos cōceptus inadæquatos, vt intellectiua vna, & idem realiter, quod vegetatiua, & sensitiua, tamē ex eminētia, qua virtualiter est illorum contentiua, ita est formaliter intelligens, quod non est formaliter sentiens, nec vegetans, nec è conuerso; siuè secundum rationem ratiocinantem, quando intellectus ex suo modo intelligendi, nullo reali fundamento præsupposito, de eademmet re plures format conceptus prædicati, & subiecti, & dicit Antonius est Antonius.

In relationibus, etiā rationis quatuor distinctiones proportionaliter accipi possunt, prima inter relationes secundum rationem, quæ sunt inter se distinctæ, vt duæ res, non dico realiter, quia enti rationis nulla distinctio realis conuenire potest, sed solum, vt duæ res secundum rationem, vt relatio rationis comparata, cum sua opposita relatione, genereitas cum specietate, vel etiam cum disparata, vt eadem genereitas cum relatione differentiæ, vel aliter vtcumque.

Secunda inter relationes, quæ addunt aliquid secundum rationem alicui superiori relationi non includenti illud, vt relatio generis comparata cum relatione vniuersalis, eo quòd vniuersalis relatio solam dicit aptitudinem ad prædicandum de pluribus 1. *Periher.* C. 5. relatio autem generis vltra hoc dicit prædicari de differentibus specie in quid *C. de specie ex Porphyrio.*

Tertia, quando ex eminenti continentia aliorum plures conceptus formare potest, vt supra dictum est de distinctione entis realis, hoc pacto relatio speciei specialissimæ *ex Porphyrio Cap. de specie*, siuè respiciunt inferiora, siuè superiora, semper est vnita, & eadem relatio, & habitudo, quam-

uis

uis plures conceptus inadæquatos fundet in ordine ſ. ad inferiora, & ſuperiora acceptos, ex eo namque quod eſt infima relatio rei ſ. eſſentialiter conſtitutæ ſub genere, eminenter includit conceptum ad indiuidua, ad differentiam relationum, quæ ſunt ſpecies ſubalternæ, ſiquidem, vt ibi *ex Porphyrio*, illorum duæ ſunt habitudines, & relationes.

Quarta, quando nullo adhuc dato fundamẽto in iiſdem relationibus ſecundùm rationem, cuius cauſa intellectus poſſit formare plures conceptus virtualiter diſtinctos, tamen ex ſuo modo intelligendi habet talem occaſionem, quòd format diuerſos cõceptus ſecundum rationem ratiocinãtem, & enunciando dicit, ſpecies eſt ſpecies, vt in ente reali Antonius eſt Antonius.

Modo probatur, quòd diſtinctio inter relationem ſecundum rationem, & fundamentum proximum eſt inter duas res ſecundum rationem.

Primò, Vt dictum eſt de relationibus realibus magis diſtinguuntur fundamenta à relationibus fundatis, quam duæ relationes oppoſitæ, ſed relationes rationis oppoſitæ diſtinguuntur, vt duæ res ſecundum rationem, ergo magis dictæ relationes, & illorum fundamenta.

Secundò, Stat quandoque fundamentum proximum relationis ſecundum rationem, nullo intellectu conſiderantẽ, vt in relationibus, quæ ſequuntur potentias cognoſcitiuas, appetitiuas, motiuas, &c. ergo relatio rationis in huiuſmodi adueniens per actum intellectus concipientis eſt alia res, quia implicat reale, & rationis eſſe idem, quando autem fundamentum proximum eſt ab intellectu, vt in natura, quæ per actum intellectus agentis eſt vniuerſalis obiectiuè, adhuc relatio vniuerſalitatis, qua formaliter res denominatur vniuerſalis, quia illud eſt per actum poſſibilis, neceſſariò diſtinguitur à fundamento, tum propter alietatem

tem actus agentis, & possibilis, tum quia saltem natura actus agentis præcedit actum possibilis, immò si per actum possibilis res cōstitueretur in proxima dispositione ad fundandam aliquam relationem rationis, quia semper fundamentum, & relatio fundata haberent per diuersos actus intellectus diuersa esse secundum rationem, & fundamentum, atq; relatio facerent diuersos conceptus obiectiuos, semper diuersæ res forent secundum rationem fundamentum, & relatio, ergo &c.

Tertiò. Non includuntur fundamenta in conceptu relationis secundum rationem, sicut superius in inferiori, quia fundamentum non prędicatur de relatione formaliter, etenim falsum, quòd relatio vniuersalitatis sit formaliter aptitudo ad prædicandum de pluribus, quia relatio vniuersalitatis causatur à tali aptitudine, & nulla causa formaliter prędicatur de suo effectu, nisi in transcendentibus, & ente infinito, dicendo vnum est ens, vel æternitas in Deo est sua immaterialitas; ergo relatio secundum rationem non distinguitur à fundamento iuxta secundum modum distinctionis assignatum, non facit relatio secundum rationem id, quod fit à fundamento, quia nullus effectus nec idem, nec eminentiori modo potest facere id, quod fit à causa, nec etiam fundamentum id, quod relatio, quia superflua relatio, sicut superflua sensitiua in homine propter intellectiuam, quæ idem facit, & nobiliori modo, quod potest fieri à sensitiua; ergo non distinguuntur relatio, & fundamentum, iuxta tertium modum distinctionis datum.

Vlterius in distinctione quarto modo, entia rationis dicuntur distincta per actum intellectus conferētis distincta, quæ ex sui natura intrinseca non habent, quòd fundent talem distinctionem; ergo relatio, & fundamentum non distinguuntur quartò modo, quia, vt causa, & causatum, nullo

acce-

accedente actu intellectus, vt constat, fūdant diuersos conceptus obiectiuos; ergo distinctio tandem, & vltimò, quæ est inter relationem secundum rationem, & illius fundamentum proximum est distinctio, primo modo, qualis inter duas res secundum rationem, ergo &c.

Vltimum ex acceptis in conclusione ad sustinendum .s. quod relatio, & fundamentum si formalissimè accipiantur, idest quatenus abstrahunt à reali, & rationis distinguuntur, vt duæ res virtualiter modo supra exposito, facillimè probatur in hunc qui sequitur modum. Nullum inferius tollit, nec diminuit id, quod est superioris, quia superius essentialiter de inferioribus prædicatur, *Porphyrius Cap. de specie*, immò quodlibet inferius est aliquid sui superioris, quia scisio nil aliud, quam quædam pedalitas 7. *Metaph. Tex*. 42, ergo si relationes, & fundamenta quando contrahūtur per reale, & rationis, velut ad suas species distinguuntur, vt duę res, illa realiter, hæc secundum rationem; ergo etiam relatio, & fundamentum formalissimæ accepta, & quatenus abstrahunt à reali, & rationis, distinguuntur, vt duæ res virtualiter secundum rationem, ergo, &c.

Ad primum respondetur; Quod relatio transcendentalis, quia conuenit fundamentis, & rebus, secundum communissimam rationem, quam habent, entis .s. actus, potentiæ, &c. Iisdem etiam transcendentibus, quia nihil addi potest, per quod realiter distinguātur à rebus denominatis, inde relatio transcendentalis est idem realiter quòd illius fundamentum, prædicamentalis autem, quia non sequitur communissimam rationem entis, immò denominatiuè dicitur de relatis, vt dictum est supra, necessarium est, quòd distinguatur realiter à fundamēto, quia nec aliter, nec alio modo potest saluari ordo realis vniuersi, & partium in vniuerso, de quo *Aristo*. 12. *Metaph. Tex*. 52. *& primo Politicorum*

*rum Cap.* 1. *&c.* negatur itaque, quod idem haberi possit æquè benè, data reali identitate relationis, & fundamenti, & maximè ex rationibus, & causis, quibus supra probata est illorum distinctio realis.

Ad secundum respondetur; Quòd ex ijsdem rationibus constat, quòd causa virtualis, quæ sit ratio, quòd alterum insit, non saluatur in fundamento, & relatione prædicamentali, quia si dicitur, Deus est immaterialis; ergo æternus, illud sequitur; quia summè simplex, si dicitur etiam est ens; ergo verum, bonum, &c. hoc etiam sequitur, quia nulla entitas realis potest addi ad communissimam rationem entis, quare, &c.

Ad tertium respondetur; Quòd relationes, & fundamenta distinguuntur virtualiter ex parte ad, quia formalissimè accepta abstrahũt ab in, cuius in proprium est distinguere actu, & formaliter, quatenus illorum ad contrahitur per in reale, & rationis. quando dicitur ad solum distinguit à correlatiuo. respondetur, quòd si ad non distinguit à fundamento relatiuè, saltem disparatè distinguere potest, & hoc satis, vt sint duæ res modo exposito.

Ad quartum respondetur; Quòd non est relationis relatio, quæ sit realis, quia relatio est solùm, qua res dicuntur referri, tamen sicut est relationis secundùm rationem alia relatio, sic distinguuntur duæ relationes secundùm rationem, quatenus vna alteri comparata induit modum fundamenti, vel subiecti suo modo, altera modum formæ, & relationis, nec sequitur infinitum actu, etiam in relationibus secundùm rationem, quia cum nõ sit actu talis relatio secundùm rationem, nisi per actum intellectus, iam dictæ relationes rationis sunt in actu solum, sicut infinitum, dies, &. agon, quod est semper in aliud, & aliud fieri, vt dicitur 3. *Phys. Tex.* 57.

Ad quintum respondetur; Quòd *Aristo. in illo textu, octaui Physicorum*; & vbicumque dicit, quòd in aduentu relationis non est mutatio, nunquam loquitur de mutatione, quæ oritur ex noua entitate relationis additæ; quia hoc esset inuoluere contradictionem; sed de illa, quæ oritur ex noua dispositione addita subiecto, vt sit capax recipere relationem futuram, quod sic probatur. *Aristo. Textu* 7. 8. *Phys.* assumpsit probare, si non semper fuit motus; ergo prius fuit necessarium remouere causam, vt inde succederet motus de nouo; ergo exemplum dupli, quando dicitur *Tex.* 9. quòd necesse est, vel vtrumque, vel alterum mutari, debet accipi iuxta sensum conclusionis inferendæ, sed in conclusione posita *Tex.* 7. solùm agitur, vt constat ex litera de remotione dispositionis, si quietis impedientis motum; ergo in exemplo dupli, solùm debet intelligi de mutatione subiecti, vt reddatur capax ad recipiendam relationem dupli; ergo nihil contra *Aristo.* quādo dicitur, quòd subiectum relationis mutatur realiter, ex addita realitate relationis de nouo.

Iterum confirmatur. *In capite de substantia*, dicitur, quòd oratio in mente de nouo redditur vera ex sola mutatione rei, sed sola rei mutatio non verificatur, nisi accipiatur ex parte subiecti, vt dictum est de duplo, quia si veritas, & falsitas in conceptione secundùm affirmationem, & negationem sunt contraria, vt dicitur 2. *Periher. Capite vltimo*, ergo sunt entia positiua, ergo vtcumque accipiantur in oratione, necesse est, quod oratio mutetur realiter ex noua receptione veritatis, ergo, &c.

Ad sextum respondetur; Primò si considerentur res in vniuerso, sola inspecta illarum quantitate, in cuius ratione, intrinsecè, & formaliter fundatur numerus prædicamentalis, hoc pacto est vnus solùm numerus in vniuerso omnium

ha-

habentium quantitatem, eo quòd alij numeri, qui imaginantur minores, sunt tantùm in potentia in toto numero, vt dicitur *7. Metaph. Tex. 49.* quare negatur illa multitudo relationum, de qua in argumento, eo quòd quantitates, vt fundent relationes, & proportiones, necessariò debent esse distinctæ, quia non datur relatio actu, nisi inter ea, quæ sunt actu, & realiter distincta.

Verùm cum non exerceatur relatio, nisi inter ea, quæ sunt actu, & realiter distincta, si vnus solùm numerus in vniuerso, actu, & simpliciter, iam non darentur proportiones numerales actu, duplum, triplum, &c. ergo nec etiam potentia, quia *3. Phys. Tex. 69.* quantum contingit potentia esse, & actu tantum contingit esse, quod si sic, ergo relationes primi modi, quæ fundantur in quantitate non erunt prædicamentales, sed imaginariæ, & ad summum entia rationis.

Quare respondetur secundò, quòd vnum, vt principium numeri transcendentalis significat substantiam rei, quia sic vnum est ens, vt stat sub indiuisione, vt verò principium numeri prædicamentalis, de quo propriè verificantur relationes dupli, dimidij, &c. addit supra vnum transcendens esse quantitatis, & in rebus habentibus quantitatem significat substantiam entis indiuisam, vt stat sub esse quantitatis, modò quia in inferiori essentialiter continetur superius, oritur quòd in vniuerso sint diuersæ species numerorum propter diuersam substantiam, qua fundat quantitates illorum, ligni, animalis, lapidis, &c. si species rerum secundum se accipiantur, humorum, pedum, manuum, &c. si secundùm partes considerentur.

Oritur hæc diuersitas numerorum, quia, vt dictum est ad primum, Si species rerum, & partes ipsorum dicunt essentialem ordinem inter se, immò etiam quantitates, prout

realiter existũt in materia sensibili(quidquid sit de illarum ratione agendi, vt principia actionis) quia saltem conferũt ad commodiùs operandum; & vt conditiones necessariæ, quia non quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato 1. *Phys. Tex.*43. transmutabilitas etiam substantialis rerum, quia supponit comparationem secundum quantitatem illorum, quæ ad inuicem transmutantur 2. *de generatione Tex.*37. & sic relationem habitam ex fundantibus comparationẽ semper sequitur, quòd species rerum, & partes ipsarum faciant diuersas species numerorum, ad quas sequatur ordo necessarius pro vniuersi perfectione, iuxta variam inclinationem vnius ad alteram; quare hoc pacto sequitur solùm illa multitudo numerorum, & inde relationum in vniuerso, quæ satis est ad sustinẽdum ordinem, & perfectionem vniuersi; ergo &c.

Ad septimum respondetur; Vt ad tertium, quòd sicut ad est commune ad in reale, & rationis, & descendendo, ab ipsis accipit entitatem realem, & rationis, sic virtualiter relationes, & fundamenta sunt duæ res, quia per additionem in ad ad, non tollitur superius, sed perficitur, & fit in actu id, quod virtualiter erat in superiori, ad modum, quo genus perficitur per differentiam illi additam, *ex Porphyr. Cap. de differentia*; ergo &c.

## *Quæ sit ratio formalis termini relationis, secundùm quòd terminus.* Cap. XXV.

QVIA relationi multa conueniunt, secundùm rationem eidem, & absolutis communem, puta secundùm rationem entis, boni, formæ, proprietatis, &c. inde contra tertiam nostram conclusionem *Cap.*22. ad sustinendum propositam, ex inferius

pro-

proponēdis posset quis sibi fingere, quod ratio formalis, secundum quam terminus relationis est quasi in actu primo, ad terminandum oppositam relationem sit res absoluta, & quod velut in actu secundo constitutus, semper exerceat actum terminandi, nulla concurrente ratione, vel conceptu relatiuo, vtcumque imaginato.

Primò. *Ex Textu vigesimo 5. Metaphys.* hoc pacto. Relatiua tertij modi, eo quòd alia dicuntur ad ipsa; dicuntur ad aliquid, non tamen eo, quòd ipsa ad aliud; ergo illa, ad quæ oppositæ relationes referuntur actu terminant, & non referuntur ad oppositas relationes per ipsas terminatas; ergo saltem in his ratio terminandi est absoluta; ergo ratio termini relationis formalissimè accepta est absoluta, quia quòd conuenit alicui secundum suam formalissimam, & vniuersalissimam rationem verificatur de omnibus inferioribus 1. *Poster. C. de vniuersali*, ergò &c.

Si quis diceret, quòd *Aristo. illo Textu*, solùm intendit, quod per se relatiuorum quædam sunt relatiua realia per denominationem, seu prędicationem intrinsecam, quędam extrinsecam, eò quòd ab alterius realitate ipsa quoque inter relatiua realia connumerantur.

Contra, & primò. Non stat effectus formalis sine forma intrinsecè existente in re denominata, tum quia operatio, quæ propriè terminatur ad effectum formalem, solùm prouenit à forma intrinseca, velut à principio, quod dat actum formalem, intrinsecè, & formaliter, tum quia nihil intelligitur album per albedinem in alio existentem, sed esse reale est effectus formalis existentiæ realis, sicut album albedinis; ergo opposita relatio non est realis per existentiam realem oppositæ relationis.

Secundò. Vnumquodque est actiuum, quatenus in actu quia actus est ratio, secundum quam agens est actiuum 9.

1. *de generatione Tex.* 55. *&* 77. & semper vbi est ratio formalis alicuius, oportet illud esse, quod sequitur ab illo: ergo res magis actiua, quo magis in actu, tum per *Aristo. ibi Tex.* 77. tum per regulam, sicut simpliciter ad simpliciter, &c. sed nulla res absoluta causat existentiam extrinsecam in aliquo; ergo nec relatio, quæ est minimè entitatis in ordine ad absoluta hoc præstare potest; ergo &c.

Tertiò, Si sic, ergo relatiua mutua existerent duplici existentia, propria, siuè intrinseca, quæ illis conueniret ex propria ratione formali, & existentia, etiam extrinseca, per existentiam oppositæ relationis; ergo relatio scientiæ ad scibile, non esset æqualiter realis, sicut paternitatis, & filiationis relatio; quia hæ haberent duplicem existentiam extrinsecam, & intrinsecam, si relatio daret existentiam extrinsecam oppositæ relationi; relatio verò scientiæ haberet solam existentiam intrinsecam, quia hoc pacto opposita relatio scibilis, ex quo secundum se, & formaliter est solùm rationis, non posset dare existentiam, siuè realitatem extrinsecam scientiæ, & sic in relatiuis etiam triplex realitatis genus, illorum, quæ sola existentia extrinseca, vt relatio scibilis; illorum, quæ sola intrinseca, vt relatio scientiæ; & illorum quæ vtraque, vt paternitas, & filiatio, quod tamen est manifestè falsum; ergo, &c.

Secundò principaliter, Vel terminus relationis solùm terminat, & sic habetur, quòd non refertur, & quòd est absolutus, vel solùm refertur, & sic opposita relatio remanet interminata, quod est falsum, vel vtrunque facit, quòd si sic, vel secundum diuersas rationes formales, ergo adhuc secundùm illam rationem, secundùm quam terminat, non refertur, vel saltem secundùm vnam rationem formalem, quæ eminenter vtrumque continet, vtraque facit, sicut dicitur de ratione formali lucis in sole, calefaciendo, & exsic-

cando; ergo terminare, & referri, si considerentur vt in propriis naturis, sunt formaliter aliud, & aliud, ergo etiam, vt eleuata in illa ratione formali sunt aliud, & aliud formaliter, vel si non formaliter, nec virtualiter aliud, & aliud, iam sunt synonima; quod est manifeste falsum, quia *Aristo. illo Textu* 20. nō posset sustinere, quòd alia ad ipsa, non autem ipsa ad alia, quia quod conuenit vesti, in eo quod vestis, conuenit etiam indumento, quia synonima; ergo ratio terminandi, vtcumque accepta, semper est absoluta.

Tertiò. Subduplum, & duplum habent diuersas rationes formales in ratione termini, & relati, quia subduplum, vt relatiuum significat relationem proportionis, quæ est vnius ad duo, vt terminus autem, id, ad quod tendit opposita relatio duorum ad vnum (esto quòd relationes terminentur ad inuicem, non ad fundamentum oppositæ relationis) ergo vel terminare est absolutum, vel idem bis refertur, semel in ratione termini oppositæ relationis, & iterum in ratione relationis ad oppositam relationem contra *Aristo. 5. Meta. C. ad aliquid.*

Quartò. Si terminat vt relatiuum; ergo terminat terminum, quia hoc pacto relatio est terminus, & sic terminando relationem, terminat terminum, si dicatur, quòd aliter se habet terminando, aliter referendo, iam habetur intētum, quòd non terminat vt relatiuum, vel vt supra, bis eadem res est relatiua, ergo &c.

Quintò. Partes substantiarum terminant oppositam relationem, si in particulari accipiantur, quia vt dicitur *C. ad aliquia*, manus est alicuius, quod constat esse ad particularem terminum, quia idem est dicere alicuius, quòd cuiusdam manus, quod constat esse ad particularem terminum, sed partes substantiarum non referuntur in particulari, quia *vt ibi*, non dicitur hæc manus est alicuius hæc manus, sed so-

lùm

lùm alicuius manus; ergo si terminat terminus, & non refertur, vt in exemplis partium substantiæ, semper terminat vt absolutum, nunquam, vt relatiuum.

His non obstantibus, in præsenti duo sunt probanda, ex quorum cognitione absque alia illatione sequetur manifesta veritas conclusionis propositæ.

Primum, quòd relatio, vt referatur in actu exercito, non potest terminari ad fundamentum oppositæ relationis, paternitas v. g. ad virtutem passiuam generationis, vel ad quodcumque, quod in filio relinquatur, siue tale, quod relinqui dicatur, sit dispositio, siuè habitus, vel vis, aut facultas, vel aliud, esto etiam, quòd tale fundamentum imaginetur simplex ratio formalis, & adæquata, secundùm quam correlatiuum terminet oppositam relationem ad ipsa.

Secundum. Quòd opposita relatio est ratio formalis, secundùm quam correlatiuum terminat aliam relationem oppositam, in hoc sensu, quòd referendo terminat, & terminando refertur.

Primùm sic probatur. Vel relatio fundata in termino absoluto essentialiter concurrit cum tali fundamento, ad formaliter terminandam oppositam relationem. filiatio v. g. cum virtute generatiua passiua ad terminandam relationem paternitatis; ergo terminus, vt constat non est absolutus; vel accidentaliter concurrit; ergo circumscripta tali relatione à fundamento absoluto, adhuc relatio opposita refertur ad hunc terminum; quia ex Arist. C. *ad aliquid* circumscriptis omnibus, quæ non sunt de essentia illius, ad quod refertur, & relicto essentiali ad terminandum; semper relatiuum ad illud dicitur; ergo circumscripta filiatione, & dato fundamento .s. virtute generatiua passiua (sicut datur fundamentum de facto sine relatione, quando existente altero albo solùm desideratur existentia alterius albi,

bi, ad habendam relationem similitudinis) adhuc habebitur paternitas, quod est manifestè falsum.

Vlterius, si relatio haberet ordinem ad fundamentum, & sic ad terminum absolutum, ergo in diffinitione relationis, solùm adesset tale absolutum, quia non nisi essentialia ponuntur in diffinitione 2. *poster.* C. 8. ergo Porphir. ad difficultatem; qua de causa in diffinitione generis acceperit speciem,& è conuerso, non rectè dixisset,illud factum esse eo,quòd sunt relatiua, quia si solùm termini accipiuntur in diffinitionibus relationum oppositarum, non sequitur, quòd relationes se inuicem diffiniant, sicut requiritur ad euitandam ineptitudinem difficultatis, & responsionis, quę succederet si terminus esset absolutus. Idem confirmatur ex Arist. *C. ad aliquid*, qui vt doceat, quòd non potest diffinitè sciri relatiuum,nisi diffinitè sciatur id, ad quod dicitur, exemplificat de relatione melioris,& peioris, non de fundamento terminante, vt constat *in litera*: Confirmatur iterum, si ad fundamentum, tamquam ad absolutum, ergo habita cognitione illius fundamenti absoluti opposita relatio esset cognoscibilis, paternitas sine filiatione, & è conuerso, quod est plusquam falsum, ergo &c.

Vlterius, principaliter: si ad fundamentum, tamquam ad absolutum, ergo ille, qui primò excogitauit terminum fore absolutum non rectè dixit, quòd relatiuum non refertur, nisi per suum inferius, simile non nisi per inferius simile, quod potest distingui ab alio simili, & successiuè, quòd in relatione non datur summum genus, quia stante termino absoluto, quod sit fundamentum relationis; nil impedit, quòd relatum comunissimum referatur ad terminum communissimum, quia hoc pacto saluatur distinctio requisita ad exercendam relationem, eo quòd relatio in genere erit distincta à termino communissimo, vbicumque funda-

mentum oppositæ relationis sit terminus.

Ad hæc omnia posset aliquis dicere, quòd fundamentum relationis est ratio terminandi, addita semper relatione, quæ pendet ex tali fundamento, tamquam conditione, sine qua non, tum quia relationes oppositæ simul resultant, positis fundamento, & termino, tum quia videtur ex consimili ratione, quòd simul cognoscuntur relationes, cognitis, & inter se collatis fundamento, & termino, ac si diceretur, quòd vna relatione cognita, simul concomitanter cognoscitur altera, maximè in nobis, qui non cognoscimus relationes, vt in se sunt, sed solùm cognoscendo, & inter se conferendo fundamenta.

Sed contra, siuè vt ratio, siuè vt conditio solùm, sit necessaria simul existentia vtriusq; relationis, vt fundamentum terminet oppositam relationē, adhuc semper dabitur genus summum in relatione, stāte diuersa ratione inter relationem, & terminum, vt constat. Vlterius, differentiæ sub eodem genere, quamuis natura simul, vt dicitur *in post prædicamentis*, & vna etiam non possit existere sine coexistentia aliarum, quæ sunt sub eodem genere, quia non saluatur genus in vnica specie, tamen vna cognoscitur sine altera, tum quia 2. *Poster. C.* 8. non est necesse diffinientem omnia scire, tum quia 3. *de Anima Tex.* 21. contrarium ex contrario cognoscitur 1. *Topicorum C.* 8. *& 9. Meta. Tex.* 3. contrariorum eadem disciplina; ergo sola coexistentia ipsorum non arguit, quòd simul cognoscantur; ergo si simul cognoscuntur, illud solùm est, quia ad inuicem terminantur & referuntur, ergo &c.

Vlterius. Si filiatio est conditio, vt virtus generatiua passiua exerceat actualem operationem dico paternitatis ad ipsam; ergo filiatio præintelligitur annexa fundamento terminante, tum quia sicut ignis requirit debitam approxi-

ximationem, vt exerceat actualem calefactionem, prius etiam intelligitur approximatus antequam calefaciat, tum quia si vniuersaliter conditio non præintelligeretur, sed simul cum actuali operatione æqualiter foret necessaria, iam nō esset fingere in præsenti casu quid magis haberet rationem conditionis, nū quid terminare esset conditio filiationis, an filiatio conditio actus terminandi, quòd si sic, quia in relatiuis, saltem mutuis, non est intelligibilis relatio, sine alia opposita relatione, paternitas sine filiatione, & è conuerso; ergo etiam paternitas præintelligitur rationi terminandi relationi in filio; ergo in illo priori paternitas est interminata, & tamen relatiuorum esse est ad aliud se habere.

Idem sequitur si quis velit dicere, quòd filiatio est conditio necessaria non ex parte termini, sed oppositæ relationis, quod sic probatur. Si filiatio est conditio, vt virtus generatiua passiua terminet relationem paternitatis propter coexistentiam paternitatis; ergo adhuc paternitas præintelligitur virtuti generatiuæ passiuæ, saltem quantùm ad actum secundum, quod est actu terminare relationem paternitatis, sicut mobile præintelligitur mouenti 8. *Phys. Tex.* 3. quia si filiatio, vt conditio præintelligitur actuali terminationi exercitæ per virtutem generatiuam passiuam, ex quo talis filiatio non potest intelligi antequam sit paternitas; ergo adhuc paternitas in illo priori est interminata.

Dicere quis posset, quòd si in absolutis conditio præintelligitur in relatiuis, non debet præintelligi, quia illa, quæ requiruntur in absolutis sunt conditiones causæ, in relatiuis nulla causalitas, nec si comparentur relationes ad sua correlatiua, vt constat, nec si fundamenta ad oppositam relationem terminatam, quia, vt patet ex terminis, & nominis ratione, terminare non est causare.

Contra. Si in absolutis conceditur conditio præ requisita, quia iuxta hanc positionem terminus, qui assignatur, est fundamentum, & res absoluta; ergo falsa responsio.

Item si in relatiuis non admittitur præexistentia conditionis; sufficit quòd paternitas non præintelligatur filiationi, & è conuerso; ergo dictæ relationes simul erunt cōditiones annexæ fundamentis, antequam fundamenta, & termini absoluti terminent; ergo vt supra in illo priori relationes remanent interminatæ.

Item, quid rei habet relatio filiationis, vt terminetur paternitatis relatio per fundamentum dictæ filiationis, si à sustinentibus terminum absolutum, dicitur quòd simultas naturæ posita ab *Aristo.* in relatiuis debet intelligi de termino, & sola relatione terminata, non autem de relationibus ipsis, quia si in *C. ad aliquid*, posito termino, & circumscriptis omnibus alijs, adhuc remanet relatio; ergo circumscripta filiatione, & posita virtute passiua generatiua dabitur paternitas; quare nulla necessitas filiationis (etiam si dicatur non ex parte termini necessaria cōditio, sed ex parte relationis oppositæ) vt terminari possit paternitatis relatio, ergo &c.

Vltimò; ergo adhuc Porphyrius ineptam, immò falsam responsionem dedit, ex quo dixit relatiua se inuicem diffinire ex natura rei, & secundum se, non rationis nostri, etenim ibi legitur, *quoniam, & genus alicuius est genus, & species alicuius est species, vtrumque vtriusque, idcirco necesse est in vtrorumque rationibus, vtrisque vti.* Dico ineptam, & falsam, quia stante imaginatione termini, & solutione ad argumentum, iam non diffiniunt se inuicem relatiua propter naturam intrinsecam relationis, vt dicitur à Porphyrio, sed solum ex nostro modo concipiendi, conferendo, & cognoscendo simul fundamenta, & relationes, & eo magis

hoc sequitur, quia si relatio est solùm necessaria ex parte relationis oppositæ, non termini, quid rei habet hæc relatio in diffinitione, species in diffinitione generis; quia, vt supra si genus non est nisi ad fundamentum; ergo satis est illud fundamentum poni in diffinitione generis; ergo &c.

Secundum, quod terminus, non nisi referendo terminet, & non nisi terminando referatur, probatur ex pluribus in hunc, qui sequitur, modum.

Aristo. *Cap. de oppositis* non aliter probat, quòd cæcitas non est visionis cæcitas, & inde, quòd non sunt relatiua, nisi quia sic foret necessarium, quòd visio ad quam diceretur cæcitas, tamquam ad terminum, cõuertendo diceretur ad cæcitatem, quod cum non verificetur, eo quòd visio non dicitur cæcitatis visio; ergo nec cæcitas, infert Aristo. est visionis cæcitas; ergo vel terminus in referendo terminat, vel male arguit Aristo. quia posset dici; quòd stat cæcitatem terminari ad visionem, & quod visio non terminetur ad cæcitatem, quia terminus est absolutus, & terminare nõ est essentialiter referri.

Præterea. Vel conceptus terminandi est prius natura conceptu relationis in re terminando; vel è conuerso conceptus relationis prius conceptu terminandi; vel ambo simul natura. Si tertium; ergo non potest intelligi vnum sine altero; ergo falsum, quòd stet terminare sine referri. Si secundum; ergo scibile nõ potest terminare nisi referatur, quia nullum posterius stat sine priori. Si primum; ergo filius, prius terminat relationem paternitatis ad se ipsum, antequam referatur ad patrem; ergo in illo priori stat relatio paternitatis sine relatione filiationis; ergo etiam relatio filiationis sine relatione paternitatis, quia similiter pater terminabit, vt res absoluta, non relatiua, relationem filiationis, & sic in illo priori, sicut terminus in patre est

prior paternitate, sic relationis filiatio erit prior relatione paternitatis, quia non stat actus terminandi sine relatione, quæ terminatur; ergo relatio filiationis, vt cõstat, erit prior & posterior natura relatione paternitatis; ergo &c.

Præterea. Nulla species accipit nec essentiã, nec complementum suæ speciei ab aliqua ratione formali, contenta sub differẽtia; quæ immediatè, vt res opposita, diuidit commune genus, vt hominis essentia per aliquod contentum in irrationalitate, quia rationalitas, & irrationalitas se inuicem destruunt, sed relatiuum, & absolutum se inuicem destruunt, vt rationalitas, & irrationalitas, quia illa æqualiter diuidũt accidens, sicut hæc animal; ergo relationis complementum essentiale, quod est à termino, non erit absolutum, ergo &c.

Si quis diceret, non ne fundamentum relationis, quod est absolutum, potestas coercendi subditos, virtus generatiua, &c. quantitas, etiam concurrit saltem radicaliter ad formandam essentiam specificam relationis, qui fit, quod terminus nõ possit esse vltimum complementum, vt res absoluta, ex quo est res extrinseca sicut fundamentum? Respondetur, quòd fundamentum, quia est solum causa in genere causæ efficientis, & materialis, illud præstare potest, quia etiam substantia est radix, & causa accidentis absoluti, & relatiui, terminus verò, quia non habet rationem causæ, sed solum est id, ad quod essentialiter relatio ordinatur non nisi referendo terminat, & terminando refertur.

Vlterius. Sicut operatio prouenit ab actu, qui est principium, vel ratio operandi, sic modus operationis sequitur modum actus, qui est illius principium; ergo sicut terminus, dum terminat ea, quæ sunt absoluta, punctus lineam, forma actionem, &c. absolutè terminant non relatiuè,

quia terminus, & res terminata non rectè conueniunt; ergo terminus relationis relatiuè terminabit, sed relatiua terminatio non potest exerceri ab aliquo absoluto; ergo relationes se inuicem referendo terminant, & terminando referuntur.

Vlterius à commutata proportione; sicut virtus generatiua actiua ad paternitatem, sic passiua ad filiationem, quia prima fundat paternitatem, sicut secūda filiationem; ergo à commutata proportione, sicut virtus generatiua actiua ad virtutem passiuam, sic paternitas ad filiationem, sed virtus actiua est ratio, quòd pater exerceat actum generandi, vt egreditur à patre, & terminatur ad filium, & passiua virtus est ratio, quòd filius terminet talem actum generandi; ergo etiam relatio paternitatis est ratio per quā referatur pater ad filiū, & relatio filiationis, per quam filius referatur ad patrem; ergo ad inuicem referuntur, & ad inuicem se terminant; ergo &c.

Ad primum ex adductis in contrarium admittitur responsio data, & ad primam instantiam respondetur, quòd qualis forma talis effectus formalis, album intrinsecè dicitur de pagina ab albedine inhærente, locatum extrinsecè locatum à loco extrinseco; ergo relatio tertij modi erit ens reale extrinseca denominatione à realitate extrinseca oppositæ relationis.

Ad secundum respondetur; Quòd ex connexione, quam habent ad inuicem correlatiua, eo quòd simul natura, & ad conuertentiam dicuntur, necessarium est, quod relatio realis intrinseca det realitatem extrinsecam oppositæ relationi.

Ad tertium respondetur; Quòd sicut calidum, vt quatuor, non agit in materiam calidam, vt quatuor, quia agens non agit, nisi vt assimilet, sed solum agit in id, quod non est

actu

actu calidum, sed in potentia, & hoc iuxta capacitatem recipientis, à simili non est necessarium, quòd relatio habeat simul realitatem intrinsecã, à se ipsa; & etiam extrinsecam ab opposita relatione; quia non nisi ex defectu realitatis intrinsecę confertur realitas extrinseca, dico extrinsecam, quia non nisi extrinsecè est capax dictæ realitatis.

Sed contra dici potest; ergo si ex his omnibus hæc realitas extrinseca est ab opposita relatione, amplius relatiua non sunt simul natura.

Tamen respondetur; Quòd non est hæc realitas ab opposita relatione, tamquam à causa, tum quia in relatiuis non datur causa, & causatum, tum etiam quia; qua necessitate requiritur opposita realitas scientiæ, vt hæc scibilis sit & ipsa realis secundum extrinsecam denominationem, eadem necessitate requiritur, etiam realitas extrinseca scibilis, vt detur opposita realitas intrinseca scientiæ, quia æqualiter est necessaria essentia, & existentia relationis in omnibus relatis, eo quòd totum esse relatiuorum est talis conditionis, quod vnum non potest esse sine altero, quare &c.

Ad secundum principale respondetur; Quòd referri, & terminare in termino relationis non sunt duo conceptus habentes diuersas rationes, quæ continentur in re eminenti, eo quod relatio addita termino non addit conceptum obiectiuum, sicut differentia addita superiori, nec abstrahit vtcunque ratio termini in termino relatiuo à relatione addita, sed cum æquiuocè dicatur terminus de termino lineæ, motus, relationis, &c. immediatè semper de omnibus prædicatur, quare terminando referri, & referendo terminari sunt completiua rationis formalis termini relationis, vt distinguitur ab omnibus, quæ æquiuocè terminare dicuntur, punctus, &c. sicut simile æquiuocè dictum de figura, & colore, de quibus 2. *Poster.* C.10. non dicit duos conceptus

quo-

quorum vnus sit vniuersalis, alter differentia contrahens tale superius; quia vnus solùm conceptus per plures illas dictiones æquiuoco nomine significatur, & de omnibus æquiuocè prædicatur, quandò dicitur, quod vnitas coloris significat similitudinem illorum, æqualitas, & proportionalitas laterum similitudinem figurarum, & quatenus terminus esset quid superius ad omnes modos terminandi, etiam vt quid proportionale, non sequitur, quòd terminare, & referri includantur in termino relationis, eminenter, & tamquam in re altioris ordinis ad instar virtutis exsiccatiuæ, & calefactiuæ in luce solari; quia solùm illa eminenter continentur in re superiori, quæ in proprijs naturis sunt disparata.

Ad Tertium. Respondetur, quòd subduplum, quandò terminat oppositam relationem dupli ad seipsum, quia non aliter terminat, nisi quia refert seipsum ad duplum, & non refertur, nisi quia terminat, inde non continentur in termino relationis, vt fingitur in argumento, duæ relationes, vna quæ nomine termini, alia nomine relationis, quia sicut non nisi modus termini exprimitur, nomine relationis, sic modus relationis non nisi nomine termini significatur; quare ex pluribus vocibus vnus solùm habetur conceptus, qui consistit in hoc, quòd terminus terminando referatur, & referendo terminet.

Ad quartum. Respondetur, quod terminus terminat quidem terminum, sed quia terminus intrinsecè est relatiuus, sic relatiuè terminando refertur ad terminum oppositum.

Ad quintum. Respondetur quòd in præsenti solum est sermo de relatiuis secundum esse, quorum esse secundum illud totum, quod sunt, est ad aliud. Arist. autem loquitur in C. ad aliquid. de relatiuis secundum dici, quorum ratio

solum in hoc consistit, quòd res significata tali nomine sit concepta in ordine ad aliud, quare non inconuenit, quod vnum concipiatur in ordine ad aliud, non tamen aliud in ordine ad vnum, inconuenit autem, quòd esse vnius sit ad aliud nisi aliud ad vnum, quod semper est referendo terminare, & terminando referri; ergo, &c.

*Cuius subiecti sint formæ relationes secundum rationem.* *Cap. XXVI.*

PRius, quam dicamus de vnitate, & pluralitate numerali relationum, tum realium, tum secundum rationem, de quibus in conclusione quarta, necessarium est videre, quid sit illud, in quo, tamquam in proprio, & adæquato subiecto existant, idest cuius sint formæ inhærentes relationes secundum rationem, etenim hæc consideratio, sicut ex dicendis apparebit, non modo aditum præstabit ad habendam veritatem illorum, quæ in dicta quarta conclusione continentur, sed quòd magis est ad cognoscendum etiam illud, quod est proprium, & essentiale constitutiuum entis rationis in esse formali, & specifico.

Fortè quis diceret, quòd relationes secundum rationem non habent aliud subiectum, in quo sint vt formæ inhærentes præter intellectum ex infrascriptis.

Primò relationes secundum rationem non habēt aliam existentiam, nisi obiectiuam; illarum esse est solum intelligi, vt clamant vndique omnes; non sunt entia, nisi quoniam illarum propositio est vera. 5. *Meta. Tex.* 14. immò in superioribus millies hæc omnia à nobis sunt repetita; ergo nullum aliud subiectum habent, in quo sint, nisi intellectum.

Secundò, illud In, quod habet rationem existentiæ debet

bet esse communissimum omni relationi, vt relatio est, nec non comitari rationem formalissimam relationis, tum vt saluetur doctrina tradita 1. *Poster. C. de vniuersali.* tum quia si non esset communissimum in, iam non omnes relationes existerent per tale in, vt patet, sed relatio formalissimè sumpta non includit in, quod respicit rem denominatam, siue reale, vt paternitas Petrum, siue rationis, vt genereitas animal, quia, vt supra relatio formalissimè sumpta abstrahit ab omni, & quocumque in; ergo solum remanet in obiectiuum in intellectu, quod, quia conuenit omni relationi, vt relatio, quia veritas est communissima proprietas entis; ergo non nisi intellectum respiciunt, tamquam illorum subiectum proprium, & adæquatum.

Tertiò si aliquod in esset existentia relationis secundum rationem, præter in obiectiuum in intellectu, vt in genereitatis in animali; ergo abstracta genereitate à tali in obiectiuo, adhuc genereitas existeret in animali, quia circumscripto quocumque, quod non est de ratione alicuius, remanet illud; ergo genereitas non esset relatio rationis, sed realis, quia quodcumque ens, quod existit absq; aliquo esse obiectiuo in intellectu est reale; ergo &c.

In hac re in primis considerandum, quòd aliud est loqui de relatione secundum illius formalissimam rationem, aliud de speciebus relationis, primo modo sicut abstrahit ab omni, & quocumque in, nulla difficultas, quod in nullo subiecto habet existentiam nec realem, nec rationis, quia si sub tali consideratione non est ens; ergo nullam existentiam quidditatiuè in subiecto habere potest secundum se, & formaliter, sed solum vt descendit ad inferiora, dico quidditatiuè, quia sicut non inconuenit, quod vt terminat actum intellectus, aliquo pacto relatio formalissimè accepta etiam induat modum entis non minus, quam nega-

tiones, priuationes &c. de quibus dicemus C. 32. hęc enim, & similia non sunt quidem entia quidditatiuè, tamen vt terminantia actum intellectus denominatiuè accipiuntur entia ab Arist. 4. *Meta. Tex.* 2. quando dicitur *quare, & non ens, esse non ens dicimus.* sequitur etiã hoc pacto, quòd existentia dicatur denominatiuè de tali relatione, immò conuenientiùs, quàm de negatione, quia vt talis habet conceptum, positiuum, qui est ad aliud, priuatio verò est quidditatiuè, & secundum se non ens, vt dicitur 1. *Phys. Tex.* 79.

Si secundo modo, illorum existentia est in subiecto secundùm rationem, & tale subiectum, cuius sunt formæ inhærentes est aliud ab intellectu.

Tamen obseruandũ, quòd aliud est loqui de illarũ relatiunm existentia formaliter, aliud de ratione talis existentię, verũ quidem est, quod non sunt, nec existunt, nisi terminent actum intellectus, & sic nisi sint obiectiuè in intellectu, tamen istud esse obiectiuum, quod etiam millies est repetitum, non est formaliter existentia, sed sola ratio, secundùm quam existunt formaliter, vt quidditatiuè dicantur entia rationis, esse autem in subiecto, & illi inhærere, vt forma secundum rationem, est illorum formalis existentia, quod sic manifestatur, & successiuè probatur.

Manifestatur hoc pacto, sicut in relatione reali duo considerantur, existentia formalis & ratio talis existentiæ, primum est in relationis, quod habet in subiecto, quia ex communi ratione accidentis esse est inhærere, secundum est illud, ratione cuius tale in reducitur de potentia ad actum, illud scilicet, quod fundat talem relationem in subiecto, in relatione etiam secundùm rationem duo considerantur, primũ existentia formalis, & hæc est illa inhęrentia, quæ conuenit relationibus secundùm rationem, secundum ratio talis existentiæ, illud, quod fundat relationem secundum

dùm rationem in subiecto, ratione cuius talis inhærentia reducitur de potentia ad actum, tamen secundùm rationem.

Modò quia fundamentum proximum, & ratio existentiæ in realibus cõuenit ex natura rei in esse completo, etiam tales relationes sunt reales, fundamenta verò, & rationes existendi, quia non conueniunt ita proximè relationibus secundùm rationem, quòd reducantur de potentia ad actum in illarum proprio, & adæquato subiecto, nisi concurrente actu intellectus, secundùm quem obiectiuè dicuntur esse in intellectu, & illius actum terminare, tales relationes sunt secundum rationem, & sic tale esse obiectiuè illarum est sola vltima, & completa ratio, secundum quam essentia est capax recipere existentiam formaliter, & in subiecto inhærere.

Probatur id, quod expositum est primò. Illud in magis pertinet ad existentiam, quod est magis intimum relationi, quia existentia est formale respectu omnium, immò profundius, & magis intimè inest omnibus rebus; sed in quod est in re intellecta, quod scilicet habet relatio generis in animali, est magis intimum, tum quia prius conuenit genereitas animali, antequam intelligatur, quod animal sit genus, eo quod obiectum præcedit potentiam, tum quia tale in intrinsecè ponit genus in animali, de quò prædicatur; in autem obiectiuum solum ponit genus in intellectu absque alia prædicatione, quia non dicitur, intellectus est genus, sicut dicitur animal est genus; ergo in, quod est in re denominata, magis pertinet ad existentiam, quam obiectiuum in intellectu.

Secundò paternitatis existentia est in reale, quod habet paternitas in Petro; ergo generis existentia erit in secundùm rationem, quod habet in animali; aliàs genus relationis

tionis non diuideretur per differentias oppositas; & simul natura, si in realibus existentia esset secundùm ordinem ad rem denominatam, in ente rationis verò, in ordine ad esse obiectiuum in intellectu, qui nullo pacto denominatur talis, nisi in actu reflexo, & conuenit cum alijs rebus intellectis, quod tamen maximè contrariatur Arist. 1. *de partibus animalium* C. 3. ergo &c.

Tertiò. Regulare est, quod in relatiuis forma denominans semper sit intrinseca, nec denominatio permittitur ab extrinseco formaliter, quamuis realiter ex dictis C. 25. ergo esse relationis secundùm rationem, idest generis erit in animali; ergo &c.

Quartò. Illud in magis pertinet ad relationes rationis, quod maximè distinguit easdem relationes rationis ab omnibus alijs, tum quia idem est principium distinctiuum, & constitutiuum, iuxta illud Porphirij C. *de differentia, non quodlibet diuidentium esse differentiam, sed quod ad esse conducit, & quod quid erat esse, & quod rei pars est*, tum quia idem Porphirius non aliter docuit diffinitionem generis esse sufficientem, & adæquatam, nisi quia per ipsam genus distinguitur ab omnibus, quæ vtcũque prædicantur, tum quia Aristot. 2. *Poster.* C. 10. exemplo trinitatis diffiniendæ voluit tot prædicata quærenda esse, quot solitariè accepta sint magis vniuersalia, quam res diffinienda, omnia autem simul accepta, nulli alteri conueniant, sed in obiectiuum non distinguit relationes rationis ab omnibus, immò tale in obiectiuum conuenit alijs à relatione rationis, realibus inquam, & negationibus, quia & ipsa intelliguntur, & terminant actum intellectus; ergo in, quod est formalis existentia relationis rationis, non erit in obiectiuum, sed in, quod habet genereitas in animali.

Immò si occurrat, quod ipsum in obiectiuum alicuius

rei

rei intellectæ, succedente nouo actu reflexo intelligatur; in tali casu illud in obiectiuum, quamuis sit etiam obiectiuè in intellectu; etenim per succedētem actum intellectus, sicut terminat eundem nouum actum, non minus quam alia, quæ intelliguntur, necessariò etiam est obiectiuè in intellectu, sicut omnia, & quæcunque intellecta terminantia suos actus intellectus. Veruntamen, quia illud esse obiectiuum in primo actu erat v. g. esse obiectiuum rosæ intellectæ, eo quod ipsa rosa tunc terminabat primum actum intellectus, quod nil aliud est formaliter, quàm quòd referebatur relatione rationis ad intellectum, semper sequitur, quod tale esse obiectiuum, & relatiuum rosæ ad intellectum, sic cognitū de rosa, sit entitas rationis formaliter existēs intrinsecè in rosa intellecta, semper tamen secundùm rationē; ergo entis rationis intrinseca, & formalis existentia est in re intellecta .s. in relatione rationis vltra esse obiectiuum, quod habet dicta relatio in intellectu.

Quintò. Significare quale quid est significare vnam rem in multis, & de multis abstractam à singularibus per actum intellectus ex Aristo. *c. de substantia*, sed proprium est secundæ substantiæ significare quale quid; ergo vniuersalitas circa substantiam est proprietas secundæ substantiæ, sed quælibet proprietas est formaliter, & intrinsecè in subiecto, cuius est proprietas; ergo relatio vniuersalitatis, quæ est secundùm rationem, vltra esse obiectiuum in intellectu, adhuc est in secunda substantia; ergo &c. minor clara; quia significare quale quid conuenit omni secundæ substantiæ, ex Aristo. *ibidem*; conuenit etiam soli, quia secundæ substantiæ significant essentias substantiarum communiter, accidentia autem naturam extraneam à substantia; conuenit semper, quia constat, quòd hoc non est aliquando sic, aliquando non; ergo &c.

Sextò

Sextò omnia, quæ prædicantur, vel sunt prædicata essentialia intrinseca, vel propria, vel accidentalia; si primò, implicat, quod essentialiter prædicentur,& non intrinsecè; idem si secundò, quia proprietas non destituitur à subiecto 3. *Phys. T.* 36. idem si tertio, quia *ex Porphrio* accidens quintum prædicabile, semper est in subiecto subsistens; ergo vtcunque prædicentur, entia rationis sunt formaliter, & intrinsecè in rebus, de quibus dicuntur, vt formæ in subiecto, semper secundùm rationem.

Si quis diceret, quòd sicut in realibus datur prædicatio secundum denominationem extrinsecam in vltimis prædicamentis, quandò dicitur res, à loco locata, ab habitu vestita &c. & non tollitur, quòd sint prædicata vel propria, vel accidentalia, similiter non inconuenit, quòd entia rationis prædicentur secundum denominationem extrinsecam, quatenus res cognita denominatur ab actu intellectus secundum aliquam proprietatem, vel conditionem conuenientem, ex eo quòd stat sub actu intellectus.

Contra & Primò, quamuis locatum, & indutum esse sit denominatio extrinseca à loco, & indumēto, nōn inhærēte formaliter intrinsecè in re denominata, tamē, quia locabile, & induibile dicit aptitudinē in corpore locato, & induto, vt constat ex rationibus terminorū; ergo saltem relationes rationis, quæ significant solam aptitudinem ad recipiendam hanc imaginatam denominationem extrinsecam ab ente rationis, erunt formæ intrinsecè inhærentes in rē denominata, sed vniuersale, formaliter, & essentialiter dicit solam aptitudinem ad prædicandum de pluribus, iuxta diffinitionem Aristo. 1. *Periher. C.* 5. ergo quidquid sit de actuali prædicatione rei vniuersalis, saltem relatio vniuersalitatis, quę est ens rationis, est forma intrinsecè existens in rebus, quæ habent hanc aptitudinem, ergo &c.

Secundò. Ad denominationem extrinsecam saltem consequuntur relationes in re denominata, tum quia si nulla proportio inter rem denominantem, & denominatam, quodlibet denominaretur à quolibet, tum quia dicitur quando est quòd ex adiacētia temporis relinquitur vbi, circumscriptio corporis ex circumscriptione loci procedens; ergo saltem respectus requisiti pro habendis denominationibus extrinsecis ab ente rationis sunt intrinsecè in re denominata, quod si isti respectus secundum rationem requisiti in extrinseca denominatione sunt intrinsecè in rebus denominatis, quatenus res denominatæ stant sub actu intellectus, qui fit, quod non omnes relationes rationis habent existentiam in rebus vltra esse obiectiuum in intellectu?

Tertiò Habitus, & priuatio fiunt circa idem subiectum. Aristo. *C. de oppositis.* sed priuationes harum relationum secundum rationem nullo accedente actu intellectus sunt in rebus, & intrinsecè denominant subiecta, quia natura secundùm se accepta non est nec vniuersalis, nec particularis, & tamē est capax ad vtrumque; ergo posita in intellectu fit vniuersalis intrinsecè, & formaliter, sicut secundùm se eadem natura erat priuata vniuersalitate, seu relatione vniuersalitatis; ergo &c.

Quartò. Omnia superiora intrinsecè, & formaliter prædicantur de suis inferioribus, sed relatio vniuersalitatis est superior ad quinque prædicabilia .s. ad generis relationem, secundùm rationem, speciei, &c. ergo vniuersalitas, dicta de illis est forma intrinseca, & sic habet existentiam in ijsdem inferioribus intrinsecè, & formaliter, aliam ab esse obiectiuo illorum quòd si relatio rationis dictæ vniuersalitatis est talis, qui fit etiam, quòd aliæ relationes secundùm rationem non dicuntur habere existentiam in rebus denominatis,

minatis, aliam ab esse obiectiuo illarum? ergo &c.

Ad oppositas difficultates ex dictis facillimæ sunt responsiones. Ad primam dicitur, quòd rationes, & auctoritates omnes debent intelligi in hoc sensu, quòd esse obiectiuum sit ratio existentiæ, formalis verò existentia sit in, quod habẽt in subiecto, & in quo sunt inhærentes, vt formæ semper secundùm rationem.

Ad secundam; iam dictum est quòd si relatio formalissimè sumpta abstrahit ab existentia, & sic non est ens, nec reale, nec rationis quidditatiuè, tamen quatenus terminat actum intellectus, est ens denominatiuè, quia ratione conceptus positiui, secundùm quem dicitur ad aliud, etiam ad modum entis relatiui concipitur.

Ad tertiam dicitur, quod cum sit esse obiectiuum ratio existentiæ in relationibus secundùm rationem, salua relatione rationis, non est abstrahibilis relatio secundùm rationẽ, & illius existentia ab esse obiectiuo, & terminatiuo, quod habet in intellectu, quare &c.

*Quòd in eodem subiecto non sint plures relationes reales solo numero distinctæ. Cap. XXVII.*

ACcipiendum in primis, quod sola distinctio numeralis sub eadem specie, non aliunde prouenire possit, quàm à materia. quod sic probatur. Primò, vniuersaliter in omnibus, deinde singulariter in relationibus. Vniuersaliter hoc pacto. Ratio formalis, & adæquata, secundum quam viuentia generant sibi simile, & habent multitudinẽ numeralem sub eadem specie tota est ex eo, quòd eadem numero perpetuò manere non possunt *2. de an tex. 35*. Ergo illa, quæ perpetuo manent non generant sibi simile, nec habent multitudinem numeralem sub spe-

specie,iuxta illam maximam 1.*Poster.C.*13. Si affirmatio causa affirmationis &c. sed negatio perpetuitatis est à sola materia, tũ quia 1. *Perihermen.C.*8 dicitur,quòd materia est radix, quod vtrumque contingat esse, & non esse; tum quia 2. *de generat. Tex.*52. vbi distribuuntur omnia in necessaria, quæ semper sunt, in impossibilia, quæ nunquam sunt,& in illa quæ possunt esse, & non esse,dicitur quod hęc vltima sic sunt disposita propter materiam; ergo multitudo numeralis sub eadem specie prouenit à sola materia.

Secundò Omnis actio, & motio vltima est iuxta materiam 1. *de generat. animalium. C.* 20. sed actio, & motio non exercetur,nisi in singularibus 1. *Meta. C.* 1. ergo sola distinctio numeralis à materia.

Tertiò. *Eodem C.*1. *de generatione animalium.* Anima, in qua forma, & sciẽtia mouet manus,aut aliud membrum motu certo qualitatis, diuerso, à quibus efficitur diuersum, manus autem,& instrumenta materiam mouent; ergo omnis diuersitas numeralis à materia.

Idem in Relationibus. Nullum constitutiuum,nec completiuum speciei causat formaliter, vt tale, distinctionem numeralem sub eadem specie, quia cum abstrahat species ab indiuiduis, quæ sub illa continentur, differentia constituens indiuiduum non potest esse de conceptu quidditatiuo speciei; quia aliter idem esset, & non esset; esset, quia sic supponeretur, quòd tale specificum cõstitueret indiuiduum; non esset,eo quod abstraheret ab indiuiduo,sed differentia est formale specificatiuum relationis, intrinsecum, fundamentum radicale, & terminus, completiuum, ex dictis C.23. ergo sola distinctio numeralis in relationibus est à materia, & subiecto.

Huic propositioni acceptæ,& simul cõprobatæ si addatur hæc minor. Eadem materia, & subiectum non possunt

causare distinctionem numeralem sub eadem specie, habebimus quòd diuersæ formæ, & relationes solo numero distinctæ non possunt dari in eodem subiecto.

Minor. probatur. Vel hæc eadem materia,& subiectum causabit talem distinctionem numeralem secundum eamdem numero potentiam, vel secundum diuersas numero potentias, non primũ,quia si corrumperetur aliqua formaquæ prius fuisset in tali subiecto, adhuc remaneret eadem potentia illius formæ corruptæ, alias vel non esset simul in potentia ad plures actus numero distinctos, quod nos contendimus, vel si in potentia ad plures; ergo non secundum vnam numerò potentiam illos plures actus reciperet, sed plures contra primum dilemma,quod si remaneret eadem potentia; ergo idem numero reparari posset, tum quia quantum contingit potentia esse, & actu tantum contingit esse 3. *Phys. Tex.* 69. Tum quia vbi idem agens, eadem materia,cum eadem potentia numero idem etiam numero potest redire, & tamen omnes vndique clamant *cum Aristo. C. de oppositis*, quod à priuatione ad habitum non datur regressus, immò idem *Aristo.* 1. *de anima Tex.* 41. 2. *de generatione Tex.* 70. manifestè dicit, quod idem numero reparari non potest.

Non secundum etiam tum, quia non stat simultas potentiæ, cum potentia simultatis, vt est tritissimum in Philosophia, tum quia stante hac multiplici potentia,agens post introductum accidens,quod respicit alteram ex illis potentiam non cessaret in agendo, sed semper omnes potentias, vel simul,vel successiuè ad actum reduceret, quia præsente calefaciente, & aproximante, necesse est calefieri 1. *de generat. Tex.* 54. & tamen *ibidem Tex.* 55. præsentibus habitibus non amplius generatur aliquid.

Nec valet dicere, quod cum sit multiplex potentia non

cessat

cessat actio, nisi in ordine ad potentiam, quæ est reducta ad actum, quia sic potest argui.

Sensibiliter apparet, quod si sit calefacta manus, secundum gradus, vt duo, qui solum continebantur in virtute agentis, non crescit caliditas manus, & tamen deberet alia potentia ad actum reduci in eadem manu, quia si idem agens, vt duo potest diuersos gradus, vt duo in diuersa materia simul & semel ad actum reducere qui fit quod non in eadem materia, etiam stante diuersitate potentię illud facere non potest, si eadem materia est capax recipere duo distincta numero, eo quod patiens, solùm patitur, quia in potentia 1. *de generatione Tex.* 77. & semper vt supra præsente calefaciente, & approximante, necesse est calefieri. Vlterius, qui fit etiam, quod eadem manus calefacta, vt duo, stante alia potentia, quæ dicitur remanere non sentit caliditatem vt duo, saltem propter potentiam remanentem? quia si istæ potentiæ sunt diuersarum rationum, iam actus recepti in tali materia non sunt amplius solo numero distincti, quia non distinguuntur potentiæ, nisi per actus 2. *de anima T.* 33. & si eiusdem rationis; ergo si nulla existente caliditate, tactus percipit calliditatem, vt duo, adhuc per præsentiam alterius potentiæ percipiet alteram caliditatem, vt duo, quia idem manens idem, semper facit idem 2. *de generatione Tex.* 56. & tamen Aristo, 2. *de anima Tex.* 118. non admittit, quòd tactus sentiat nisi excellentias.

Si quis diceret, quòd istud euenit, quia actus primus receptus impedit actuationem alterius potẽtiæ, ne ad alium actum reducatur tunc sequitur illud, quod prius dictum est, quod non stat simultas potentiæ cum potentia simultatis, sequitur etiam illud, quod principaliter intenditur, quòd duo solo numero distincta non sunt in eodem.

Secun-

Secundò Principaliter. Indiuiduum interalia dicit essentialiter distinctionē ab alio indiuiduo; ergo negationem etiam formaliter alterius indiuidui; ergo si duo distincta numero, in eodem, illud, quod reciperet illa duo, esset hoc album, & non esset hoc album. Consequentia clara; quia Aristo. 4. *Meta. Tex.*27. probat, quod contraria non sunt in eodem, quia idem esset, & non esset, eo quod vnum dicit negationem alterius.

Si dicatur, quòd solum sequitur contradictio, quando vnum destruit aliud, vt in contrarijs, indiuidua autem non se inuicem destruunt, aliàs si semper ad negationem alterius sequeretur destructio, vt supponitur in argumento nunquam duo realiter distincta forent in eodem, quia ex quacumque reali distinctione semper sequitur alterius negatio.

Contra, quæ sunt eiusdem rationis si approximētur, fiunt vnum, quemadmodum aqua, quando tetigerit aquam, fit vnum, vt dicitur 1. *de generatione T.*71. ergo si in eodem subiecto, & sunt eiusdem rationis, amplius non sunt numero distincta, sed vnum.

Tertiò principaliter de relationibus, imperans, & parens à natura sunt propter conseruationem, quia quod potest mēte prospicere, natura imperat, & dominatur, quod potest hoc corpore facere, paret natura, & seruit 1. *Politicorum C.*1. ergo si totidem relationes reales dominij, quot seruitutis, quia natura semper facit, quod melius est ex ijs, quæ fieri contingunt, ex Aristo. *de animalium incessu C.*10. & melius est in vniuerso, quod sit vnus princeps, quando inter alios vnum aliquem ita virtute præcellere contingat, vt vnius ipsius virtus, maior sit aliorum omnium virtute 3. *Politicorum C.*12. immò si homo est omnium in vniuerso dominus, tamquam omnium finis 2. *Phys. Tex.*24. semper

per sequitur; quòd sint innumerabiles relationes dominij, saltem in tali principe, & rege, & innumerabiles etiam succedant, & deperdantur relationes iuxta innumerabilem generationem, & corruptionem omnium rerum in dies occurrentem, quod quia est vanum asserere, vt de se constat, & omnia optimè saluātur, si vnica relatione dominij, idem homo ad omnes inadæquatas relationes seruitutis referatur, iuxta illud 1. *Phys. T.* 50. frustra fit per plura, &c. concludendum est, quod plura accidentia, & relationes reales, solo numero distinctæ non sunt in eodem subiecto, &c.

Si quis sibi fingeret auferre difficultatem asserendo, quòd talis princeps, & rex est, sicut perfectus orator excogitatus à Cicerone, in abstractione conceptus, nunquam tamen existenter adinuentus.

Quid responderet ad relationes dominij innumerabiles, quæ de facto modò essent in Rege Hispaniarum, cui tot regna obediunt? Et si mihi liceret in hoc opere addere id, quod est certissimum ex Sacra Theologia, quid responderet ad relationes innumerabiles Romani Pontificis, tenentis Principatum in vniuersum orbem verè, & realiter, & non in abstractione, vt dicitur de perfecto oratore à Cicerone descripto?

Sed, quod adhuc maximum est, quid responderet ad relationes agentis ad passum, mouentis ad mobile, quas haberet intelligētia Solis ex hac imaginata multitudine relationum, quia cum moueat intelligentia hæc omnia inferiora, mediante Cælo, vt dicitur. 8. *Phys. Tex.* 53. 2. *de generat. Tex.* 56. 2. *Cæli Tex.* 2. 12. *Metaph. Tex.* 38. necessariò debet relatione reali referri ad omnia indiuidua inferiora, quia semper in agentibus, & mouentibus est relatio realis, quando ex tali actione sequitur aliquod bonū, & perfectio in agente, & mouente, sicut de intelligentia mouente est

asse-

afferendum, etenim certiſſimum eſt; quod eadem intelligentia in mouendo hęc omnia inferiora ſemper perficitur, tum quia vnumquodque perfectum, quando poteſt facere alterum, 2. *de Anima Tex*.34. Tum quia in mouendo facit actu illa, quæ virtualiter ſunt in Deo, & ſic aſſimilatur Deo, in eo quod eſt aliorum cauſa, quod eſt ſemper, vt conſtat maxima perfectio.

Diceret ne fortè pro euitanda hac multitudine tam magna, & imaginabili relationum, in dicta intelligentia, quod ſunt totidem relationes in intelligentia numerò, quot ſunt ſpecies rerum, & non amplius. ſi ſic iam ad talem reſponſionem ſequitur, quod principaliter intendimus, quod vnica relatione numero ad omnia indiuidua vnius ſpeciei referatur, quamuis oppoſitæ relationes ſint innumerabiles; ergo &c.

### *Quòd vna numero relatio rationis ſecundum ſe, & formaliter referatur ad plures oppoſitas relationes num. diſtinctas. Cap. XXVIII.*

DIfficilior redditur vltima pars concluſionis quartæ, tum quia omnes negantes multitudinem numeralem in relatione reali, tamen concedunt in eadem re plures paternitates ſecundum rationem, tũ quia ſtante diſtinctione ſecundùm rationem ratiocinantem, & ratiocinatam in relationibus ſecundùm rationem ex dictis C. 24. videtur quod ſit concedenda diſtinctio numeralis relationis, ſecundùm rationem cum illarum identitate ſpecifica.

Nihilominus his non obſtantibus, quia à propoſitis non eſt recedendum, ſciendum, vt veritas optimè cognoſcatur, quod dupliciter loqui poſſumus de diſtinctione numerali ſecun-

secundùm rationem, vno modo, quod conueniat secundùm se, & secundùm propriam naturam relationi numerali, & secundùm rationem, vt existens in proprio subiecto secundùm rationem, & respiciens plures terminos, qui sint, & numero, & secundùm rationem distincti, secundo modo, quod ex accidenti possit occurrere eidemmet relationi, quamuis detur in subiecto, quod sit vnum numero.

Si primo modo, dico, quod secundum se non habet per quid debeat distingui numero talis relatio, quia esto, quòd sit vna numero propter identitatem numeralem subiecti, semper est capax relatiuè respicere, & terminare plures relationes oppositas, & numero distinctas, si secundo modo, & ex accidenti. Dico, nullum esse inconueniens, quòd in eodem subiecto sint plures relationes secundùm rationem, numero distinctæ.

Primũ multipliciter probatur, & primò supposita identitate subiecti, relatio formaliter, & secundùm se nullum habet principium distinctiuum, quia, vt alias, fundamentum, & terminus pertinent ad essentiam specificam relationis, & sic abstrahunt à quacunque distinctione numerali; ergo secundum se, & formaliter stante identitate subiecti, relatio remanet indistincta, & vna numero.

Confirmatur; proportionales sunt relationes reales, & rationis si comparentur ad principia, & differentias constituentes, quia relatio formalissimè sumpta diuiditur in realem, & rationis, si non per differentias propriè, saltem per modos æqualiter, & eodem modo distinguentes suum superius; ergo si vnica relatio realis, propter identitatem subiecti secundum se, & formaliter est capax terminare plures relationes oppositas, & solo etiam numerò distinctas; Idem etiam secundùm se, & formaliter relationi secundùm rationem propter idẽtitatem subiecti conuenire debet; er-

go, etiam si quis formaret vocem habentem relationem secundum rationem signi ad vnicam rẽ tali voce signatam, quamuis succederent plures voces significantes eamdem numero rem significatam, semper illa, & eadem res numero; significata illis pluribus vocis, eadem etiam semper ratione secundum rationem terminabit omnes oppositas relationes signi, existentes in pluribus vocibus, & ad easdem relationem habebit.

Secundò. Specialissima species vnicam habet relationem ad omnia indiuidua, homo ad omnes particulares homines, tum quia illud solum prædicatur de pluribus, cuius relatio prædicationis ad plura refertur, & homo non nisi, vt vnum de pluribus prædicatur, tum quia species relata ad indiuidua, non habet rationem partium ad partes, sed totius ad partes *Porphyr. C. de specie*. Idem verificatur de relatione generis ad species ex iisdem rationibus, vt est videre *in dicto Capite de specie*, ergo propter identitatem subiecti, vnica relatio numero secundum se, & formaliter potest ad plura referri, & illa terminare.

Tertiò. Æqualiter potest intellectus simplicissimum componere, sicut compositissimum indiuisibiliter intelligere 3. *de Anima Tex.* 23. ergo datis, seu imaginatis pluribus relationibus secundum rationem in eodem subiecto intellectus potest illas sub vnica ratione, etiam numerali intelligere, saltem indirectè; ergo talis relatio sic cognita, vt terminus diuersarum relationum erit vna numero; quia ratio formalis existentiæ relationis, secundum rationem est esse obiectiuum, quod habet in intellectu; ergo &c.

Probatur secundum hoc pacto. Quidquid conuenit prę ter id, quod est de ratione formali, illud semper accidentaliter conuenit 2. *Poster. C.* 7. sed quod plures relationes secundum rationem solo numero distinctæ sint in eodem nu-

mero

mero subiecto, illud est solum ex actu intellectus plura concipientis, non ex natura relationis, vt relatio secundum rationem, quia, vt supra, vnica relatio potest terminari ad plures numero distinctas, & ad easdem simul referri; ergo nulla necessitas, quod sint plures numero; ergo semper illud per accidens.

Hoc autem sic intelligo. Quamuis multa conueniant in vnum, siue realia, siuè rationis, tamen quia intellectus operatio vitalis est actio immanens, & nihil ponens in re intellecta, nisi relationem rationis, sicut potest simul intelligere, quæ in vnum conueniunt, potest etiam virtute abstractiua vnum intelligere sine altero, vbicunque tamen illud, quod est solitariè intelligendum non sit de conceptu alterius, nec è conuerso, hinc sequitur, quòd respectus, qui terminatur ad plures oppositas relationes, siuè reales, siuè rationis, loquor de respectu reali ad plures filios, & de respectu secundum rationem vnius rei significatæ, ad plures voces significantes, quia non sunt de intrinseca ratione inter se, eo quod alius, & alius filius succedit eidem patri, alia, & alia vox eidem rei significatæ, absque necessaria coexistentia illorum, quę succedunt, sequitur dico, quòd intellectus virtute abstractiua, & præcisiua iam dicta, possit intelligere relationem patris, vt respicit vnum filium, nihil cogitando de eadem met numero relatione, vt respicit alium filium; Item relationem rationis rei signatæ, vt respicit vnam vocem, nihil cogitando de eadem relatione, vt respicit vocem alterius, potest etiam idem intellectus intelligere eamdem numero relationem patris, vt simul respicit omnes filios adæquatè ipsam terminantes, similiter eamdem relationem rei signatæ, vt respicit omnes voces pariter adæquatè terminantes eamdem relationem rei signatæ.

Quod si sic, quia ad varios conceptus obiectiuos intelle-

ctus sequuntur variæ relationes secundùm rationem. Si intelligatur paternitas, vt respicit omnes filios, simul omnes adæquatè terminantes relationem paternitatis, quia sub tali conceptu intelligitur relatio, iuxta naturam relationis realis ipsius patris, existentis in vnico subiecto, sic in tali subiecto datur vna relatio paternitatis, ad quã propter illius esse cognitum in intellectu, sequitur etiam vna relatio numero secundùm rationem, quod si eadem paternitas intelligatur solitariè, vt respicit hunc, & illum filium, nihil de cæteris cogitando, sic totidem relationes paternitatis secundùm rationem, quot relationes filiorum in vnico, & eodem subiecto patris.

Idem in relatione secundum rationem rei signatæ, quia si intelligatur talis relatio, vt respicit omnes relationes signi in pluribus vocibus existentes, sic datur vna relatio secundùm rationem rei signatæ, quod si eadem relatio rei signatæ intelligatur, vt respicit hanc, & illam vocem solitariè, nihil de cæteris cogitando, sic totidem relationes secundùm rationem rei signatæ, quot voces significantes.

Ecce itaque primò, quòd vna potest esse relatio secundùm rationem, & plures etiam in eodem subiecto, quæ terminentur semper ad plures oppositas relationes pariter secundum rationem, sicut in patre, vbi est vna numero relatio realis ad plures filios, & adhuc datur vna, & plures relationes secundùm rationem, quæ sequuntur ad esse cognitum eiusdem patris, iuxta varium modum concipiendi factum ab intellectu eiusdem relationis.

Ecce secũdò, quòd relatio rationis, quia potest, & ipsa cõcipi, vt simul respicit omnes relationes oppositas, & etiã solitariè, idest, vt solũ respicit vnam simplicem relationem oppositam, nihil cogitando de altera, ecce dico, quòd relatio rationis in eodem subiecto formaliter, & secundùm

se est vna numero per accidens plures, in ordine ad oppositas relationes, & hoc quia vnitas relationis ad plures, illi conuenit, vt est disparata species ad relationem realem, & eidem proportionalis, facta tamen illarum comparatione ad principia, & differentias constituentes dictas relationes, tum reales, tum rationis; pluralitas autem, quam habet ad plures, quia non conuenit nisi ex actu intellectus distinguentis, quod in se formaliter est vnum; ergo &c.

Sed aliquis posset instare, primò; si variæ relationes numero ex multiplici actu intellectus; ergo propter diuersam rationem existentiæ, ex diuerso inquam esse obiectiuo eiusdem rei in intellectu, occurrit talis distinctio numeralis, quod tamen non videtur sufficiens, quia ex hoc sequeretur etiam, quòd ex diuersa ratione existentiæ, quæ oritur ex diuersa actione agentis succederet diuersa relatio paternitatis realis in eodem subiecto contra id, quod dictum fuit in capite præcedenti.

Vlterius, si paternitas imaginata nō est vera paternitas, nec genereitas imaginata vera genereitas, quia vt dictum *Cap.* 2 1. res intellecta aliter, quam sit, non est verè talis; ergo si formaliter, & secundum se, vnica relatio rationis terminat diuersas relationes oppositas, iam relationes plures imaginatæ secundùm rationem non erunt verè plures, nec vt verè plures relationes terminabunt plures oppositas relationes, etiam si per accidens hoc fieri contingat, quia distinctio addita rei supponit rem inesse, & tamen iuxta hanc rationem talis relatio imaginata non est vera relatio.

Vlterius. Intellectus non intelligit multa, nisi vt conueniunt in vnum, quia 4. *Metaph. Tex.* 10. qui vnum non intelligit, nihil intelligit, sed relationes rationis non sunt, nisi intelligantur; ergo non dantur plures relationes rationis,

quæ

quæ ad vnam numero relationem terminentur, nec potest dici, quòd illæ plures relationes sunt quidem plures numero, tamen quatenus intelliguntur conueniunt in vnum secundùm speciem, quia si non sunt, nisi quatenus intelliguntur, & non intelliguntur, nisi, vt conueniunt in vnitate specifica; ergo non sunt plures numero secundùm rationem in vno subiecto, contra id, quod principaliter intenditur.

Vltimò esse obiectiuum in intellectu est ratio existentiæ relationis secundùm rationem ex habitis C. 26. ergo si relatio rei signatæ alio, & alio actu intellectus concipitur, vt modò relata ad vnam oppositam relationem, modò ad omnes simul, iam non est eadem numero relatio, tum propter alietatem numeralem conceptus obiectiui, tum maximè, quia prima debet euanescere, secundùm quòd succedit nouus actus intellectus, quare nihil sequitur ex supradictis.

Ad primum respondetur, quòd relationes rationis non sequuntur res, vt res sunt, sed quatenus sunt obiectiuè in intellectu, vnde, quia dictum est, quòd actio intellectus, cum sit immanens, virtute abstractiua format de eadem re varios conceptus formales, sequitur etiam, quòd variæ relationes rationis, sequantur ad varios conceptus obiectiuos, terminantes eosdem conceptus formales, relationes autem reales, quia sequuntur res, vt res, ex actione reali agentis, quæ est realiter transiens non nisi multiplicata potentia passiua reali subiectorum, & ipsæ multiplicari possunt, hoc autem quia fieri non potest, eò quòd primum accidens, quod aduenit potentiæ, est actus adæquatus, si tamen accipiatur talis potentia, vt iam actuata à tali accidente, iam multitudo numeralis non potest dari in tali subiecto.

Ad secundum. Respondetur, quòd cum possit concipi eadem relatio rationis rei significatæ, vt inadæquata ad oppositas relationes secundùm rationem vocis significantis,

tis, quando scilicet ad vnam confertur, nulla habita consideratione alterius, & etiam vt adæquata, si ad omnes simul referatur, nunquam sequitur, siuè hoc, siuè illo modo concipiatur, quod diminuatur ratio intrinseca relationis, sed semper vtcumq; concipiatur, quòd remaneat vera relatio secundùm rationem, quia nulla differentia indiuidualis diminuit speciem, sicut nec inferius suum superius. Porphir. *C. de specie* Aristo. 2. *periher*. *C*. 3. & eo præcipuè, quia hæc differentia indiuidualis oritur, vt dictum est ex varijs conceptibus, ab intellectu formatis, qui nec specificam, nec indiuidualem relationem in aliquo diminuunt.

Ad Tertium. Dicitur, quòd si vera consequentia, illata in argumento, relationes oppositæ generis, & speciei non essent plures, quia & ipsæ non sunt, nisi intelligantur, & non intelliguntur, nisi simul, & vnico actu iuxta naturam relationis. Verùm, vt integrè satisfiat argumento, respondetur, quòd aliud est tales relationes terminatas ad plures, vel vnam, esse plures, aliud conuenire in communem rationem, quæ est terminare, & referri ad oppositam, vel oppositas relationes, simul intelliguntur, secundum quòd communiter terminant, & referuntur, tamen secundum se sunt plures; Idem de genere, & specie, etenim secundùm se sunt relationes distinctæ, & oppositæ quidem, tamen in intellectu illas concipiente conueniunt ad constituẽdam vnicam speciem, & rationẽ oppositionis relatiuæ, iuxta illud *idem iudicium partium in toto, quod diuersorum in diuersitate.*

Ad vltimum respondetur, quòd in relatione secundùm rationem duo considerantur, essentia sola relationis, & illius existentia, essentia semper est eadem, etiam si à pluribus, alio, & alio tẽpore intelligatur, aliàs, si semel intellecta cessante illius intellectione fieret in intelligibilis cõtra veritatem, & omnium sententiam, existentia, quæ sequitur

ad

ad actum intellectus variatur iuxta varietatem illius actus, tamen alietas existentiæ non tollit identitatem rei, quia in realibus materia semper est eadem 1. *Phys. Tex.* 60. & 82. quamuis aliam, & aliam existentiam habeat ab alietate formæ, quam recipit, partes etiam sunt semper eædem realiter, quamuis separatæ existant propria existentia, in toto autem existentia totius.

Ad primam, & secundam difficultatem, in principio positam, simul respondetur, quòd concedunt Philosophi plures relationes secundùm rationem, numero distinctas propter plures conceptus obiectiuos, tamen per accidēs, dictæ relationes sunt plures, ex causa superius habita, quare &c.

## *Quod intellectus non sit causa effectiua relationis secundùm rationem.* Cap. XXIX.

CVm itaque constet, quod relationes rationis non habeant aliàm rationem existendi, quam obiectiuam in intellectu, sequitùr probanda quinta, & vltima conclusio proposita C. 22. quòd intellectus non est causa effectiua relationis secundùm rationem, verum, vt commodiùs hoc assequi possit, in primis ponemus difficultates, quæ contra hanc veritatem facere videntur, successiuè autem sustinebimus id, quod principaliter intenditur.

Prima difficultas est hæc, nihil nouum, quod non habeat sui ipsius causam Aristo. 8. *Eudemica ethica*, sed nihil potest efficere seipsum, quia nihil agit nisi sit in actu 1. *de generat. T.* 77. ergo relationes rationis, quæ sunt de nouo, quia non sunt, nisi intelligantur, & non semper actu intelliguntur, si haberent aliam causam actiuam, præter intellectum, non essent entia rationis, sed realia; ergo intellectus est illorum causa actiua.

Secun-

Secundò. Intellectus agentis actio est realis, 3. *de anima Tex.* 11. sed hæc terminatur ad vniuersalitatem obiectorum, quia non aliter fiunt actu intelligibilia. *ibi Tex.* 11. & adhuc talis vniuersalitas est ens rationis, aliàs vniuersalia separata; ergo relationes rationis effectiuè ab intellectu possibili, quia quod est obiectiuè vniuersale per actum intellectus agentis est tale formaliter per actum possibilis; ergo &c.

Tertiò. Intelligi est ratio existentiæ relationis secundùm rationem. Intelligi est intellectum esse intellecta, sed intellectus est intellecta per actum intellectus tamquam per causam actiuã, quia intelligere est actiuè vitaliter operari; ergo esse relationis est effectiuè ab intellectu.

Quartò. Sicut diuidens totum realiter in plures partes, causat effectiuè realem distinctionem partium, sic diuidens totum secundùm rationem, causat effectiuè distinctionem partium secundùm rationem, quia non est intelligibilis diuisio in plura sine distinctione partium, iuxta naturam semper diuisionis, vel realis, vel rationis, sed intellectus diuidit vnum in multa secundùm rationem. *Porphyr. Cap. de specie*; ergo distinctio secundùm rationem effectiuè prouenit ab intellectu; ergo &c.

Quintò. Ad intellectionem sequitur relatio realis intellectus ad rem intellectam, ad eamdem rem intellectam sequitur relatio rationis ad intellectum, & hæ sunt relationes tertij modi 5. *Metaph. C. ad aliquid*; ergo sicut intellectus est causa effectiua relationis realis ad rem intellectam, erit etiam effectiua causa oppositæ relationis secundùm rationem ad intellectum, quia per vnam generationem habetur primò res, & secundò saltem, id quod necessariò sequitur ad illud, terra scilicet, & illius grauitas; ergo &c.

Vt planè veritas cognoſcatur ab obiectis realibus cognitis, & in eſſe intelligibili poſitis ſecũdum actum perfectum, aſcendere nos opportet ad relationes ſecundùm rationem, etenim abſtracta per intellectum reali exiſtentia à rebus, ſecundùm quam realiter exiſtunt, ſicut certiſſimũ eſt, quòd talia realia conueniunt ſaltem analogicè cum relationibus ſecundùm rationem, facta comparatione ad illarum exiſtentiam, ſecundùm rationem communem, quam habent in re denominata, vt ſtant ſub actu intellectus, & terminant intellectum, ita etiam ex cognita proportione intellectus circa obiectum intelligibile reale, licet arguere ſimilem eiuſdem intellectus proportionem circa relationes ſecundùm rationem.

Sciẽdum itaque tripliciter poſſe intelligi, quòd aliquid fiat de nouo, vno modo, quòd vnum fiat aliud, ita tamen, quòd illud, quod fit aliud, idem maneat, quo ad ſuum primum eſſe, quod habebat antequam fieret aliud, & ex tali noua mutatione, illud idem, quod fit aliud perficiatur ſicut ſi fingeretur; quòd aqua manente eadem, qua prius fieret ignis, & ex tali mutatione perfectior redderetur quantum adhoc, quòd prius erat ſolum aqua, facta autem mutatione, adhuc eſt aqua, & etiam aliud .ſ. ignis. Secundò, quod fiat vnum ex pluribus, ſiuè per ſe ex materia, & forma compoſitum, ſiuè per accidens, ex ratione hominis, & muſicæ homo muſicus; Tertiò, quòd vnum totaliter conuertatur in aliud, vt ſi aqua totaliter conuerteretur in ignem, & mutatione facta, nihil aquæ remaneret.

Certum eſt, quòd ſi res hoc ſecundo, & tertio modo fierent per eamdem mutationem, ſemper fierent omnia, quæ neceſſario conſequerentur ad id, quod primò terminaret talem mutationem, & inde etiam eadem cauſa actiua omnia attingeret, quia ſemper dum generatur Petrus, eadem

cau-

causa actiua facit substantiam Petri, eius risibilitatem, & relationem filiationis, tum quia, qui dat formam dat consequentia ad formam, tum quia dicitur 8. *Phys. Tex.* 32. quòd grauia, & leuia mouentur à generante, quòd si res fierent primo modo, vt aqua fieret ignis, manente, vt dictum est aqua in statu aquæ, quo prius, non sequitur, quòd actio in tali mutatione siuè primò, siuè ex consequenti terminetur ad quodcunque, quod necessariò sequitur ad ignem .f. ad leuitatem, & alia, etenim actio solùm debet terminari in subiecto, quod recipit mutationem 9. *Metaph. Tex.* 16. quale subiectum, vt constat non est ignis, sed sola aqua, quia ipsa sola est, quæ fit aliud, & non est fingere, quòd in igne fiat, quando aqua fit ignis, sicut in mutationibus, quando fit aliquid secũdo, vel tertio modo, semper enim tertia res, quæ fit, vel id, in quod facta est conuersio substantialis, habent aliquid, quod realiter recipitur in illis.

Vnde sic potest argui. Iuxta regulam posterioristicam, si affirmatio causa affirmationis, &c. ergo, si ad generationem Petri, agens causat substantiam, & consecutiuè omnia, quæ sequuntur ad Petrum, quia substantia est per se primò terminus mutationis; ergo etiam in actione illa, in qua aliquid interuenit, quod non fit, nec primò, nec aliter, vtcunque terminus mutationis à tali agente, nec quo ad substantiam, nec quo ad concomitantia per se dependet; ergo dum aqua fit ignis, quia in tali casu manet ignis; & solum vnum fit aliud quidquid inde sequatur ex tali actione in aqua, nec idem, nec aliud formaliter, & ex vi talis actionis potest inferri in igne.

Sed sic est, quòd in actiua vitali operatione intellectus, quando intelligitur lapis, solum interuenit mutatio primo modo, secundùm quam intellectus fit intellecta, secundùm esse intelligibile iuxta illud 3. *de Anima Tex.* 8. *Cum autem*

*sic singula fiat, vt sciens, Tex.* 37. Anima est omnia intelligibilia per intellectum, sensibilia per sensum; ergo quia actio intellectus solum terminatur ad intellectum, vt fiat intellecta, idem illius actiua operatio non respicit rem intellectam; vt terminum productum, & effectiuè causatum formaliter ex vi talis operationis intellectus, quia si respiceret, etiam vtcunque rem intellectam, in tali casu intellectio significaret aliud, quam quod intellectus fieret res intellecta; etenim includeret etiam illud, quod positum esset in re intellecta, quod tamen est manifestè falsum, tum quia motus solum est in mobili, 3. *Phys. T.* 18. & 8. *Phys. Tex.* 8. tum quia iuxta diffinitionem motus dicitur, quod est actus entis in potentia, vt in potentia 3. *Phys. Tex. 6.* & tamen solus intellectus habet rationem passiui; ergo intellectus nullius rei causa effectiua, quæ ab ipso intelligatur, vt sic, & formaliter.

Sed diceret aliquis. Intellectus intelligendo lapidem, si sua actiua operatione fit lapis in esse intelligibili, ex quo ad esse intelligibile sequitur relatio rationis ad intellectum tertij modi, & inde realis, saltem realitate extrinseca ex dictis *Cap.* 25. ergo hæc actio terminatur etiam ad esse, vel saltem ad rationem existentiæ secundum rationē, quam habet dicta relatio, & ad talem entitatem realem extrinsecam; ergo &c.

Respondetur, quòd actio intellectus ad nihil terminatur lapidis intellecti, quia nihil ponit, vt terminum actionis in lapide intellecto, non reale, quia talis actio, & intellectio esset transiens, non immanens, non rationis etiam, quia sicut faciens albedinem non causat oppositam relationem similitudinis in albedine præexistente, quia solum causatur ab agente, qui fecit talem albedinem, dum complet totaliter esse dictæ relationis, in instanti, quo generatur noua albe-

albedo, sic in proposito, quia obiectum intelligibile est in vltima dispositione, vt intelligatur, per actum intellectus agentis, habet etiam fundamentaliter proximè ex tali aptitudine relationem rationis ad intellectum possibilem, numquam tamen ab intellectu possibili, siuè ab illius actuali intellectione. hoc tamen quia difficile valde, vt rectè percipi possit, obseruandum, in actuali intellectione, quantum ad præsens spectat tria concurrere, primò actionem intellectus agentis, secundò intelligere intellectus possibilis; Tertiò intelligi relationis secũdùm rationem. ex actione intellectus agentis, obiectum intelligibile in potentia fit actu intelligibile 3. *de Anima Tex.* 17. & 18. ex intelligere intellectus possibilis non nisi formaliter intellectus fit intellecta, ex intelligi vltimò rei intellectæ, quod est formaliter esse obiectiuum in intellectu, & ens rationis fit sola relatio rei intellectæ ad intellectum intelligentem, ad hanc relationem postea sequitur alia relatio rationis, eiusdem rei cognitæ in re denominata, generis .s. in animali, ad speciem in homine; harum relationum talis est differentia, vt dictum est *Cap.* 26. quod secunda est formalis existentia relationis secundum rationem in re denominata. Prima ratio existentiæ, quia, vt dictum est secunda sequitur ad primam, vt res à ratione formali rei.

Ad talem actualem intellectionem sequitur relatio ad intellectum, quia si intellectus intelligendo fit realiter intellecta, & sic realiter refertur ad obiectum intelligibile, iuxta illud 5. *Metaph. Tex.* 20. *mensurabile autem scibile,* & c. necessarium est etiam, quòd in obiecto cognito, & intellecto, sit relatio ad intellectum, realis realitate extrinseca, & rationis formaliter, vt dictum est C. 25.

Ad hanc sequitur relatio ad rem intellectam, generis ad speciem, & in actu completo; tamen secundùm rationem,

vt

vt saluetur illud commune dictum, Relationes rationis non aliter sunt entia, nisi quoniam propositio est vera.

Relatio itaque rationis, quam habet res intellecta ad intellectum, nō est ex actione intellectus possibilis, quia sicut relatio similitudinis in albedine præexistente reducitur ad actum ab illo, qui genuit præexistentem albedinem, ad solam, & simplicem positionem nouæ albedinis, sic talis relatio rationis ad intellectum possibilem, non causatur ab intellectu possibili, siuè ab actuali intellectione illius, sed ab intellectu agente, qui illuminauit, & fecit obiectū actu intelligibile, ad solam, & simplicem positionem actualis intellectionis factæ ab intellectu possibili.

Quòd si hæc relatio ad intellectum possibilem oritur ab intellectu agente, posita actuali intellectione possibilis, nunquam ab intellectu possibili, quia post modum esse formale relationis in re denominata, & illius relatio, de qua in præsenti, sequitur ad primam relationem, quam habet res intellecta ad intellectum, adhuc semper sequitur, quòd nec etiam esse relationis, nec illius relatio secundùm rationem, in re denominata, sit ab intellectu possibili, arguendo hoc pacto.

Esse relationis, & illius relatio in re denominata oritur à relatione rationis ad intellectum, tamquam à ratione existentiæ, sed relatio ad intellectum non causatur effectiuè ab intellectu possibili, sed ab intellectu agente, immò intellectus agens illuminando obiectum, non est prima radix, nec primum efficiens simpliciter, & absolutè huius relationis ad intellectum, sed solum vt ponens conditionem talem, quòd intelligibile in potentia remota fiat actu, & in potentia proxima intelligibile, eo quòd intelligibilitas est proprietas entis, sicut visibilitas coloris 2. *de anima Tex.* 67. ergo nec esse relationis, nec relatio secūdùm rationem est

est ab intellectu, tamquam à causa effectiua.

Quòd si addatur non ne; ergo saltem intellectus causat conditionem relationis rei intellectæ ad intellectum, & inde relationem etiam rei intellectæ ad rem, intellectã sicut generans secundam albedinem, conditionem relationis similitudinis in prima albedine, quî sit ergo, quòd intellectus non sit causa actiua dictæ relationis?

Respondetur, quòd non sufficit, quòd agens faciat conditionem, vt sit causa actiua oppositæ relationis, quia sic faciens albedinem secundam, sicut ponit conditionem, etiam faceret relationem oppositam in prima albedine, quod tamen est falsum, sicut est falsum, quòd ponens conditionem ad motum futurum .s. remotionem impedimenti, moueat grauia, quia talis motus non fit, nisi à generante, vt dicitur 8. *Phys. Tex.* 32. ergo &c.

Secundò principaliter. Concurrentibus duobus principijs ad alicuius generationem, illud semper est statuendum principium actiuum, & causa effectiua, quod est in actu, nunquam illud, quod est in potentia, quia 1. *de generatione Tex.* 77. Proprium actus est agere, & potentiæ pati, sed ad intellectionem formandam, ad quam consequitur relatio secundùm rationem rei intellectæ ad intellectum, semper intellectus se habet passiuè 3. *de anima Tex.* 2. & 12. obiectum intelligibile actiuè, quia ibidem, intellectus patitur ab intelligibili; ergo si qua sit causa effectiua relationis secundùm rationem ad intellectum, illa causa non erit intellectus, sed potius obiectũ intelligibile, ad quod sequitur dicta relatio secundùm rationem ad intellectum, ergo minus etiam erit intellectus causa effectiua aliarum relationum secundùm rationem, quæ veniunt ex accedentibus actibus intellectus, quia vt supra C. primo, & secundo. Relatio rei ad intellectum, siuè esse obiectiuum in intellectu est ratio existentiæ in ente rationis. . . . Fortè

Fortè quis diceret, Cum intellectio sit formaliter actiua passiua, vitalis operatio, semper sequitur, quòd intellectus sit causa actiua esse relationis, secundùm rationem, ex quo à tali operatione intellectiua, sequitur esse dictæ relationis secundùm rationem.

Sed contra. Actiua operatio intellectus, quamuis sit factiua verbi, siue conceptus formalis, tamen quia ex simplici, & formali esse verbi, & conceptus formalis non habetur existentia relationis secundùm rationem, eò quòd intellectus format conceptus adæquatos, & inadæquatos rei *primò Perihermen C. 4. 3. de anima Tex. 22.* & non existit relatio, nisi quandò propositio est vera propter adæquationem intellectus ad rem, Ergo adhuc sequitur, quòd existentia dictarum relationum resultet ex illarum conceptu obiectiuo, secundùm quòd terminant actum intellectus, nunquam effectiuè ab actu intellectus.

Vlterius, quia esse relationis secundùm rationem non est, nisi ex eò, quòd talis res intellecta terminat actum intellectus, quia vt supra entia rationis non sunt, nisi quandò formales conceptus facti ab intellectu sunt veri, & adæquati conceptibus obiectiuis, terminantibus actus intellectus; ergò etiam sequitur, quòd si intellectus actiua operatio esset etiam actiua causa existentiæ entis rationis, quod simul esset factiua terminationis actus intellectus habitæ à re intellecta, quia non stat, quòd aliquid sit causa existentiæ relationis resultantis à re intellecta, ex eo quod res intellecta terminet actum intellectus, & non sit etiam causa, quòd eadem res intellecta terminet actum intellectus, quòd tamen est falsum, quia non nisi ab eo, quòd res est, vel non est, oratio veras vel falsa dicitur *in prædicamentis C. de substantia.*

Immò *capite de priori.* Veritas rei est causa, & prior na-

tura veritate orationis, quamuis inter dictas veritates, sit conuertibilitas, secundùm existentiæ consequentiam; ergo &c.

Verùm quia aliquis instare posset hoc pacto. Si existentia relationis secundùm rationem resultaret ex illarum esse obiectiuo in intellectu, ex eo, quòd terminant actum intellectus; ergo dictæ relationes causarent effectiuè propriam existentiam, & reducerent se ipsas de potentia ad actum.

Respondetur, quòd sicut in realibus essentia rei est causa propriæ existentiæ, vt causa formalis, & existentia comparatur ad essentiam, vt effectus formalis, semper per modum naturalis sequelæ, & resultantiæ, eo quòd 2. *de Anima Tex. 7. quod propriè est actus est*, essentia etiam relationum proportionalitate seruata est causa formalis existentiæ secundùm rationem. tamen sicut in realibus ad habendum effectum formalem existentię requiritur efficiens, quod reducat formam de potentia ad actũ, generando subiectum, si sint formæ in materia, quia nihil est causa effectiua sui ipsius 1 *de generat. Tex.* 73. & nihil motiuum sui ipsius 8. *Phys. Tex.* 30. Similiter in relationibus secundùm rationem ad habendam earumdem existentiam, cùm sint formæ secundùm rationem in materia, non solùm est necessarium, quòd dependeât à subiectis, in quibus sunt secundùm rationem iuxta modum acceptum superiùs sed adhuc requiritur pro causa effectiua generans primam intentionem, ad quam sequuntur ordine successiuo relationes rationis, quæ veniunt ex succedentibus actibus intellectus, sicut proprietates ordine successiuo vltra dependentiam à subiecto semper effectiuè veniunt, tamquam à primo agente, à generante subiectum.

Quare negatur, quòd relationes rationis causent effecti-

 uè

nè propriam existentiam ; quia talis existentia solùm pendet ab illarum essentia, vt ratio, & vt formale principium essendi, vel quòd intellectus sit causa effectiua earundem, quia effectiuè tanquam ab agente, vt quod; fiunt à generante, vt dictum est de risibilitate, quæ per naturalem sequelam fit ab homine, & à generante; tanquam ab agente, vt quod.

Tertiò. Principaliter esse obiectiuum rei intellectæ formaliter, vt tale, non est effectiuè à relatione, quam habet intellectiuè ad rem intellectam; quia istæ relationes rei ad intellectum, & intellectus ad rem; cum sint simul natura; inter se nullam exercent causalitatem.

Idem esse obiectiuum rei intellectæ non est effectiuè ab actu intellectus, quia, si sic, necessarium esset, quòd intellectus concipiendo genereitatem in animali, quatenus stat sub actu intellectus, prius faceret animal; quod est subiectum genereitatis, vt consequi posset dicta relatio genereitatis; quia non est motus ad relationem, nisi consecutiuè; quando .s. ex generatione albedinis resultat relatio similitudinis in albedine. 5. *Phys. Tex.* 10. Quod tamen est falsum, tũ quia actiones sunt singularium, saltem quæ terminantur ad primas intentiones 1. *Metaph.* C. 2. & tamen animal non est capax genereitatis, nisi sit vniuersale; tum quia si actus intellectus faceret animal, iam nulla daretur prima intentio; quia sic omnia essent ab intellectu; ex quo & iam dictum est, quòd agentis actio non terminatur ad relationem, nisi quia prius ad subiectum relationis; Tum vltimò, quia intellectus, ex quo potentia passiua, non facit subiectum, sed illud supponit.

Ergo si esse obiectiuum, quod est formaliter relatio, quam habet res intellecta ad intellectũ, nõ est ab opposita relatione intellectus ad rem intellectam, nec idem esse

obiectiuum est effectiuè ab actu intellectus; iam intellectus non est causa effectiua relationis secundum rationem; quia esse obiectiuum est ratio existentiæ in ente rationis; vt [illegible] præ[illegible]

Ad primum, & secundum principale iam constat, quid dicendum sit: quia intellectus possibilis nō concurrit, nisi vt ponens conditionem, sicut faciens nouam albedinem ponit conditionem ad relationem præexistentis albedinis; tum quia intellectus agens non est proxima causa [illegible] intelligibilitatis, ad quam sequitur relatio ad intellectum, & ad rem intellectam, & quatenus reducendo ad actum proximum obiectum intelligibile aliquid facere relationem, illud solum intelligitur, quia facit actu intelligibile, non nisi in esse obiectiuo, ad quod sequitur relatio rationis per subsequentem actum intellectus possibilis modo exposito.

Ad tertium respondetur, quòd intelligi, siue relatio rationis ad intellectum, quod est ratio existentiæ [illegible] rei intellectæ [illegible] generis & speciei, non est [illegible] ab intellectu, quamuis [illegible] requiratur actus intellectus tanquam conditio, vt dictum est de [illegible] relationem similitudinis in albedine [illegible].

Ad quartum respondetur, quòd diuisio, ex qua efficitur [illegible] propriè diuidentis, iuxta naturam rei diuisæ, inde [illegible] diuiduntur realiter, aliter rationis; realia [illegible] existentiam realem nullo intellectu considerante, [illegible] intellectu considerante sunt diuisa rationis, quæ non habent esse, nisi intelligi, in quo distinctio partium [illegible] & diuisio est solùm ab intellectu possibili apprehendente illa diuisa, i. quia diuisa, & distincta intelliguntur, quare si cum esse quod habet in intelligi [illegible] intellectu, inde etiam sequitur, quòd [illegible] effectiuè ab intellectu.

Ad quintum semper negatur, quòd intellectus sit causa effectiua cuiuscunque relationis secundum rationē, quamuis sit causa relationis realis ipsius ad rem intellectam; quia vt supra talis relatio secundùm rationem sequitur fundamentaliter ad naturam entis, quæ fundat intelligibilitatem, & ad obiectum intelligibile obiectiuè illuminatum ab intellectu agente, formaliter autem, atque in actu completo per succedentem actum possibilis, tamquam per conditionem modo exposito, absque aliqua alia causalitate actiua intellectus; quare &c.

## Quæ sit ratio formalis entis secundùm rationem. Cap. XXX.

Visis necessarijs pro cognitione essentiæ, & ratione formali entis secūdùm rationem, vltimò hæc ratio formalis tamdiù expectata, postquam ex iam dictis inferenda venit, sic mihi discurrendum videtur. Ens rationis est conuertibile cum relatione rationis, quia sola relatio rationis est ens rationis, vt sufficiēter probatum est C. 20. & 21. Relatio secundùm suā formalissimam rationem diuiditur in realem; & rationis, tamquam genus proportionale in sua analogata, tum ibidem; tum ex subsequentibus hucusque traditis, sed relatio realis proportionaliter se habet ad omnia accidentia, si talia conferantur secundùm communissimam rationem entis Cap. 15. ergo omnia, quæ pertinent ad rationem formalem entis realis, erunt eadem proportionaliter cum attinentibus ad rationem formalem entis rationis; ergo cum in realibus existentia sit formale significatum entis, nec non entis realis, ratio formalis completa, & adæquata stet in hoc, quòd nomine entis significetur natura, siuè essentia, & quidditas rea-

realis intrinſecè, & eſſentialiter proportionata ad eſſe reale, vt ſupra C. 6. ſequitur neceſſariò, quòd formale ſignificatum entis rationis ſit exiſtentia rationis eadem proportionaliter cum exiſtentia reali, formalis autem ratio completa, & adæquata eiuſdemmet entis rationis, de qua maximè in præſenti; ſit eſſentia, & quidditas ſecundùm rationem eſſentialiter proportionata ad eſſe ſecundùm rationem, & ſic eadem & ipſa proportionaliter cum ratione formali completa, & adæquata entis realis.

Quare ſi eadem proportionaliter, diſtinctè ſolùm reſtat explicandum, in quo conueniāt, & differant, ratio formalis completa, & formale ſignificatum entis ſecundùm rationem à ratione formali completa, & formali ſignificato entis realis, ex dictis etenim C. 15. conſtat, quòd proportionalia ex intrinſeca natura proportionis, habent diuerſas rationes ſimpliciter, tamen eaſdem proportionaliter.

Sciendum; ergo quòd realia, & ſecundùm rationem, quantum ad præſens ſpectat quadrupliciter conueniunt, & differunt.

Conueniunt primò quòd in ente ſecundùm rationem dantur illa eademmet tria, quæ in ente reali diximus adinueniri C. 11. Eſſentia, exiſtentia, & ens, vt conſtat, tam ex rationibus terminorum, quàm ex ibidem adductis rationibus, ſi conferantur cum ente rationis.

Conueniunt ſecundò, quòd ſicut in ente reali datur genus, quod habet rationem potentiæ, differētia, rationem actus, & ſpecies compoſita ex his, tamquam, ex duobus conceptibus, tertius conceptus, animal ſiquidem, rationale, & homo; ſimiliter in ente rationis datur genus, differentia, quæ ad inuicem comparantur, vt potentia, & actus, & tertiò ſpecies compoſita ex illis, vt tertius conceptus ex duobus conceptibus. In relatione v.g. ſecundùm rationem

dex-

dextreitatis in columna: Relatio secundùm rationem habet rationem generis, talis modus referendi, rationem differentiæ, dextreitatis rationem speciei, quæ constituitur ex illis, vt tertius conceptus ex duobus conceptibus, vt constat ex terminis ipsis.

Conueniunt tertiò, quòd sicut in ente reali, illud, quod significat res existentes in quolibet prædicamento est ens participaliter sumptum, idest vt dicit existens, non nominaliter, vt significat solam naturam rei existentis, similiter in ente rationis, illud, quod significat, id, quod habet naturam secundùm rationem, & diuiditur in omnia entia rationis, est ens participaliter sumptum, vt dicit existens, quia vt supra, esse, & existere est proportionaliter formale significatum entis realis, & rationis etiam.

Conueniunt quartò, quod sicut in ente reali, existentia est vltima, atque omnium actualitatum, intrinseca, & formalissima actualitas, extra conceptū quidditatis, & essentiæ distincta ab essentia, vt res, & res reductiuè in prædicamento, cuius est existentia, & vltimum complementum, quod constituit rem in genere entis simpliciter, ex dictis C. 5. & 6. Similiter in ente rationis existentia, est vltima actualitas: & co quia, vt supra, si conferantur rationes adductæ pro existentia reali, cum existentia rationis, & semper sit præ oculis proportionalis natura entis realis, & rationis, nulla [illegible] difficultas impediens veritatem conuenientiæ propositæ.

Differunt primò quod in ente reali, essentia non redditur capax ad recipiendam existentiam, nisi determinetur per differentias specificas, tanquam per formale determinatiuum intrinsecum, necnon per proprietates indiuiduales, tanquam per conditiones rei existentis, quia vt est vulgare, Non dantur vniuersalia separata. In ente autem

rationis; essentia absque alia determinatione facta in particulari de tali essentia, potest dico in vniuersali existere suo modo, scilicet secundum rationem, immò de facto, vel semper est vniuersalis quando existit, vel raro accidit, quòd existat in particulari concepta, eo quòd intellectus non nisi indirectè intelligit particulare.

Hæc diuersitas in ente rationis, quia singulare quid continet, singulariter etiam sic probari potest. Actio intellectus est immanens, & talis, quòd nihil ponit in re intellecta, nec aliquid supponit in eadem re intellecta, vt terminat actum intellectus, nisi similem naturam formæ præconceptæ; quia, vt pluribus, ex eo quòd res est, &c. sed optimè saluatur hæc similitudo requisita, quando id, sine quo aliud intelligitur non est de conceptu alterius vtcumque, quidquid sit de alia quacumque ipsorum identitate, vel vnione; ergo intellectus potest intelligere vniuersale sine particulari, animal, sine hoc animali, relationem generis in vniuersali, sine hac particulari generis relatione; ergo talis essentia relationis, sic in vniuersali concepta existit suo modo, scilicet, secundum rationem; ergo essentia entis rationis non mendicat propriam existentiam in particulari, sicut fit in ente reali.

Differunt secundò; quòd in ente reali, prædicata, siue essentialia tam intrinseca, quam extrinseca, siuè vtcumque denominatiua, semper descendunt cum rebus, quibus conueniunt, ad sua inferiora; quia si animal dicitur de homine; ergo de aliquo homine, si risibilitas de homine; ergo de aliquo homine, si color de corpore; ergo de aliquo corpore, ex Aristo. c. *de substantia*. In ente rationis autem, non semper prædicata, quæ verificantur de superioribus affirmari possunt de inferioribus, siue illorum subiecta sint realia, siue rationis, hoc pacto animal est genus, homo est

animal;

animal; ergo genus. relatio scibilis, ad omnes relationes rerum scibilium, est vel genus, vel saltem species ad omnes relationes rerum scibilium, hæc relatio scibilis v. g. Petri est relatio secundùm rationem; ergo vel genus, vel species.

Ratio diuersitatis est hæc; Prædicata essentialia conueniunt rebus secundùm se, sed quod est per se tale, illud semper tale 1. *Poster. cap.* 7. ergo huiusmodi essentialia etiam verificantur de indiuiduis. Denominatiua etiam realia non conueniunt nisi secundum esse, quod habent in particulari; ergo descendunt ad sua particularia, & de illis verificantur. In ente autem rationes denominatiua conueniunt secundùm esse obiectiuum; quod habent in intellectu, & quia habent aliud esse obiectiuum in vniuersali, & aliud in particulari conceptu, prædicata rationis quæ attribuuntur secundùm aliquod esse obiectiuum, non debent verificari, vt concipiantur de eadem re sub alio conceptu obiectiuo, vnde stando in exemplo dato, Relatio rationis scibilis est genus, hæc relatio particularis huius scibilis est relatio; ergo genus, & hoc non aliunde, nisi quia relationi secundùm rationem conuenit esse genus denominatiuè, sicut etiam animali, quandò dicitur Animal est genus, vnde quia hæc denominatio est secundum esse obiectiuum; ergo propter aliud, & aliud esse obiectiuum, si in vniuersali, & particulari concipiantur, entia rationis non descendunt.

Dixi denominatiua, quia illa, quæ sunt essentialia in ente rationis siuè intrinseca siuè extrinseca, descendunt ad particularia non minus quàm essentialia realia, hoc pacto. Dextreitas est relatio rationis, hæc est dextreitas; ergo relatio rationis, quia vt supra, quod est per se tale &c.

Differunt tertiò: quòd in ente reali existentia non est illa, quæ propriè existit vt quæ, sed est ens, vel essentia, quæ sic existunt, vt quæ, & existentia est solùm, qua res propriè exi-

existit, quia nulli rei potest comparari existētia in realibus, vt potentia ad actum, sicut necessariò requiritur, vt aliquid propriè existat, sed semper in realibus, existentia est vltima actualitas rei existentis.

In ente autem rationis, propria illius existentia, in .s. relationis generis in animali, eo quòd, & ipsa potest intelligi, & terminare actum intellectus, quia semper vera est propositio de ipsa formata, habet hoc peculiare, quòd dum accipitur, vt qua existit relatio v.g. generis in animali, tanquam in proprio subiecto secūdùm rationem, sit, & dicatur existentia dictæ relationis, & eiusdem etiam vltima actualitas, vt verò accipitur, talis existentia secundùm quòd potest, & ipsa intelligi, & sic habere nouā relationē ad intellectū, in tali casu eadem existentia generis speciei, &c. quia comparatur ad intellectum, vt res denominata, eo quòd talis relatio, vt res sic intellecta, & ipsa noua relatione refertur ad intellectum, fit noua essentia, vel saltem fit induens nouum modum essentiæ, vt quod ad succedentem relationem ipsius ad intellectum, etenim nihil intelligitur, nisi, vt quid vel saltem, vt induens modum quid, quod idem est, quòd modus essentiæ, & etiam successiuè secundùm, quòd multiplicantur relationes harum relationū ad intellectum, semper præexistens existentia ad subsequētem comparata induit rationem essentiæ, & ad illam comparatur, vt potentia ad actum.

Vndè sic potest argui. Existentia relationis secundùm rationem non est; nec existit formaliter, nisi & ipsa actu intelligatur, quia talis est natura cuiuscumque entis secundùm rationem, sed dum intelligitur relatio generis in animali, quia constat, quòd in tali casu nulla fit mentio relationis, quam habet in; & existentia dictæ relationis ad intellectum; ergo talis relatio nec adhuc cognita, tunc non

existit, vt quæ, sed solum, vt qua, relatio generis propriè existit (loquor de existentia intrinseca, & secundùm rationem, quia dictum est C. 25. quòd relatiua tertij modi existunt existentia reali extrinseca) sed quia & ipsa relatio, quæ erat existentia relationis præcedentis potest & ipsa intelligi, & sic referri noua relatione in tali casu dicta existentia intellecta induens modum essentiæ est ens secūdùm rationem propriè existens, vt quod, & sic in infinitum, si in infinitum multiplicarentur actus intellectus intelligendo existentiam secundùm rationem entis rationis, & quamcunque succedentem relationem, & existentiam rei intellectæ, & hoc est, quod maximè intendebamus 2. C. in responsionibus ad primas difficultates.

Differunt quartò, quòd in ente reali existentia, siuè ratio existentiæ, siuè absoluta, siuè relatiua dicatur semper est particularis: Ratio est hæc. Realia non existunt in suis abstractionibus; ergo sunt particulares, in ente rationis ratio existentiæ, siuè esse obiectiuum est quidem particulare, quia actus intellectus, & illius relatio ad rem intellectam, cum sit realis non est nisi particularis, & per consequens, opposita relatio rei intellectæ ad intellectum, etiam si sit relatio secundùm rationem est particularis, existentia autem formalis dictæ relationis secundum rationem v. g. in, quod habet genus in animali est vniuersalis, & particularis iuxta conditionem rei intellectæ, quia si intelligatur aliqua relatio particularis secundùm rationem in aliqua re denominata, hæc relatio indiuidui in Petro, existentia .s. & in, quod habet in Petro, & ratio existentiæ .s. obiectiuum esse erit particularis, quod si intelligatur aliqua relatio in vniuersali, sicut res intellecta, illo casu, est vniuersalis illius, etiam existentia, in .s. in subiecto erit vniuersalis, quia cum ens rationis significet pro ratione formali cōpleta, & adę-
qua-

quata essentiam intrinsecè, & essentialiter proportionatam ad esse secundum rationem, vt dictum est à principio, iam existentia formalis entis rationis erit semper vniuersalis, & particularis, ex vniuersali, & particulari essentia rei intellectæ.

Contra hanc quartam differentiam videtur instandum hoc pacto. Si relatio rei intellectæ ad intellectum est particularis, quia opposita relatio intellectus ad rem intellectam est particularis; ergo relatio speciei, secundùm quam homo refertur ad indiuiduum est particularis, quia relatio indiuidui ad hominem est particularis; ergo relationes rationis non sunt vniuersales, & particulares, iuxta conditiones rerum, quæ referuntur; tum quia homo est terminus vniuersalis, quatenus stat sub relatione speciei, quia iuxta diffinitionem *Porphyrij. species est, quæ prædicatur de pluribus*, & tamen dicitur quod relatio est particularis, quando opposita relatio est particularis, tum quia res intellecta, vt dictum est in explicanda prima differentia, saltem in cognitione directa est vniuersalis.

Respondetur, quòd dupliciter intelligitur, quòd aliquis terminus sit communis, & vniuersalis, vno modo præcisè. s. vt abstractus à multis, alio modo secundùm quòd accipitur pro multis, homo dicitur terminus communis secundo modo, quando id, quod attribuitur homini verificatur de multis contentis sub homine; quia si homo risibilis; ergo hic, & ille homo risibilis; homo dicitur communis primo modo, quando illud, quod ipsi attribuitur, non verificatur de ipso, nisi accipiatur præcisè; & solum quatenus terminus abstractus, quia si dicitur homo est species, hoc intelligitur solum de homine, vt conceptus in abstracto; non autem de hoc, & de illo homine.

Modò, quia homo, vt stat sub relatione speciei ad indi-

uiduum præcisè accipitur, & non pro multis; ergo in tali casu, homo est terminus particularis, vel saltem induit modum termini particularis, iuxta naturam particulariũ, quæ ex particularitate annexa non possunt accipi pro multis, quòd si homo in tali statu habet rationem particularis iam non sequitur, quod relatio particularis secundùm rationem recipiatur in subiecto vniuersali.

Ad instantiam quomodo non est terminus vniuersalis, secundo modo, quatenus vniuersale accipitur pro multis, si implicat, quòd sit species, & non accipiatur pro multis propter diffinitionem speciei, *species est, quæ prædicatur de pluribus*. Respondetur, quòd aliud est loqui de termino, qui formaliter est, & dicitur species, aliud de conditione requisita, vt sit, & dicatur species, si de termino quantùm ad conditionem requisitam, certum est, quòd si homo non haberet hanc conditionem, quòd diceretur de multis, non esset species, si de termino, qui formaliter est, & dicitur species, sic est communis præcisè, & vt quid abstractũ à multis eo quòd nullum ex multis, de quibus dicitur est species, & si solum communis præcisè, iam vt sic est terminus particularis, modo quo supra.

Idem verificatur de re intellecta vniuersali, quia talis res intellecta, est vniuersalis solum præcisè, quatenus terminans actum intellectus, etenim relatio, qua refertur homo, communis ad intellectum, non verificatur de particulari homine intellecto; tum quia singularia non eodem modo directo intelliguntur, sicut vniuersalia: tum quia relatio rei vniuersalis intellectæ, quæ debet descendere ad inferiora, debet accipi comparando rem vniuersalem ad intellectum in vniuersali acceptum, & rem particularem ad intellectum in particulari, hoc pacto. Res intellecta in vniuersali, habet relationem vniuersalē ad intellectum in vniuersali ac-

ceptum: hæc res intellecta ad hunc intellectum in particulari, non autem hæc res intellecta, quamuis ipsa sit præcisè terminus vniuersalis ad intellectum in vniuersali, sed semper ad hunc intellectum, quòd si sic, ergo etiam talis relatio est particularis, & recepta est in subiecto, vt est habens rationem particularis; ergo &c.

*Ad quam intentionem quæcunq; imaginata sint reuocanda.* **Cap. XXXI.**

QVIA ex supradictis, & maximè primo, & secundo Cap. essentia, & ratio formalis intentionis, ex eo pendet, quòd res intellecta sit habilis ad terminandum actum intellectus, totidem ergo genera intentionum erunt sub prima, & secunda intentione, quòt sunt illa, quibus conuenit habilitas terminandi intellectum, & ad illas intentiones, etiam hæc omnia reuocabuntur, quarum intentionum formalitates, eisdem vtcumque conuenire constabit.

Quòd si sic; ergo falsa in primis à genere intentionum formaliter sunt separanda, quia fundamentum proximum, per quod res habilis redditur, vt intelligatur, est sola veritas, etenim apprehendere falsum, non est cognoscere, sed à cognitione deficere, iuxta illud 1. *Poster. Cap.* 2. *quod non est, non est scire.*

Vlterius alia, quæ vtcunque intellectum terminare possunt, vtpotè vera, quia vel sunt positiua, vel negatiua, etenim *C. de oppositis*, siuè res sit, siuè non; semper altera pars imaginata est vera 1. *Periher. C.* 4. *non solùm verum est dicere, quod est esse, sed quod non est non esse*; ergo non minus negatiua, vera, quàm positiua in genere intentionum necessarium est contineri.

Quòd

Quòd si positiua illa, quæ vltra esse obiectiuum, quod habent in intellectu ex ratione communissima, qua sunt intelligibilia, adhuc habent esse reale intrinsecum, nullo intellectu considerante, erunt primæ intentionis; quæ habent solum esse in re denominata secundùm rationem ex simplici ratione, qua intelliguntur, erunt secundæ intentiones, siuè in actu, siuè in potentia accipiantur.

Dico, quòd habent esse reale intrinsecum, quia si haberent realem existentiam extrinsecam, rationis autem intrinsecam, vt relatiua tertij modi, de quibus C.25. tamquam media inter pœnitus realia, & rationis, vtriusque intentionis rationem participabunt, vel (si magis placet) ad secundam, quam ad primam declinare potius quis diceret, eo, quòd vnumquodque iuxta naturam intrinsecam semper existimandum est tale, magis, quam secundùm extrinsecã: Idem sentiendum de omnibus, quarum materiale est reale, complementum autem, & formale rationis, vt si sit tempus huius conditionis, &c.

Quòd si negatiua, quia non aliunde habent, quod sint intentiones, nisi quia ex veritate inclusã terminant actum intellectus, illius intentionis erunt, à qua pendet ratio, secundum quam terminant intellectum; ergo illius intentionis, sub qua continentur affirmationes, quarum sunt negationes, quia 3. *de Anima Tex.* 25. & priuationes, & negationes, per habitus, & affirmationes cognoscuntur; ergo si homo, est prima intentio directè, propriè, & principaliter, negatio hominis erit reductiuè prima intentio; genereitas, etiam si est secunda intentio, negatio genereitatis erit secunda intentio reductiuè, non tamen reductiuè, quia ad primarum, & secundarum affirmationes, vtcunque pertineant, sed quia propriè, & immediatè easdem primas, & secundas respiciunt, & in ipsarum diffinitionibus, easdem etiam recipiunt,

piunt, vbicumque tamen diuersa, diuersis applicentur iuxta illud 1. *Periher. C.5. unius affirmationis una negatio.*

Quod dictum est de negationibus simpliciter, idē dicendum de priuationibus, vt cæcitas prima intentio, sicut visio, cuius est priuatio; Carentia etiam relationis secundum rationem in subiecto; quod est proximè potens ad habendam talem relationem, quam non habet de facto formaliter, antequam negotietur intellectus circa ipsam, vt v.g. relatio rationis, quæ ex voluntate, est secunda intentio, sicut habitus relationis, cuius talis carentia dicitur priuatio.

Dico, quòd priuationes reducuntur ad genus intentionis cuius sunt habitus, qui priuantur; tum ex communi ratione; quia per ipsos diffiniuntur, & cognoscuntur, tum ex particulari etiam ratione priuationum, propter potentiam .s. quam connotant, eo quòd si potentiæ diffiniūtur, & cognoscuntur per actus, ad quos ordinantur 2. *de Anima Tex. 33.* ergo priuationes sunt in genere intentionis, vbi ponitur potentia ab illis priuationibus connotata; ergo etiam in genere actus, & habitus, ad quos potentiæ connotatæ ordinantur.

Vltimò, quia ex hisce positiuis, & negatiuis ab intellectu conceptis possunt fingi impossibilia, & chimerica composita. Hircoceruus, relatiuum absolutum, cæcitas videns, cæcitas surda, & similia: Simplicia etiam impossibilia, linea existenter separata, cæcitas ens positiuum; immò quia propositiones, & consequentiæ, tum veræ, tum falsæ de ipsis formari possunt, quia de vnoquoque verum est affirmare, vel negare; tum quia falsitas est vera falsitas, & propositio, atque consequentia falsa est verè falsa, vt auricalcum, quod est aurum falsum, tamen est verum auricalcum; Inde huiusmodi falsa, & impossibilia, sicut sunt intentiones, quatenus

tenus ex veritate inclusa, vtcumque terminant intellectum, ad intentiones illas reuocantur, cuius intentionis sunt partes, ex quibus componuntur, nisi occurrat; quòd ex partibus diuersarum intentionum, primæ .s. intentionis, & secundæ, talia componantur, fingendo v. g. Petrum esse genus, &c. siquidem in tali casu, vel ad diuersas intentiones opporteret illas reuocare, si neutra illarum partium principaliter ad talem compositionem quis fingeret concurrere, vel si vna in ratione actus, altera in ratione potētiæ conciperetur, tunc totum magis ad illam intentionem pertineret, quam magis rationem actus habere quis fingeret, etenim potentia quælibet ad genus sui actus reducenda venit. Idem dicendum est de simplicibus, quæ falso imaginantur vera, quia semper eadem ratione ad illam intentionem debent reuocari, cuius intentionis imaginantur esse.

Quod sic probatur: Primum, illud principium negatiuum: Idem non potest affirmari, & negari de eodem, non ingreditur demonstrationē formaliter, quia eadem ratione, qua cognoscimus veritatem vnius partis, absque alia additione cognoscimus falsitatem alterius 1. *Poster. C.* 1 1. Immò principia ita sunt notissima quantum ad veritatē, quòd nihil notius principijs oppositis, quantum ad falsitatem 1. *Poster. C.* 2. ergo ad eamdem intētionem pertinet veritas, & falsitas illorum si tamen, vt falsa cognosci possent, sed vera illorum falsitas, secundum quam terminant intellectum pertinet ad intentionem partium, si sunt ex partibus composita, vel rerum simplicium, si sunt simplices; ergo illius intentionis sunt, cuius sunt res, de quibus agitur, ergo &c.

***Proponuntur, & diluuntur difficultates contra veritatem datam. Cap. XXXII.***

Illud, quod primò videtur difficile ex dictis in praecedenti est quòd negatio possit intelligi, & terminare intellectũ, vt ingreditur genus intentionis, esto etiam quòd quis diceret negationem terminare intellectum ad modum entis, & quatenus fit ens rationis in intellectu, tum quia si fieret ens rationis, iam non esset omninò nihil, vel saltem illud omninò nihil non posset intelligi, & si tamen intelligeretur, quia ens rationis, iam illud, quod esset intellectum non esset negatio, sed saltem entitas rationis intellecta; tum etiam quia implicat, quòd negatio, quae est nihil, habeat modum entitatis intrinsecum, quo formaliter terminet cognitionem, quia ens, & nihil, sunt contradictoria, & nullum contradictorium potest includi in ratione alterius; tum adhuc, quia ex *Aristo. 1. Poster. C. 2. quod non est non est scire.*

Secũdò. Esto, quòd negatio intelligatur, saltẽ nõ videtur, quòd aliqua negatio possit esse prima intẽtio, quia si est intẽtio, vt terminat intellectũ, & quatenus in intellectũ fit ens rationis; ergo aliquod ens rationis est prima intentio; ergo differẽtia, quę diuidit genus intẽtionis, & constituit secundã intentionem, existentia in quã secundũ rationẽ, quam haberet negatio, propter obiectiuum esse in intellectu, constitueret etiam speciem primae intentionis, vel saltem poneret aliquid reductiuè inter species primae intentionis cęcitatem, surditatem, &c. quod tamen est falsum, quia rationalitas non potest ponere hominem inter animalia irrationalia, etenim sunt opposita, & implicat, quòd opposita sub eadem differentia, etiã reductiuè contineãtur, vt constat ex terminis.

Si dicatur, quod ſicut poſitiua realia ſunt primæ intentiones, quamuis ſint obiectiuè in intellectu, eo quòd adhuc exiſtunt nullo intellectu conſiderante, & eſſe obiectiuum non conuenit illis quidditatiuè, ſed denominatiuè tantum; A ſimili negationes primorum intentionum, eo quòd realiter exiſtunt, vt cæcitas, quæ verè eſt in oculo, nullo intellectu conſiderante, & eſſe ſecundum rationem, quòd habent, illis conuenit denominatiuè tantum, ſunt primæ intentiones, ſicut affirmationes illarum.

Contra, ſi eſſe in re nullo intellectu conſiderante, & non eſſe ens rationis, niſi denominatiuè, faceret primas intentiones, etiam negationes ſecundarum intentionum, quia & ipſæ exiſtunt nullo intellectu conſiderante, vt negatio genereitatis, quæ verè eſt in Petro nullo intellectu conſiderante, & non poteſt eſſe ens rationis, niſi denominatiuè, quia ſi quidditatiuè, implicantia contradictiones occurrerent, etenim hoc pacto, negatio, quæ eſt nihil eſſentialiter, fieret quidditatiuè ens; ergo negatio genereitatis dicta de Petro eſſet prima intentio, quod manifeſtam contrarietatem habet cum ſuperioribus.

Tertiò. Non videtur, quòd impoſſibilia, quæquæ ſint poſſint habere aliquam rationem poſitiui, ſed quod omnia ſint negatiua, & ſic quatenus ad aliquam intentionē eſſent reuocanda ſecundùm quòd vtcunque ſunt vera, & terminãt actum intellectus, ſemper ad intentionem affirmationum, quarum ſunt negationes illas oporteat reducere, tum quia ſimpliciter ſunt non entia, tum quia impoſſibile, ex quo ſolùm determinatum ad non eſſe, numquam eſt futurum, & ſic formaliter ſignificat negationem; tum quia ſi impoſſibilia non ſunt non entia; ergo ſunt entia, quia de vnoquoq; verum eſt affirmare, vel negare, *C. de oppoſitis*, quòd ſi entia, quomodo impoſſibilia?

Nec

Nec videtur posse dici, quòd licet impossibilia non sint talia entia, tamen possunt esse, quod ens vtcunque, accidens enim, quamuis non sit tale ens, quod est substantia, tamen est aliud ens simpliciter, & vtcunque, scilicet ens accidentis, etenim 4. *Metaph. Tex. 2.* dicitur, *quod non ens est non ens*, & adhuc constat ex tali propositione, quod nõ negatur omninò ens, quia verbum est, in tali propositione significat aliquid esse.

Nõ videtur hoc dicẽdũ, quia si impossibile nõ est tale ens, vt hircoceruus v.g. nõ est entitas hircocerui, quia sic nõ esset impossibilis; ergo est nihil hircocerui; ergo simpliciter nihil; ergo negatio, probatur cõsequẽtia. Esto quòd quis sibi fingeret hircũ verũ, & realẽ esse hircoceruũ, de quo dubitari posset, quòd si non est hircoceruus, saltem est aliquid scilicet entitas hirci, stante suppositione, quòd sit hircus verus, & realis, tamen semper stat, quòd sit nihil hircocerui, quia talis vera entitas hirci non est aliquid hircocerui, quia nihil potest imaginari, quòd sit aliquid illius, quòd est impossibile esse, quamuis talis res, quæ fingitur esse, sit aliquid; ergo impossibilia sunt simpliciter negationes; ergo solum in genere illarum intentionum, quarum sunt negationes.

Quartò. Futura contingentia, quatenus non declinent magis ad vnam partem, quàm ad alteram, non sunt magis entia, quam non entia, nec in actu, nec in potentia, quia sic comparantur ad suas causas, vt indeterminatas ad faciendam affirmationem, vel negationem illorum.

Item, contradictoria non sunt entia, nec non entia, quia esse vnius partis contradictionis, destruit non esse alterius; & non esse alterius, esse vnius, & tamen de omnibus istis datur scientia non solùm quantum ad hoc, quòd non sunt scita; iuxta illud. Hoc vnum scio, quòd nihil scio (apud illos tamen, qui negarent illorum scientiã) sed datur saltem

aliqua cognitio probabilis de vtraque parte, quamuis, vt dixi, sint futura omninò indeterminata, & sint contradictoria.

Quod sic probatur. Dialectica habet viam ad probandam simul vtranque partem contradictionis 1. *Poster. C. 2.* ergo vtraque pars illorum terminat actum intellectus, saltem probabiliter simul, & semel; Immò verè; quia si probabilitas dialectici discursus staret, cum falsitate alicuius partis contradictionis, nulla differentia inter rationes sophysticas, & dialecticas; etenim sic solùm apparentes forent; quòd si verè vtraque pars terminat actum intellectus, ergo per rationes demõstratiuas, etiam possunt confirmari; quia 1. *Poster. ibidem.* Demonstratiua accipit verum; quare si veritas est illa, quæ fundat intentiones, ergo alicuius intentionis erunt contradictoria, & futura cõtingentia, & tamen si nec entia, nec non entia, cuius intentionis sunt non est cognoscere ex dictis, tum quia solum entia, & non entia sunt connumerata inter species, primæ, & secundæ intentionis, tum quia sic non potest fingi, quid rei habeant cum ente, vel cum non ente, cuius causa ad intentiones illorum reuocentur, eo quòd nec hoc, nec illud ponunt, vel negant, nec etiam vtcunque referuntur ad aliquid, sicut requiritur in omnibus, quæ reductiuè in aliquo genere ponuntur, quòd sic manifestatur.

Si aliquis respectus in ipsis posset imaginari, per quem ad aliquam intentionem primam, vel secundam contradictoria, & futura contingentia reuocanda forent, vel esset aliqua intentio, præter res contentas in contradictione, vel aliqua pars contradictionis, quæ alteram reuocaret ad genus propriè intentionis, non primum, quia vltra affirmationem, & negationem in contradictione, nulla alia res affirmata, & negata excogitari potest, quæ hoc præstare valeat; quia

quià vt dicitur 1. *Perihermenias C. 5.* Vnius affirmationis vna sola negatio, & vnius negationis, vna sola affirmatio; Non secundum, quià per esse partis affirmatiuè probatum, in aliquo non potest cognosci non esse, & negatio in eodem per affirmationem, dico visionis, dialecticè probatam in oculo, non cognoscitur non esse dictæ visionis in eodem oculo, sicut infertur per oppositam rationem dialecticam, quia sic se inuicem destruunt, & non se compatiuntur, ergo ex dictis quamuis debeant esse alicuius intentionis, quia, vt probatum est, verè terminant intellectum, tamen non est facile videre, ad quam intentionem sint reuocandæ; ergo &c.

Ad primum dicitur, quòd negatio, immò etiam omninò nihil intelligitur, & terminat intellectum, & sic habet, quòd possit ingredi genus intentionis, quod sic probatur.

Primò. De vnoquoque verum est affirmare, vel negare, ergo negationes omnes contradictoriè oppositæ affirmationibus de rebus positiuis habent veritatem, vel falsitatem, veritas est ratio obiectiua, vel saltem conditio intellectionis; ergo aliqua illarum contradictionum negatio est intelligibilis.

Secundò. De quacunque negatione formatur propositio affirmatiua, & negatiua, tum quia dicimus cæcitas est videns, cæcitas non est videns, tum quia 3. *de Anima Tex. 22.* necesse est diuidentem dicere omnia; sed cuiuscunque rei propositio enunciata est vera, vel falsa, ergo cuiuscunque negationis dabitur aliqua scientia, saltem illius partis, de qua fit vera enunciatio.

Tertiò. Illi, qui negant scientiam de negationibus, saltem sciunt, quòd negationes, non sunt scitæ, iuxta illud iam dictum; Hoc vnum scio, quòd nihil scio, alias illorum sermones, non essent audiendi, ergo negantes scientiam, & cogni-

gnitionem, de negationibus necesse est, quod admittant negationem sciri, & intelligi.

Circa modum, quo negatio cognoscatur, obseruandum est, quòd negatio, quamuis non sit relatiua ad terminum, etenim *in prædicamentis* dicitur, quod cæcitas, nõ est visionis cæcitas, nec etiam relatiua formaliter, & vt sic ad subiectum, quia dicitur 1. *Periherm. C.* 2. quòd non homo, & vniuersaliter, quòd quodcunque nomen infinitum dicitur de eo, quod est, & quod non est, tamen negatio non est ita simpliciter absoluta, quin habeat alium respectum à prædictis .s. ad affirmationem, eo quòd nõ est intelligibile, quòd sit negatio, & nullius affirmationis negatio, non solum simpliciter, sed adhuc determinata negatio, affirmationis determinatæ; iuxta illud 1. *Periher. C.* 4. Vnius affirmationis vna negatio, & è contra.

Obseruandum secundò, quòd obiectum intellectus in sui formalissima ratione (loquor de obiecto primario) quia habet rationem perfectiui intellectus, eò quòd intellectus solum fit actu intelligens, quando fit actu ipsum intelligibile; iuxta illud 3. *de Anima Tex.* 8. *cum autem sic singula fiat.*

Inde duo requiruntur pro negatione intelligẽda; primò quòd negatio, vel fiat ens, vel saltem induat modum entis, quia quod nullo modo est, nullius rei potest imaginari perfectiuum; secundò quòd negatio postquam facta est ens, cognoscatur per affirmationẽ, vt dicitur 3. *de Anima T.* 25. quia cum dicat essentialem, & determinatum ordinem ad affirmationem modo, quo supra, nec etiam in prima operatione, sine tali ordine intelligi potest, eo quòd nihil abstrahit à proprijs essentialibus, absque manifesta contradictione.

Dico per affirmationem, non tamen quòd propria, & intrin-

trinseca ratio entis necessaria, vt non ens intelligatur, sit per affirmationem, tamquam per modum intrinsecum non enti, hoc enim repugnat negationi, vt sufficienter probatum est in argumento, quia modus intrinsecus in affirmatione terminatur ad positiuum, in non ente vero ad negatiuum, idest conceptus non entis intrinsecè claudit affirmationem negatam de non ente.

Verum quis posset instare, si non terminatur cognitio non entis ad positiuum; ergo non est in intellectu, nec in potentia opinandi, imaginandi, &c.

Respondetur, quòd aliud est id, quod terminat intellectum; & tale est negatio, & nihil: Aliud est id, quod dicitur conditio, & illud est ens; quando additur; ergo contradictoria inuoluuntur, respondetur quòd non, quia illud ens rationis requisitum, vt non ens sit intelligibile, non additur intrinsecè in negatione, sed extrinsecè solum, vt conditio, quod sic manifestatur.

Ita quidditas materialis est obiectum proportionatum nostri intellectus, quòd intelligentiæ non possunt à nobis intelligi, nisi vt repræsentantur sub specie quidditatis materialis, tamen quidditas rei materialis induens, & repræsentans intelligentias non inuoluit contradictionem, quamuis substantia diuidatur per corpoream, & incorpoream, & intelligentiç sint essentialiter incorporeæ, quia corporeum quod additur, est quid extrinsecum intelligentijs, & vt conditio necessaria, & vt modus extrinsecus, vt intelligantur, nunquam tamen intrinsecus, etenim constat, quòd intellectus semper negat intelligentias esse corporeas, & vtitur corporeitate, non nisi, vt conditione.

Sic intellectus induit non ens entitatem, tamquam modo extrinseco, immò formando proprium conceptum de non ente, negat semper, non ens esse illud ens rationis ad-

dic

ditum, tamquam negatio, quare ens in actuali intellectione non entis, solum concurrit, vt quasi secundarium obiectum intellectus, dico quasi obiectum, quia obiectum potentiæ, primarium, & secundarium, propriè significat quid positiuum.

Ex dictis in hac responsione occurrit difficultas, quomodo negationes per affirmationes cognoscantur; tum quia eleuamur ad cognoscendum Deum, & intelligentias per negationes; tum quia syllogismi, siuè Cathegorici, siuè Hypothetici, arguunt affirmatiuam veram, mediante negatiua falsa, & affirmatiuam falsam mediante negatiua vera, vt in his ad impossibile.

Respondetur; quod negationes ad duo possunt referri; ad propriam affirmationem oppositam, & negatam, secundò ad rem, cui conuenire dicuntur: primo modo, vt dictum est, habent vnam affirmationem, & sic impossibile intelligere negationem, nisi mediãte affirmatione propria, quia, vt supra, talis negatio est essentialiter talis affirmationis negatio; secundo modo, quia infinita sunt, quibus conuenit aliqua negatio, quia, vt supra, nõ homo dicitur de eo, quod est, & quod non est, *primò Perihermenias C. 2.* non incōuenit, quòd negatio cognoscatur de aliqua re, & quòd sit cui conuenit, ignoretur, quia in tali casu non cognoscitur propria illius essentia, sed solum aliquod prædicatum, vel substantiale, vel accidentale, cui repugnat affirmatio negationis de re affirmata, vt si quis videat corpus, quod ambulet à remotis, propter talem motum arguit quidem, quod non est planta, sed nescit quale corpus, cui possit conuenire talis motus; quia motus, qui fundat negationem plantæ non est sufficiens, vt patet, ad docendum, quale corpus, & animal, cui possit conuenire talis motus, & sic secundùm quòd plura negantur, quia semper plura affirmata cognoscuntur,

ma-

magis per negationes accedimus ad cognoscendam quid rei, cui conuenit negatio.

Ad secundum. Duplex ens rationis, vt ex prædicta responsione colligitur, aliud, quod intrinsecè prædicatur de subiecto, vt genereitas, speciceitas, & talia si quidem quidditatiuè, & essentialiter habent essentiam, quæ radicaliter saltem non potest abstrahi ab existentia rationis, quamuis simpliciter, & absolutè essentia cuiusque rei abstrahat ab actuali existentia; aliud, quod extrinsecè, vt negatio, quæ non est quidditatiuè ens rationis, quia semper vt terminans intellectum extrinsecè induit modum entis.

Non inconuenit ergo, quòd aliquod ens rationis, vt modus extrinsecus entis, sit prima intentio, quia hoc pacto negatio affirmationis, quæ est prima intentio, est ens rationis, & prima intentio reductiuè, quare non sequitur quòd ens rationis, quod est differentia diuidens primam intentionem constituat oppositam intentionem intrinsecè, vel vniatur cum ipsa.

Ad instantiam contra responsionem datam; Respondetur, quòd non dicimus, quidquid conuenit, nullo intellectu considerante sit prima intentio, nisi sit ens positiuum, quia si detur negatio alicuius affirmationis, quæ sit secunda intentio, vt negatio genereitatis in Petro, nullo intellectu considerante, non potest esse prima, sed semper secunda intentio, quia essentialiter respicit affirmationem, quæ est secunda, & sic ab illa dependet illius cognitio, & in genere intentionis, cuius est affirmatio negata, collocanda venit.

Ad tertium respondetur, & negatur, quòd impossibilia simpliciter sint non entia, & sub negatione debeant comprehendi, siuè sit sermo de ipsis, quantum ad conceptum obiectiuum, siuè formalem, siuè simplicem, siuè complexum, tum quia constat, quòd homo irrationabilis, hircocerrus

& alia huiusmodi impossibilia sunt nomina positiua, nec est fingere, si negatiua dicantur, cuius affirmationis sint negationes, tum quia hoc pacto nulla propositio affirmatiua falsa, quia ratione falsitatis quælibet diceret negationem, & tamen siuè sit, siuè non, id, de quo agitur, semper verum est affirmare, vel negare, tum quia sicut esse cæcitatis, non facit cæcitatem esse quid positiuum, nec etiam non esse cuiuscunque rei imaginatæ, etiam quod imaginatio sit impossibilis, & falsa, faciet illud impossibile negatiuum, tum quia præterita, ex quo impossibilia esse (saltem secundum ordinem naturæ) essent negatiua, & sic, vel affirmatiua fierent negatiua, si ex impossibilitate, quam acquisiuerunt ratione præteritionis facta sunt negatiua, vel omnia præterita semper fuerunt negatiua, etiam quando existebāt, quod non est intelligibile, vt constat ex terminis ipsis; tum etiam quia omnia possibilia, quæ nunquam erunt, iuxta illud Philosophi. *Futurus quis incedere non incedet 2 de generatione Tex. 64.* semper essent negatiua, quia non minus forēt hęc nō entia simpliciter, quàm impossibilia, ex quo nō ens simpliciter oritur ex defectu existentiæ nunquam futuræ, si tamen impossibilia debeāt sustineri negatiua; ergo negatio aliunde venit, quam ex nō esse, quod verificatur de rebus; tum quia nō esse, quod dicitur de rebus, spectat ad existentiam, & ad illa, de quibus affirmatur, & negatur nō esse habēt rationem essentiæ, vnde salua ratione positiua essētiæ, stat vera, vel falsa negatio existentiæ de tali re enūtiata, etenim esse, quod ponitur in enūciationibus de secūdo adiacente, quando dicitur homo, vel hircoceruus est, significat actum existēdi, quare nō sequitur, existentia, est impossibilis; ergo essentia, cuius existentia enunciatur, est negatiuum quia vt dictum est, quot modis contingit negare, totidem contingit affirmare, & è contra, quare, cum intentiones habeant

beant complementum suæ formalitatis, ex eo quòd terminant actum intellectus, & non aliunde terminant, nisi vt induunt quid est, semper sequitur, quidquid sit de existentia illorum, quòd ratione essentiæ ad varias intentiones reuocentur, nec impedit, quòd iuxta variam existentiam in varias intentiones fuerit distributum genus intentionis, quia essentia est, quæ propriè collocatur in genere, & distinguitur in varias intentiones per ordinem ad existentiam realem, vel rationis.

Ad rationes probantes, quòd impossibilia sint nõ entia, & sub negatione debeant comprehendi, respondetur quòd sunt non entia, idest, non sunt existentia, & sic non sunt entia participaliter, & significant solam existentiã negatam verificari de ipsis; verum talis existentia negata non tollit, quòd essentia non remaneat quid positiuum, quod sic probatur.

Essentia comparatur ad existẽtiam, & non existentiam, sicut ad actum, & ad negationem actus, vt diaphanum ad lumen, & tenebras; sed quidquid sit de affirmatione, & negatione luminis, & tenebrarum, per illud, quod fingitur susceptiuum vtriusque, non est negatiuum, vel affirmatiuum, quia motus supponit mobile 8. *Phys. Tex.* 3. ergo stante impossibilitate existentiæ remanet, quòd essentia conficta sub tali existentia sit affirmatiua, & positiua, ergo &c.

Ad quartum respondetur, & primò ad futura cõtingentia, quòd si considerentur, quatenus non declinãt magis ad vnam partem, quam ad aliam, quia hoc pacto non sunt magis entia, quàm non entia, sic non sunt scita, & consequẽter nullius intentionis, quia, vt aliàs ratio formalissima intentionis est, quòd res sit intellecta; quòd si considerẽtur sub disiunctione, quia altera illorum pars est vera, supposita alterius partis falsitate, vt dicitur 1. *Periher. C* 8. sic sũt scita

sub tali conditione posita, & cum terminent hoc pacto intellectum, hoc pacto etiam sunt intentiones, iuxta naturam partium cõtradictionis, siuè formetur contradictio futurorum ex terminis positiuis, erit bellum, non erit bellum; siuè ex negatiuis, erit cæcitas, non erit cæcitas, &c. sunt etiam intentiones iuxta naturam partium contradictionis, quatenus, vtcunque terminant intellectum, si affirmetur, quod intellectus certò scit ipsa non esse scita.

Ad difficultatem contradictoriarum respondetur, vel loquimur de entitate positiua, & negatione quidditatiuè dicta de contradictorijs, vt stant in actu exercito contradictionis, vel de entitate, & negatione extrinsecè dicta de ipsis, vt dictum est supra de negatione, & priuatione; Si secundo modo, sunt entia, saltem imaginata, & opinata, quia conceptus formatus de ipsis nõ potest impediri, quòd non sit verus, vel affirmatiuus, vel negatiuus, quia v.g. vel est verum, quòd sunt entia, & non entia, vel quod non sunt entia, & nõ entia, & sic quia nihil intelligitur, nisi ens, vel ad modum entis; ergo sunt entia saltem extrinsecè; si primo modo, duo considerantur, id, quod concipitur, vt dicens modũ entis nominaliter, idest essentiæ, vel modum entis participaliter, idest existentiæ, primo modo, nec sunt entia, nec non entia, quia vnum destruit aliud, secundo modo dicuntur simpliciter non entia, quatenus non est dicitur illud, quod non existit, nec potest existere, immo maximè non entia existenter dicuntur propter implicantiam contradictionis, ad differentiam illorum impossibilium, quorum vnum non destruit aliud; quando quæritur, ad quam ergo intentionem? respondetur, ad intentionem partium componentium implicantiam, quia homo si dicatur irrationalis ad primã, cæcitas videns, surditas audiens, &c. ad primam identitas diuersa (acceptis tamen pro relatione secundum ra-

rationem) earumdem etiam negationes, implicantiam continentes ad secundam, semper diuersa diuersis applicando.

Hic tamen cauendum, quòd aliud est esse impossibile, aliud esse implicās, animal, cuius vna pars dicatur, quòd sit hominis, alia equi, vt centaurus, est impossibile, non implicans, nisi fortè implicantia sit in vnione, & contactu partium, quia implicantia stat in contradictione eiusdem de eodem 1. *Perihermen. C.*4. quod non verificatur in præsenti, quia vna pars imaginatur quòd sit homo, altera equus, non quòd eadem pars simul, & semel sit homo, & equus, & de tali implicantia in præsenti nos intelligimus.

Ad dialecticam proportionem negatur, quòd finis dialectici sit probare veritatem, vel falsitatem, quia abstrahit ab vtraque, eo quod dicitur 1. *Topicorum*, sæpe falsa sunt probabiliora; sed finis dialectici est inducere opinionem, vel probabilitatem, siuè veram, siuè falsam, quæ stat in determinatione intellectus, cum formidine semper alterius partis, ad differentiam suspicionis, quæ non determinat, quamuis magis inclinet ad vnum, quàm ad aliud, & etiam sophysticæ propositionis, cuius finis est introducere semper falsitatem, sub apparenti veritate, quare nihil inde sequitur ex illatis successiuè in argumento, ergo &c.

*Quòd ens reale habeat varias passiones de ipso à priori demonstrabiles. Cap. XXXIII.*

HAbita ratione formali entis realis, & rationis, collocatis etiam omnibus, & quibuscumque, quæ imaginari possunt in proprio genere intētionis, sequitur quòd videamus communissimas illorum proprietates, entis dico realis, & rationis, vt entia sunt, iuxta doctri-

nam

nam Aristotelis 2. *Poster.C.*1. 1. *de Anima Tex.*3. 4.*Phys. Tex.*31. 4.*Meta. Tex.*4.

Verum, vt sufficienter, quod intendimus, assequi valeamus, probabimus in primis, quòd ens reale, & rationis habeant veras passiones, à priori de ipsis demonstrabiles, etenim si est ponitur prima omnium quęstionum, quæ in scientijs inuestigantur 2.*Poster.C.*1.

Difficultates, propter quas in præsenti quærimus, numquid dentur proprietates entis realis, vt ens, sunt quæ sequuntur.

Vnitas, veritas, &c. non videtur quòd habeant causam in ente, secundum quam possint de illo demonstrari à priori, sicut necessarium est in quacunque scientia 1.*Poster.C.*2. ergo ens non habet veras proprietates à priori demonstrabiles. Antecedens probatur.

Primò. Nihil potest subterfugere rationem entis; quia de omnibus quidditatiuè dicitur, vt supra *C.* 19. ergo pro saluanda vera causalitate, impossibile, quòd ens sit subiectũ dictarum passionum, quia sic idem esset subiectum, & sui ipsius etiam proprietas.

Secundò. Si aliqua causalitas in ente, illa saltem foret causa virtualis, idest ratio, quòd proprietates essent in ente, vt dictum est C.4. sustinẽdo causalitatem finis in Deo, quod tamen videtur falsum ex pluribus.

Primò. Si ratio, quòd sint proprietates realiter influit; ergo inter illas distinctio realis, quia *Arist.* ponit distinctionem realem inter causam, & causatum 5. *Metaph.C.ad aliquid*, quam certum est non dari, nisi extrema sint realiter distincta, sin autem influit secundum nostrum modum intelligendi, iam proprietates entis, cessante operatione intellectus, non consequuntur ens, nec de illo verificantur, nisi sicut genus de animali; ergo adhuc ens, vt ens, non est

vnum,

vnum, verum, &c. ſicut nec animal, vt animal, genus; ergo &c.

Secundò. Si ens cauſaret virtualiter influẽdo, ergo aliquid prius ſecundum naturam ipſo Deo, quia ens, vt ens, propter talem influxum realiter cauſaret vnitatem Dei; ſi quis diceret, quòd non eſt ens communiſſimè ſumptũ, quod cauſet vnitatem, ſed entitas Dei ſui ipſius cauſat vnitatem, virtualiter tamen.

Contra, ſi ſic, ergo ruit doctrina *Ariſtotelis C. de vniuerſali*, quando voluit, quòd in quærenda cauſa proprietatis, aſcendẽdum ſit ad prædicatum ſuperius, etenim hoc pacto poſſet dici, quòd ſufficit reſoluere cauſã riſibilitatis Petri, in propriam ipſius rationalitatem, & ſimiliter alias riſibilitates, aliorum abſque alia reſolutione in communiſſima, in rationalitatem, tamquam in cõmuniſſimam cauſam riſibilitatis; falſum eſt etiam, quòd vniuerſales effectus in vniuerſales cauſas debeant reſolui contra *Ariſto. 2. Phyſ. Tex.* 38. & quod magis eſt, ſi ſingula ſingulis eſſent referenda, iam Deus non eſſet vltimus, & vniuerſalis finis omnium rerum, quia pro ſingulis hoc pacto ſingulares fines ſufficerẽt, contra ea, quæ dicta ſunt C. 4. & tandem ens, vt ens, non eſſet ſubiectum cõtinens adæquatam cauſam, nec etiam virtualem ſuarum proprietatum, ſed ſingula entia ſingularum proprietatum.

Secundò. Proprietates non aliunde veniunt, quam à ratione formali ſubiecti, etenim principium demonſtrationis eſt, quid eſt *primo de Anima Tex.* 11. & diffinitiones, ex quibus non cõtingit cognoſcere accidẽtia ſunt inutiles; *ibidem*, ergo exiſtentia, quæ eſt formale ſignificatũ entis, ex dictis C. 6. erit adæquata cauſa vnitatis, &c. vel eſſentia, quatenus ſtat ſub exiſtentia, & ſecundùm ordinẽ, quem habet ad exiſtẽtiam, quòd ſi ſic; ergo etiam à ſimili poſſet dici,

quòd

quòd animal, vt stat sub rationalitate; vel vt dicit ordinem ad ipsam, sicut genus, ad suas species, & differentias, esset causa risibilitatis, quod tamē est falsum, tum quia 1. *Poster. Cap. de vniuersali*, docet Aristo. sistendum esse, quandò habemus subiectum adæquatum, & in illo inuenimus causam, per quam sibi, & cæteris conuenit proprietas demonstranda; tum etiam si animal, vt habēs rationalitatem esset subiectum risibilitatis, propter causam inclusam, ex limitatione, & contractione facta per additionem inferioris differentiæ, homo etiam posset dici subiectum adæquatum trinæ dimensionis, vt stat sub corpore, quod est genus in prædicamento substantiæ, & sic non essent assignabilia propria, & determinata subiecta proprietatibus, quia non minus animal, vt habens rationalitatem esset subiectum risibilitatis, & homo, vt corpus de genere substantiæ subiectum trinæ dimensionis, quàm ens, substantia, viuens, & omnia, in quibus essent causæ fundantes proprietates.

Tandem principaliter. Quidquid sit de ente circa causalitatem vnitatis, veritatis, &c. non videtur saltem, quòd talia possint esse proprietates adæquatæ, & conuertibiles cum ente, tum propter negationes, tum propter chimerica, & falsitates, quibus conuenit vnitas, veritas, &c. quamuis non sint entia realia; vnitas, quia hæc omnia secundùm se sunt indiuisa; veritas, quia intelligibilia, & intellectio non est capax, nisi veritatis; bona quia sibi ipsis maximè conueniunt, & sunt etiam alterius perfectiua, saltem intellectus; aliquid, quia ad inuicem, & ab ente reali sunt distincta; res, ratione, vt dicitur à dictione ratum, & firmum, saltem à [illegible]

Si quis diceret, quòd hæc omnia, & maximè negationes, fundant has proprietates, quatenus entia, saltem in ratione. Contra, & propter negationes primò illud debet esse subie-

subiectum veritatis, ad quod propriè terminatur actus intellectus, sed actus intellectus, dum intelligit negationes, solùm terminatur ad nihil, non ad entitatem rationis, negationi additam, quia propositio solum formatur de nihil, quando dicitur ab Aristo. 4. *Metaph. Tex.* 2. nõ ens, est non ens. Vlterius, ens rationis sequitur veritatem, quæ verificatur de negatione, & nihil, quatenus terminãt intellectum, & tamen non terminant, nisi quia prius sunt veræ negationes, & vera nihil, etenim semper ab eo, quod res est, &c. quare si entitas rationis sequitur illarum veritatẽ, iam non sunt vera, quia entia rationis, sed entia, quia prius vera. Idem verificatur de alijs transcendentibus, quæ significant positiuum, vt bonitas, quia semper oratio formata, secundùm quam fiunt entia rationis, supponere debet fundamentum relationis, secundùm rationem, à qua dicuntur entia. Idem sequitur circa falsitatem, & chimerica, quia & ipsa sunt vera, verus centaurus, vera falsitas, &c. & tamen hæc veritas non dependet ab entitate rationis, quia, vt dictum de negationibus, entitas rationis sequitur veritatem fundamentalem, quia potiùs est proprietas, quàm causa proprietatis.

Vt habeamus veritatis cognitionem considerandum, primò quòd in præsenti solùm loquimur de proprietatibus, quæ simpliciter, & sine disiunctione sunt cõuertibiles, cum ente, vno scilicet, vero, &c. tum quia de illis, quæ sub disiunctione verificantur, ĩdem .s. diuersum, necessarium, contingens, &c. alia oblata occasione erunt consideranda; tum quia si omne idem, & omne necessarium est vnũ, verũ, &c. non tamen è conuerso omne vnum, verum, &c. est idem, & necessarium; ergo vnum verum, &c. sunt priora; alia posteriora; ergo de prioribus tantummodò verba faciẽdo singularitatem omninò euitabimus.

Considerandum secundò, quòd duo necessariò requiruntur in passione, si tamen secundùm communissimam, & formalissimam rationem accipiatur passio, primò, quòd talis passio in aliquo genere causæ pendeat à subiecto, cuius dicitur passio, quia si subiectum nullam haberet causalitatem, nulla esset assignabilis ratio necessariæ connexionis passionis, cum tali subiecto, & sic non esset passio; secundò quòd sit demõstratiuè cognoscibilis de subiecto, per rationem subiecti; quia nõ aliter instituta est ars demonstratiua, quàm pro cognoscendis omnibus accidentibus per se, vt dicitur 1. *de Anima Tex*. 4.

Dixi accipiendo communissimam, & formalissimam passionem; tum quia in præsenti loquimur de proprietatibus communissimis entis, vt ad omnes primas, & secundas intentiones diffunduntur, quæ vt sic non nisi communissima in suo essentiali, & formalissimo conceptu vniri debent; tum quia si de proprietatibus minus communibus esset habendus sermo, duæ aliæ cõditiones, in aliquibus forent addendæ, prima quòd essent realiter distincta à subiecto; tum quia eiusdem ad se ipsum nulla est assignabilis causa in aliquo genere causæ, quæ sit realiter causa, non autem sola ratio, quòd alterum insit; tum quia, si essent idem realiter, & tamẽ vnum adderet aliquid realitatis supra aliud, vt homo in ordine ad animal, iam non esset passio, sed aliquid essentiæ, vt in exemplo hominis, & animalis; secunda quòd subiectum non ponatur in conceptu quidditatiuo, sed solum tamquam per additamentum, vt dicitur 7. *Metaph. Tex*. 18. & verificatur in exemplo hominis, & risibilitatis.

Dixi in aliquo genere causæ passionem dependere à subiecto, quia hoc non verificatur eodem modo in omnibus, etenim in quibus subiectum, & passio sunt realiter distincta, vt habentia existẽtiam propriam ad inuicem distinctam;

Subie-

Subiectum est causa realis formaliter in triplici genere causæ; materialis, quia, vt in potentia est susceptiuum passionum; efficientis, quia secundùm quod in actu, est illarum productiuum; finalis, quia semper accidēs appetit substantiam tamquam finem, cui coniungitur, & in qua perficitur. in quibus autem subiectum, & proprietas, sunt idem realiter, subiectum est causa passionis non formaliter, sed virtualiter, quia stante eorumdem identitate reali, conceptus obiectiuus habens rationem subiecti est fundamentum in se, secundum quòd iuxta nostrum modum intelligendi est ratio, quòd alius conceptus fundans passionem sit in suo subiecto, etenim talis conceptus obiectiuus habens rationem subiecti nō accipit in sui diffinitione conceptum obiectiuum passionis, sicut conceptus obiectiuus passionis accipit in sui diffinitione conceptum subiecti, & sic consequenter passio sequitur à subiecto, tamquam à causa, propter quam res est, iuxta diffinitionem scire 1. *Poster. C.* 2. & tandem per causam, tamquam per rationem, quòd aliud insit passio demonstratur, vbicunque tamen hæc iam dicta intelligantur de subiecto, quod habet veram rationem subijciendi, propter accidens, quod caret tali ratione, sed solùm habet ordinem causæ, & causati, quatenus vnum causa alterius, calidum, humidum, in ordine ad dulcedinem, superficies ad colorem, &c.

Aliquis dicere posset, qualiter semper subiectum causa effectiua, siuè formalis, siuè virtualis, quia si actus, propriū est agere, potentiæ proprium est pati *primo de generat. T.* 55. & 77. ergo materia, quia pura potentia nullam haberet proprietatem, & tamen ad ipsam sequitur ipsius passibilitas, & corruptibilitas compositi propter potētialitatem inclusam 1. *Periher. C.* 8.

Respondetur, quòd potentia materiæ est quidem adæ-

quata ratio possibilitatis ipsius, & prima radix corruptibilitatis in compositis, habita semper existentia materiæ à forma, tamquam conditione pro exercenda actuali passibilitate, & corruptione; Quando dicitur si sola potentia, qualiter istæ proprietates effectiuè veniunt propriè, & formaliter à materia ? siuè, vt quod, siuè vt quo. Respondetur, quòd licet pura potentia, tamen quia induit quemdam modum actus, eo quod nõ habet in potentia hanc intrinsecam rationem potentiæ, sed est actu potentia; inde participatione huiusmodi actus, virtuali operatione causat propriam ipsius passibilitatem, quod licet non sit propriè, & essentialiter efficere, est saltèm secundum participationem illud efficere, nũquã, vt quod, sed semper, vt quo, idest vt ratio, quod alia insint.

Quare semper subiectum est causa effectiua passionis, vel formalis, vel virtualis, extendendo rationem efficientis, etiam ad illam operationem, ad quam secundùm resultantiam sequitur aliud, quamuis, vt dictum est, taliter operari non sit propriè, nec formaliter, nec virtualiter agere, vel efficere.

Ad illud modò, quod principaliter intendimus in præsenti capite respondetur hisce conclusionibus, prima est hæc. ens reale, vt ens est, habet veras passiones, formaliter, & à priori demonstrabiles de ente, tamquàm de proprio, & adæquato subiecto. Hæc conclusio probatur, tum ex Aristo. 4. *Metaph. Tex.* 4. vbi legitur. *Scientia quædam, quæ speculatur ens, prout ens, & quæ ei per se insunt. Tex.* 5. *Ita enti, prout est ens, quædam propria sunt*; Tum quia vnitas, veritas, bonitas, &c. quæ conueniunt omnibus rebus, vt in sermonibus proprijs apparebit, iuxta regulam posterioristicam; Quod conuenit pluribus, &c. non nisi ad ens, vt ens est, tamquam ad subiectum adæquatum resolui possunt; tum

quia

quia aliter de quacunque re, quatuor quæsita formari non possent, quia sic deficeret quæsitum, quod, & inde etiam propter quid etenim 2. *Poster. C.* 1. propter quid quærit causam quæsiti quid.

Quòd si quis diceret, quòd in tali casu saltem daretur propter quid, quæsiti si est, etenim 2. *Poster. Cap.* 1. *Omnis quæstio est medij quæstio*. Immò si est, est demonstrabile per causam in superiori scientia, & quod plus est, etiam quæsiti quid, datur propter quid, etenim 2. *Poster. C.* 7. dicitur quòd potest demonstrari vnumquodque per aliud, tãquam per causam, sicut factum est 1. *Poster. C.* 2. quando demonstrauit Aristo. diffinitionem materialem per causam finalem, *& secundo de Anima Tex.* 24. primam diffinitionem quæ erat, quòd *anima est actus primus*, &c. per secundam, quia *anima est, qua viuimus, &c.* sicut faciendum dixerat *Tex.* 12.

Contra. Licet quæsitum propter quid simpliciter saluari possit ablato quæsito quid, vt dicitur in responsione, quæ datur, tamen ablatis proprietatibus entis, vt constat ex terminis ipsis, non saluatur quæsitum propter quid illius rei, de qua maximè intendit Philosophus 2. *Posteriorum*, quare, &c.

Secunda conclusio: Passiones entis non sunt realiter distinctæ à subiecto, & ente. Probatur; Nulla res est imaginabilis, in qua non includatur intimè ratio entis; quia accepto ente communissimo ad Deum, & alia, sicut in præsenti accipimus, si non includitur intimè in omnibus; ergo illud, in quo non includitur est nihil, eò quòd sub tali acceptione entis, verum est quidquid præter ens, est non ens, & nihil.

Tertia conclusio. Passiones non addunt aliquid reale contrahens, ad modum, quo species eadem realiter cum genere addit realitatem supra genus. Probatur. primò.

Tale sic contractum est particulare quoddam in ordine ad ens, sicut species ad genus; ergo non est proprietas conuertibilis cum ente, sicut nec species cum genere; ergo non est proprietas, quæ sit adæquata enti. Secundò ens, & bonum, æqualiter in decem genera diuiduntur 1. *Ethicorum C.7.* ergo proprietates entis, non adduntur enti, vt contrahentia ens, modo dicto. Tertiò. Nullum sic contrahens est contrahibile cum re, quæ contrahitur, quia licet essentia rei contractæ, vt generis maneat indiuisa, quando additur differentia diuisiua, & sic prædicetur de inferioribus, & sit tota in omnibus, tamen secundùm totalitatem potentialem, nec prædicatur de omnibus, nec tota est in quolibet indiuiduo, & inferiori, & tamē proprietates entis sunt conuertibiles cum ente, ergo &c.

Nec fiat instantia, quòd differentiæ sub disiunctione sunt cōuertibiles cū genere, dicēdo, quòd animal est rationale, vel irrationale, & è cōuerso, tū quia sic cōuertūtur, eo modo, quo conuertuntur iam nō habent rationem contrahentis, quia sic tollitur ratio contrahentis in re contracta; Tum quia transcendentia, de quibus loquimur, conuertuntur simpliciter absque disiunctione; tum quia si conuerterētur vnum, verum, &c. cum ente sub disiunctione, vt faciūt idem diuersum, contingens, & necessarium, contrahendo non possent addere aliquid reale ad modum, quo differentia additur generi, quia genus est extra conceptum differentiarum, etiamsi omnes sub disiunctione accipiantur; ens autem, quia quidditatiuè de omnibus dicitur, talem additionem realem admittere non potest.

Interrogabit forte aliquis, si passiones nihil reale addūt, quia ens intimè dicitur de ipsis, vnde habet, quòd vnum, verum, &c. sint magis proprietates entis, quàm prædicamenta? vel etiam modi, qui diuidunt ens, & constituunt

præ-

prædicamenta, ex quo ens etiam intimè dicitur de modis diuidentibus, ens de prædicamentis, & vltimis, etiam differentijs?

Respondetur, quòd conceptus entis si formaliter accipiatur est totaliter, & perfectè extra rationem formalem proprietatis, vnitatis, veritatis, &c. quia negatio diuisionis significata nomine vnius, & relatio rationis ad intellectum, immò ratio absoluta, quæ est constituens formaliter proprietatem veritatis, significatam nomine veri, & ad quam sequitur relatio ad intellectum, de qua in sermone particulari veritatis C. 39. sum dicturus, negatio etiam diuisionis, significata nomine vnius non includitur in conceptu entis, sed ens totaliter, vt sic est extra illa, etiam in prima operatione intellectus, sicut subiectum extra suam proprietatem, ratio autem formalis entis non est extra formalem rationem prędicamentorum, non modò quia ens intimè includitur in prædicamentis, sed etiam modi diuidētes ens, & constituentes prædicamenta propter analogicam similitudinem, quam habent in ente, includuntur in ente, vt dictum est C. 15. quare vnitas, veritas, &c. sunt passiones entis, modi, prædicamenta, & alia nequaquam.

Sed ex hac data responsione insurgit noua difficultas, si formales rationes proprietatum nullo pacto includātur in formalissima ratione entis; ergo vniuocè prædicabitur de illis, quia natura vniuocorum est, quòd illa ad quæ comparantur vniuocum simpliciter abstrahat ab illis.

Respondetur, quòd si accipiatur ens, quantùm ad formalissimam rationem entis, quatenus ens, & vt fundat proprietates, nec vniuocè, nec analogicè dicitur de formalissimis rationibus, vnius, veri, &c. quia si hæc includerent ens in sui formalissima ratione, iam proprietates forent bis ens, semel quia sic istæ rationes essent entia realia, & sic etiam

nihil

nihil adderent nisi ens; Iterum etiam quia proprietates non sunt istæ rationes formaliter, & absolutè, sed ens, quatenus stat sub tali indiuisione, &c. vt in sequenti conclusione.

Quarta conclusio. Completa ratio omnium passionum entis, includit quidditatiuè ens, solum vt stat sub formalitate dictarum passionum, & sic dicit vtrumque, nempè subiectum, vt fundat ipsas, & proprietates, velut formæ in subiecto additæ.

Quòd significetur vtrumque, probatur; Illud pertinet ad veram proprietatem entis, sine quo talis proprietas saluari nequit, sed non saluatur vnitas, &c. sub simplici ratione formali indiuisionis, quia hoc pacto, talis proprietas esset sola negatio, quæ sicut verificaretur de non entibus, chimericis, &c. proprietas esset magis communis ente reali, quare non entis proprietas, sed illius, quod esset commune ad entia, ad non entia, & chimerica, &c. Idem est de relatione rationis, quæ verificatur de quocumque intelligibili habente conformitatem ad intellectum; ergo non est sola ratio formalis, quæ saluat proprietates entis, non saluatur etiam talis proprietas in ente solùm, quia idē esset formaliter subiectum, & proprietas.

Quòd non significetur ens nisi, vt stat, & fundat proprietates probatur sic. Si proprietates, & passiones non dicerent formaliter, & completiuè ens, vt stat sub illis; ergo accipiendo aggregatum ex subiecto, & sui ipsius adæquata proprietate, fieret contradictio, quia tale aggregatum esset ens propter subiectum, non ens propter passiones, quæ dicunt negationem, vt vnum, & vniuersaliter non ens propter rationes formales, nihil entitatis realis addentes subiecto.

Posset aliquis dicere. Si proprietates entis dicunt vtrumque,

que, siue, vt aggregatum, siuè, vt subiectum fundat illas, & stat sub formalitate addita; ergo probando proprietatem de ente, tamquam de subiecto per rationem proprietatis, tamquam per medium, formabitur ratio tali pacto, iuxta diffinitionem vnius 10. *Meta. Tex. 9.* ens indiuisũ est vnum, ens est ens indiuisum; ergo ens est vnum, quare vel petitio principij, vel nugatio, vel vt euitentur talia incommoda, videtur quòd proprietas non possit dicere vtrunque; quare si auferatur subiectum, & accipiatur sola ratio formalis, formabitur altera ratio, sine nugatione, & petitione principij hoc pacto. Quod est indiuisum, est vnum, ens est indiuisum; ergo ens est vnum.

Respondetur, quòd ex doctrina tradita, nulla interuenit petitio, nec nugatio, in ratione iã dicta; Immò ex tali demõstratione magis cõfirmatur veritas cõclusionis propositæ; etenim ens dupliciter, accipitur vno modo absolutè, & sic præuenit proprietates, & habet rationem subiecti, alio modo, vt stat sub ijsdem proprietatibus, sub indiuisione, &c. modo exposito, & sic non habet rationem subiecti, quamuis sit idem realiter cum illo, & sic etiam partialiter concurrit ad constituendam rationem completam suarum passionum, quare constat, quòd in dicta ratione formata, sunt tres termini, secundùm rationem, & virtualiter distincti, habentes fundamentum in re; ergo nulla petitio, nec nugatio.

Vltima Conclusio. Ens, quod includitur modo exposito, & probato in conceptu suarum passionum, formaliter, & quidditatiuè concipitur in ratione formali completa tamen dictarum passionum, quod sic probatur. Ens quidditatiuè prædicatur de omnibus suis passionibus ex dictis C. 19. ergo passiones in illarum completa ratione non connotant ens, sed illud essentialiter continent; ergo &c.

Ad primam, & secundam difficultatem à principio factam respondetur, quòd quamuis non sit distinctio realis, sed solùm rationis, quòd aliud quid sit, & aliud sua proprietas formaliter, quamuis sint vnum realiter, & ens, & suæ passiones.

Ad primam instantiam contra id, quod rectè fuit accepiunt pro principio rationis contra difficultatem principalem, respondetur, quòd non est necessaria distinctio realis inter causam, & causatum, quando est talis solùm virtualiter, nec sequitur, quòd passiones sint entia rationis, sicut genus, & species, tum quia consequuntur ens reale, nullo intellectu considerante, non sic genus, species, &c. hominem, animal, &c. tum quia illud, quod est ens rationis in passionibus entis, est solùm formale distinctum ab ente, negatio scilicet in vno, proprietas verò, vt vnum, non est sola negatio diuisionis, sed totum istud ens, quatenus stat sub illa formalitate negationis, & formaliter in illa dicta passione continetur.

Ad secūdā, contra idem. Respondetur, quòd ex rationibus contra responsionem ibi allatam, vbique tenendum, quòd singula entia sint causa suarum proprietatum, quamuis omnia entia finita, ratione suarum entitatum, etiam dependeant ab ente infinito ex dictis C. 4. tenendū est etiam, quòd proprietates entis communissimè acceptæ, sicut nos in præsenti loquimur, causentur ab ente communissimè accepto. Ad difficultatem tamen, quæ sequitur; ergo illud tale communissimum est prius Deo. Respondetur, quod talis conceptus communissimi prioritas non est ex parte sui, vel rationum formalium ipsius Dei secundùm se, sed solùm secundùm nostrum modum intelligendi, quod idem est, ac si diceretur, quòd à nobis procedētibus à potētia ad actum, & cognoscentibus sub specie quidditatis materialis, à nobis,

bis, dico, priùs concipitur ens, quàm Deus, &c.

Ad tertiam adhuc contra idem; Respondetur quod existentia est quidem formale significatū, sed vt alias dictum, non essentiale, sed extra essentiam, substantiale tamen, & vltima actualitas realiter distincta ab essentia, quare si quid rei habet pro fundandis proprietatibus, illud solū est tanquam conditio, sicut generare, & vniuersaliter agere conuenit rebus cū hac conditione, quòd sint singulares, iuxta illud 1. *Meta. C.* 1. Actiones, ac generationes omnes circa singulare sunt. & sic proprietates, tamquam à re, quæ habet rationem agendi, & est propriè actiua, in essentiam resoluuntur, annexa semper existentia, tamquam conditione, sicut auctoritates allatæ, & rationes illud manifestant.

Ad alia incommoda; ergo animal, vt contractum ad rationalitatem, esset subiectum risibilitatis, & homo, vt habēs corpus de genere substantiæ esset subiectum trinæ dimensionis, & cætera, quæ sequuntur ad hæc. respondetur quòd talia, si quid probant, nunquam arguunt, quòd sint secūdùm quòd ipsa causæ illarum passionum, secundùm quòd est necessarium fore, ex Aristo. 1. *Poster. C. de vniuersali*, qui voluit semper resoluendas esse passiones in subiecta secūdùm quòd ipsa, quamuis, vtcunque possint dici causæ, quatenus vtcūque in se ipsis habent causam illarum passionum, nunquam tamen primò, & secundùm quòd ipsa, vt in præsenti contendimus, ergo &c.

**Ad vltimum, principali Gap. respondebimus, vt magis veritas solutionis appareat, quare &c.**

## *Numerus, ordo, & sufficientia passionum entis realis.* *Cap. XXXIV.*

CVM itaque passiones entis realis, ad modum aliarum proprietatum sequantur ens, tamquam proprium, & adæquatum subiectum, habita tamen hac differentia, quòd passiones entis non distinguantur realiter ab ente, & quòd ens semper sit illarum causa virtualis, sequitur, quòd in cæteris proportionalitate seruata, videamus numerum ordinem, & sufficientiam ipsarum.

Circa numerum, & sufficientiam, considerandum, quòd sicut accidentia omnia dependent à subiecto, vt quod, quia dicere animam irasci, simile est, si quis dicat eam texere, vel ædificare, quia legitur, 1. *de Anima Tex.64. melius enim fortassis est, non dicere animam misereri, aut addiscere, aut intelligere, sed hominem anima*, nihilominus eorũdem accidentium quædam sequuntur subiectum principaliter ratione formæ, vt intelligere; quædam ratione materiæ, quamuis propter potentialitatem, quam habet materia, illud sit, vt existentis sub forma, sicut masculinum, & femininum.

Idem philosophandum est circa numerum, & sufficientiam passionum entis realis, atque dicendum, quòd cum in ente reali tria dentur, essentia, existentia, & compositum, quod est ens participaliter sumptum, essentia, vt habens rationem potentiæ recipientis, existentia rationem actus constituentis in statu completo vltimæ actualitatis, & tandem ens habens rationem eius, quod est propriè existens, vt quod.

Ergo subiectum passionum, vt quod, est ens participali-

ter sumptum, tamquam id, quòd fundat, & recipit secundùm nostrum modum intelligendi, & virtualiter passiones communissimas; Rationes fundandi sunt essentia, & existentia, & sic quædam passiones sequuntur ens reale, tamquam proprium, & adæquatum subiectum, ratione vnius, quædam ratione alterius; ergo etiam multiplicata ratione fundandi, vt infra, quinque sunt passiones communissimæ entis realis. Vnum, aliquid, res, verum, & bonum.

Sufficientia harum quinque passionum in hunc modum formari potest. Passio entis realis, vel addit enti conceptum positiuum, vel negatiuum. Si positiuum, vel quatenus ens comparatiuè acceptum, natum est efficere differentiam cum alio, vel conuenientiam; si differentiam, vel vt comparatur cum altero ente reali, vel cum altero secũdùm rationem; Si conuenientiam, vel in ordine ad intellectum, in quo sunt omnia secundum esse immateriale, & intelligibile, vel in ordine ad voluntatem, in qua pariter sunt omnia, secundùm complacentiam, & affectionem.

Si conceptus additus enti reali est positiuus secundum conuenientiam entis ad voluntatem, talis conceptus sequitur existentiam entis, & dicitur bonum, si secundùm conuenientiam entis ad intellectum, talis conceptus sequitur essentiam, & dicitur verum, si secundùm differentiam, quatenus comparatur cum altero ente reali, talis conceptus sequitur essentiam, & dicitur aliquid; si secundum differentiam cum altero secundum rationem, talis conceptus sequitur essentiam, & dicitur res; si vltimò conceptus additus est negatiuus, sequitur essentiam, & existentiam simul, & dicitur vnum.

Vnum sequitur essentiam, & existentiam simul hoc pacto. Ratio vnius redditur completa ex eo, quòd ens fũdat du-

duplicem negationem, sui ipsius, dico diuisionis negationem, & aliorum etiam indiuisionis negationem, vt constabit *Cap. sequenti*; ergo ambæ negationes à diuersis originẽ habent: ergo sui ipsius indiuisio sequitur ens ratione existentiæ, ab alijs autem diuisio sequitur idem ens ratione essentiæ.

Diuisio ab alijs sequitur ens ratione essentiæ, quia essentia constituendo in esse specifico, & essentiali, etiam distinguit ab alijs, iuxta illud. Idem est principium constitutiuum, & distinctiuum.

Sui ipsius indiuisio sequitur ens ratione existentiæ, quia existentia est vltima actualitas, & semper indiuisio magis prouenit ab eo, quod est actu, quàm ab eo, quod est in potentia, tum quia diuisio, quæ tendit in infinitum prouenit à materia 3. *Phys. Tex. 67*. Tum quia Aristoteles *2. de Anima Tex. 7.* inquirendo causam vnitatis ex materia, & forma, propter quid scilicet ex corpore, & anima fieret vnum per se, quia illud quæsitum respiciebat solam, & simplicem corporis animati indiuisionem, ad interrogationem factam reddit actum pro causa, & dixit; *quod propriè est, actus est*.

Quandò dictum est, quòd diuisio ab alijs sequitur essentiam, illud intelligendum est principaliter, non totaliter, idest magis essentiam, ratione iam dicta; sui ipsius indiuisio magis existentiã, quia existentia est magis actus, quàm essentia, eo quod existẽtia est omnium actualitatum actualissima actualitas, & nulli rei comparatur, vt potentia, essentia verò ad existentiam comparata est habens rationem potentiæ.

Aliquid sequitur essentiam, quia aliud, à quo venit aliquid acceptum tamẽ, vt neutri generis significat alietatem in substantia, & distinctionem ab alijs secundũ essentiam.

Res

Res sequitur existentiam, quia esse est formale significatum entis, & solum iuxta diuersitatem existentiæ, vel realiter, vel secundum rationem, ens dicitur vel reale, vel rationis ...

Verùm sequitur essentiam; etenim ratio obiectiua intellectus est quidditas in actu exercito, vt habens annexam veritatem, nec nō vt abstrahens ab existere, quia, vt experimur, siuè existat illius obiectum, siuè non, tamen semper est intelligibile, & de facto intelligitur.

Bonum sequitur existentiam; etenim ratio obiectiua voluntatis est existentia in actu exercito, vt habēs annexam bonitatem, & quatenus non est abstrahens ab existere, quia adhuc experimur, quòd nihil amatur nisi, quia fuit, vel est, vel speratur fore, quod semper est includens in actu elicito à voluntate existentiam.

Vltimum ex propositis, ordo passionum entis est talis. Quodcunque absolutum est prius omni, & quocunque alio comparatiuè accepto, quia relationes fundantur in re absoluta, & ad illam sequuntur 5. *Metaph. C. ad aliquid.* Sed vnum quamuis negatiuum ratione indiuisionis, quam habet in se ipso nullam relationem ponit, vt faciūt aliæ quattuor passiones entis; ergo saltem, inspectâ ratione indiuisionis, vnum est prima passio entis.

Illarum, quæ addunt conceptum positiuum facta comparatione ad aliud, priores sunt illæ, quarum comparatio est ad omnia, posteriores, quarum comparatio est ad particularia, sed aliquid, & res addunt enti suos conceptus, secundùm quod ens ad omnia comparatur, aliquid ad omnia realia, res ad omnia secundùm rationem; verum autem, & bonum ad aliqua particularia, verum ad intellectum, bonū ad voluntatem; ergo aliquid, & res sunt passiones priores; verum, & bonum posteriores.

Illa-

Illarum, quæ addunt conceptum positiuum, facta comparatione ad omnia, semper est prior illa, quæ addit conceptum secundum quòd ens,& subiectum comparatur,cum omnibus sui generis .s. cum realibus, quàm cum alijs, quæ sunt alterius generis .s. cum entibus rationis,quia illarum subiectum, quod comparatur;& ad quod fit comparatio est reale, harum autem,ad quod saltem fit comparatio,est ens secundum rationem, vt in *Cap.* 36. & 37.constabit, sed realia semper præcedunt quæcunque secundùm rationem; ergo aliquid, quod addit conceptum, vt comparatur ad omnia realia est passio prior re, propter conceptum, quem addit res, vt comparatur subiectum ad omnia secundùm rationem.

Illarum vltimò,quę addunt conceptum positiuum,facta comparatione ad particularia, illa passio est prior, cuius obiectum, ad quod fit comparatio,est simplicius, & abstractus, sed obiectum intellectus, siue ratio obiectiua illius, quia dicit, quid est, & abstrahit ab existere, est simplicius obiecto voluntatis, siue ratione obiectiua illius, quia dicit existere, & semper induit si est, & existentiam in actu exercito; ergo stante prioritate obiecti intellectus in ordine ad obiectum voluntatis, etiam veritas est prior bonitate.

Ergo si enumerentur passiones entis,vt ordinatè sequuntur ens, inspecta sola, & simplici ratione formali ipsarum prima passio est vnum, secunda aliquid, tertia res, quarta verum, quinta bonum; ergo etiam de ipsis secundùm hūc ordinem in sequentibus erit disputandum, quare, &c.

Qua

## Qua sit ratio formalis, quam addit vnum supra ens reale. Cap. XXXV.

SVppositis rationibus formalibus proprietatum entis realis, vt communes omnibus, de quibus C. 33. quod modo pertinet ad rationem formalem, quam addit vnum supra ens reale, ponitur talis conclusio sustinenda.

Ratio formalis, quam addit vnum supra ens reale consistit in duplici negatione, diuisionis .s. in se ipso, & indiuisionis ab alio, acceptis tamen negationibus per modum priuationis; singulæ partes confirmantur, & primò quòd hæc ratio formalis sit negatiua.

Ratio formalissima vnius est, ad quam semper, quatenus secundùm quòd ipsam resoluuntur omnia, vtcunque habentia rationem vnius, sicut ratio formalissima animalis ad quam omnia quæque animalia, secundùm quòd ipsa resoluuntur, sed omnes modi vnius enumerati ab Aristo. *5. Metaph. C. 6.* tandem *Tex. 11.* resoluuntur in rationem formalem negatiuam, etenim *ibi* legitur. *Vniuersaliter namque quotcunque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur, vt puta si pro vt homo non habet diuisionem vnus est homo, &c.* ergo formalissima ratio vnius, est negatiua.

Vlterius si quid est non possumus cognoscere, multo minùs quid non sit, saltem apud illos, qui contendentes, quòd ratio formalis vnius sit positiua, arguunt ad probandum antecedens positum, tali pacto. falsum est, quod bonum non est bonum, quia verum quòd bonum, est bonum, *secundo Periher. C. 4.* notior est dictio, quam opposita negatio *4. Metaph. Tex. 16.* ergo si quid est non possumus cognoscere, multo minus quod non sit, tunc vltra; ergo si indi-

uisibile, quod dicitur de ratione vnius, propter id, quod legitur 10. *Meta.Tex.* 1. quòd verò indiuisibile vnum, si tale dico indiuisibile, est quid positiuum, vbicunque nō cognoscatur quid sit, neque quid nō sit poterit cognosci, & tamen indiuisibile non aliter cognosci potest, quàm per priuationem, *secundo de Anima Tex.* 25. ergo ratio vnius est negatiua.

Ergo etiam per dicta eorundem in præsenti ratione posita facilè tollitur responsio, quæ fortè posset dari ad primam rationem, videlicet quòd Aristo. 5. *Metaph.Tex.* 11. diffiniendo, vel describēdo rationem formalem vnius, vsus est negatione, vt occulta affirmatio illius per negationem cognosceretur; tollitur dico, talis responsio, quia secundum illos, si quid est non cognoscimus, multo minus, quid non est; ergo &c.

Altera pars, quod negatio in formali ratione vnius sit per modum priuationis, sic probatur. Negatio, quæ supponit subiectum, quod sit ens reale positiuum, non tamen habens aptitudinem ad formam negatam, & ad positiuum, quod tollitur per talem negationem est priuatio, vel saltem negatio per modum priuationis; Tum ex Aristo. 5. *Meta. Tex.* 27. Tum quia talis negatio, vt participans de negatione simplici, & priuatione propriè accepta, habet nomen, & rationem extremorum, nomen, & rationem simplicis negationis, quia non requirit aptitudinem in subiecto; priuationis propriè acceptæ, quia necessariò, & intrinsecè est negatio in aliquo subiecto, sed vnum, & indiuisibilitas, illius ratio formalis intrinsecè supponit ens, de quo dicitur, tum quia, vt C. 19. & 33. passiones entis quidditatiuè supponūt ens, quod essentialiter dicitur de illis, tum quia aliter vnum, de quo in præsenti, esset passio entis realis, & rationis, etiam immò & non entis; si passiones non supponerent subiectum,

quod

quod esset ens positiuum, & reale; ergo negatio nominis vnius significata est per modum priuationis.

Quòd talis negatio habens modum priuationis sit negatio diuisionis, patet ex Aristo. qui, vt supra voluit, quòd omnia haberent rationem vnius, quatenus diuisionem non habent.

Quòd vltimo vltra negationem diuisionis in se ipso adhuc intrinsecè, & formaliter vnum dicat negationem absolutè diuisionis ab omni alio ente, videtur quòd difficillimè possit sustineri, & hoc ex pluribus.

Primò. Si ratio vnius est negatiua, vt in prima ratione iam dicta, & Aristo. omnia vtcunque vna resoluit ad talem negationem indiuisionis, & ne verbum quidem de negatione diuisionis ab alio; ergo negatio diuisionis ab alio, non est de ratione vnius.

Secundò. Si distinctio ab alijs supponit id, quod distinguitur, & à quo distinguitur; quia negatio .s. distinctio, vel diuisio ab alio, sicut quælibet negatio fundatur in affirmatione; ergo prius est vnum, antequam diuisum ab alijs.

Tertiò. Ens non est vnum, quia diuisum ab alijs, sed diuisum ab alijs, quia indiuisum, & vnum; ergo &c.

Quartò. Si vnum dicit diuisionem ab alijs, vel est particulare ens, quod dicit talem diuisionem, vel vniuersale. Si primò, ergo ens transcendens non est illud, quod dicitur vnum, si secundò, vel istud ens communissimum, & transcendens dicit talem diuisionem à nihilo, vel à particulari ente, vel ab alio ente communissimo, vt illud, quod dicitur diuisum; non primò quia sic, vt constat diuisio non esset ab alio ente, sed à nihilo, cuius oppositum dicitur in conclusione probanda; non secundò, quia vt saluetur ens transcendens, esse vnum si esset diuisum à particulari ente, etiam

 esset

esset diuisum à se ipso, quia tale particulare continetur in ente communissimo; non tertiò, quia non potest fingi tale vniuersale communissimum, quod sit ens distinctũ ab alio ente vniuersali communissimo, quia non sunt imaginabilia duo vniuersalia communissima inter se distincta, quorum vnum non contineatur in alio, aliàs nullum esset communissimum; ergo &c.

Quintò. Ens, quando diuiditur à non ente, non diuiditur per aliam negationem, sed per se ipsum, sicut è contrario, non ens diuiditur ab ente, non per aliam negationem, vel affirmationem, sed per se ipsum; ergo quòd ens formalissimè diuidatur à non ente, nil aliud est, quàm esse ens; ergo diuisio ab alio ente, vtcunque dicta non est de ratione vnius; ergo &c.

His tamen non obstantibus, semper sustinendum, quòd vnum vltra indiuisionem entis, adhuc intrinsecè, & essentialiter dicit negationem ab omni alio ente.

Verùm, ne qua errandi occurrere possit occasio circa probationes faciendas, considerandum, quòd diuisio, quæ formaliter dicit negationem, vltra indiuisionem dupliciter potest accipi, vno modo quatenus est à contradictorio, sicut si diceretur: Petrus non est non Petrus, diuisio hæc inter Petrum, & non Petrum est à contradictorio, quia non Petrus, qui sit prædicatum in tali propositione negatiua, est nomen infinitum, significans quod est, quod non est, & tandem infinita, vt dicitur 1. *Perihermenias* C. 2. Petrus autem qui ponitur tamquam subiectum accipitur; vt alterum contradictorium; alio modo potest accipi diuisio, quatenus est ab omni alio ente absolutè, sicut si diceretur Petrus non est Paulus. Differunt hæ duæ negationes, quia prima tãquam à contradictorio est vniuersalior secũda, immò vniuersalissima, quia continet omnia, quæ excogitari possunt, etenim,

vt dictum est, est negatio eius quod est; & quod non est. Secunda negatio est particularis, & continetur in prima, sicut particulare in suo vniuersali, etenim implicat, quòd Petrus sit diuisus à non Petro, & non sit diuisus à Paulo, quia Paulus essentialiter est non Petrus, vt constat ex terminis.

Modò probatur, quòd vnum in suo conceptu quidditatiuo, & essentiali includat vtramque diuisionem à contradictorio, & etiam ab ente absolutè accepto.

A contradictorio tali pacto. Vnum, vt conuertitur cum ente, de quo in præsenti opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso; ergo nihil est vnum, quod non sit non multa, tum quia opposita priuatiuè non conueniunt, vt est notissimum; tum quia si quid est vnum, & illud vnum, non est non multa; ergo illud vnum est multa, quia multa, & non multa sunt contradictoria, & si multa, quomodo vnum? ergo vnum in suo conceptu dicit aliorum diuisionem; ergo &c.

Si quis diceret, aliud est, quod non sit multa, & sic diuisum à multis, aliud est, quod dicat diuisionem essentialiter à quocunque imaginabili ente, quod maximè debet probari, vt diuisio sit de essentiali conceptu vnius.

Contra; ergo vnum saltem includit diuisionem à multis, & sic ab aliquibus; ergo etiã quidditatiuè dicit diuisionem ab omnibus, quia quando ens includit diuisionem à multis, vel hoc est quatenus ens, & sic diuisionem in ordine ad omnia, quia quod per se tale, semper tale *primo Poster. C. 6.* vel quia ens non est illa multa; sed vnumquodque ens est nihil aliorum; ergo qua ratione ens est diuisum à multis, quia ens non est illa multa, etiam quia est nihil aliorum, est diuisum ab omnibus, & diuisum ab omni ente, est de intrinseca ratione vnius.

Secundò. Si diuisio à contradictorio non est de ratio-

ne

ne intrinseca vnius, saltem consequitur illud, tamquam posterius suum prius, sicut admittitur à sustinentibus oppositam sententiam; sed falsum est, quòd hæc diuisio sit posterior, & consequens; ergo est de essentiali conceptu vnius. Consequentia probatur. Omne necessarium, vel est in primo, vel in secundo modo per se; ergo cum sit necessariò annexa diuisio ab omnibus si non est in primo modo per se, & inde nec essentialiter; ergo in secundo, & ita sequitur vt posterius.

Modo probatur falsitas, quòd scilicet sequatur vt posterius; si vt posterius; ergo secundum esset demonstrabile per primum, diuisio inquam ab alijs, quia est indiuisum, idest quòd Petrus non est non animal, quia est animal, & hoc semper, quia quid est est principiũ demõstrationis *primo de Anima Tex.* 11. quare primum principiũ negatiuum ingrederetur formaliter demonstrationem. Homo est animal, & non est non animal, quia si negatio animalitatis est posterior affirmatione animalitatis, posset intelligi animalitas de aliquo, sine negatione non animalitatis, & sic nulla superfluitas adderet negationem contradictionis termino positiuo, quod tamen negatur ab Aristo. in terminis propositis 1. *Poster. C.* 8. ergo vnum essentialiter, & quidditatiuè includit negationem diuisionis à contradictorio.

Quòd vnum includat negationem diuisionis à quolibet ente, absolutè accepto, probatur hoc pacto. Quidquid est de ratione intrinseca superioris est, etiam cuiuscunque inferioris, quia omnia superiora prædicantur quidditatiuè de inferioribus *Porphyr. C. de specie.* Sed diuisio à contradictorio est de intrinseca ratione vnius per præcedentem cõclusionis partem; ergo diuisio, vel si magis placet negatio indiuisionis à quocumque contento sub ipso, est de intrinseca ratione vnius; sed contradictorium est non ens, vel non ani-

animal, quod propter infinitatem, vt supra dicitur de omnibus, quæ sunt, & non sunt; ergo vnum dicit diuisionem à quocumq; alio, quia semper, vt dictum est, omne, & quodcumq; quod non est illud, continetur sub illius nomine contradictorio, & infinito.

Fortè quis diceret, quòd si particularia quidditatiuè dicerentur de rebus, sicut vniuersalia, iam ex vniuersalibus non demonstrarentur particularia, sed æqualiter essent indemonstrabilia; ergo cum demonstretur diuisio à quolibet ente, quia tale ens continetur sub contradictorio, vt dicitur in ratione, sequitur quòd diuisio, quam dicit ens, vt vnum à quolibet alio ente sit posterior, & non de intrinseca ratione vnius.

Respondetur negando antecedens, tum quia vna diffinitio demonstratur per aliam *secundo Posteriorum Cap.* 7. & Aristoteles demonstrauit primam diffinitionem animæ per alteram *secundo de Anima Cap.* 2. & demonstrationis vnam diffinitionem per alteram 1. *Poster. Cap.* 2. tum quia aliud est demonstrare, quòd hoc particulare ens includat diuisionem ab alio particulari ente, quia ens illam habet à non ente, quod est vniuersalissimè sumptum, tamquam nomen infinitum, quod nos dicimus, & per illud communissimum probatum est idem de particularibus entibus; aliud est probare diuisionem à non tali, sequi, vt quid posterius, tamquam rationem formalem vnius, siuè in vniuersali accipiatur ens, siuè in particulari, & hoc est; quod negamus; indeque inferimus, quòd stante necessaria connexione talis diuisionis cum ratione vnius, semper talis diuisio, siuè à contradictorio, siuè ab ente absolutè accepto est de intrinseca ratione vnius; ergo &c.

Ad primam difficultatem contra hanc partem conclusionis probatam. Respondetur, quòd licet Aristo. solùm videa-

videatur loqui de diuisione sui ipsius, tamē vtramque diuisionem intelligendam voluit, tum quia dictio exclusiua ibi non fuit addita; cum quia si exclusionem etiam aliorum intellexisset Aristo. tamen nihil contra veritatem datam, quia si dictio solùm non excludit à concomitantibus iuxta regulas logicæ, minus intrinsecè, & essentialiter addita excludenda veniunt.

Ad secundam respondetur, quòd distinctio supponit quidem entia, tamquam subiecta, quæ fundant illorum proprietates, tamen ens non habet completam rationem vnius, nisi duplex negatio iam dicta intelligatur in ente, quod dicitur vnum, sicut homo, quamuis sit prior risibilitate, nunquam tamen erit risibilis, nisi intelligatur in illo aptitudo ad ridendum, quia hæc duo sunt necessaria ad intrinsecam rationem risibilitatis.

Ad tertiam negatur, quòd ens sit diuisum ab alijs, quia prius sit vnum, & indiuisum, & ratio negationis est, quia ex supradictis, pro completa ratione vnius adhuc requiritur altera negatio .s. diuisio ab alijs.

Ad quartam respondetur, quod ens particulare, & etiam communissimè acceptum dicit hāc duplicem negationem, ens particulare, vt de se patet, comparatum tamen ad aliud ens particulare, ens communissimè acceptum à contradictorio, quod non debet, nec potest esse aliud ens communissimè acceptum, sed solùm est habens rationem termini vniuersalissimi, & est contradictorium, vt negatio termini positiui .s. entis vniuersalissimè sumpti, quod distinguitur ab illo, vt faciunt contradictoria, & hoc formaliter loquendo, virtualiter autem si darentur duo entia positiua vniuersalissima, distinguitur etiam tale communissimum ab entibus particularibus, sicut totum à partibus.

Ad quintam respondetur, quòd vnum diuidi ab alio stat dupli-

dupliciter; vel formaliter, vel virtualiter omnia per se ipsa, & per suas entitates virtualiter distinguuntur, sicut homo per se ipsum est virtualiter risibilis, nunquam formaliter, nisi post additam rationem formalem risibilitatis, quæ est aptitudo ad ridendum, hoc pacto per rationem formalem vnitatis, quæ completur dicta duplici negatione, omnia sunt inter se formaliter diuisa, & in se vnum, ergo &c.

Noua difficultas occurrit pro tuenda hac duplici negatione, quia vel sunt ad inuicem istæ duæ negationes disparatæ, vel se habent, vt superior, & inferior in ratione actus, & potentiæ. si primò; ergo non concurrunt simul pro complenda ratione formali vnius, tum quia implicat, disparata, quia contraria, vniri posse 4. *Metaph. Tex.* 27. tum quia si imaginarentur diuersa solùm, vt albedo, & dulcedo, quamuis conuenirent, facerent vnum per accidens 5. *Meta. Tex.* 13. & sic ratio formalis vnius non esset vnum per se, nec physicè, nec metaphysicè, fingendo etiam compositionem, quæ est ex pluribus conceptibus; si secundò, ergo vna prædicatur de altera, sicut quodlibet superius de inferiori, quod tamen est falsissimum, quia diuisio ab alijs non est formaliter sui ipsius indiuisio, nec sui ipsius indiuisio est aliorum diuisio, vt constat ex terminis.

Respondetur, quòd duæ negationes iam dictæ se habẽt ad inuicem, vt magis vniuersalis, & minus vniuersalis, quia stat negatio diuisionis ab alio, absque negatione indiuisionis sui ipsius, etenim si accipiantur diuersa multa, vt multi homines ex vna parte, & multi leones ex altera, præscindendo ab illis sic diuersis vnitatem participatam, secundùm quam dici solet, non est multitudo non participans vno, & considerata simplici diuersitate inter eosdem homines, & leones, certum est, quòd æqualiter illi multi homines, & leones dicunt negationem diuisionis ad inuicem; quia vna

multitudo, non est alia, & tamen, vt sic ad inuicem diuisi, nulla necessitas indiuisionis eorumdem; immò implicat; quòd accipiantur, vt multa, quando diuidūtur ad inuicem, & sic habeant negationem indiuisionis, nunquam tamen est intelligibilis indiuisio sui ipsius, absque diuisione aliorū qualiter enim erit res indiuisa, si non sit diuisa ab alijs? quia si non est diuisa ab alijs; ergo est ipsa, & alia etiam, quia si non est vera negatio, quòd non sit illa; ergo vera affirmatio, quod sit illa, quia cōstat esse contradictoria; ergo se habēt, vt magis vniuersale, & minus, & negatio indiuisionis addita negationi diuisionis ab alijs est velut completiua rationis formalis vnius, & hæc est ratio potissima, per quam Aristo. resoluendo ea, quæ sunt vnum 5. *Metaph*, ad formalissimam rationem vnius solùm locutus est de negatione significata nomine indiuisionis; quia per rationem completiuam, velut vltimam differentiam, superiora de intrinseca ratione suorum inferiorum intelligenda esse voluit.

Ad difficultatem; si non prædicantur ad inuicem, quomodo rationem superioris, & inferioris. Respondetur, quòd si in abstracto non prædicantur, vt ponitur in argumento, in concreto tamen prædicantur, dicendo omne indiuisum est ab alio diuisum, non tamen omne ab alio diuisum est indiuisum, propter multitudinē dictam hominum, & leonum, immò diuersorum numerorum, quæ multitudines sunt ad inuicem diuisæ, & tamen in se ipsis non sunt indiuisæ, quia si indiuisæ in se ipsis, iam non essent multitudines discretæ.

Quare, stante huius responsionis veritate, iterum potest confirmari illud idem, de quo in precedenti capite, nempe, quòd indiuisio sequitur ens, ratione essentiæ, diuisio ab alijs ens ratione existentiæ, sic arguendo. Diuisio ab alijs est superior ad indiuisionem; ergo habet rationem potentiæ, in-

diui-

diuisio rationem actus, quia genus dicitur indeterminatum differentia determinata; ergo diuisio sequitur ens, ratione illius, quod est potentiale in ente, indiuisio ratione illius, quod est actuale, essentia comparata existentiæ habet rationem potentiæ, existentia, rationem actus; ergo diuisio sequitur ens ratione essentiæ, indiuisio ratione existentiæ; ergo &c.

*Quæ sit ratio formalis, quam addit aliquid supra ens reale.*
*Cap. XXXVI.*

FOrtè videri posset, quòd aliquid non sit transcendens distinctum ab vno, sed vel synonimum, vel cōplens adæquatam rationem vnius, quia si completa, & adæquata ratio vnius est, quòd vnum dicat indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio ex dictis in præcedenti capite; Aliquid, quia ex nominis significatione dicitur aliud quid, quod nil aliud est; quàm esse distinctū ab alio; ergo aliquid non distinguitur ab vno.

Tamen, quia communiter rectè sentientes ponūt aliquid inter alia transcendentia, & maximè Aristo. doctrinæ est conformis horum sententia; differentia, vel vt rectius loquar diuersitas, quæ est inter distinctionem ab alio, significatam nomine vnius, & aliquid, est exponenda, & successiuè quid formaliter nomine aliquid addatur supra ens reale.

Sciendum itaque, quòd alietas inter diuersa multipliciter significari potest, iuxta doctrinam Aristo. 2. *Poster. Cap.* 14. contra antiquos, qui imaginabantur, quòd id, à quo aliquid non differt esset idem ei, illud autem, à quo differt, alterum ab ipso, *ibi* enim manifestè constat ex Aristotele, quòd non quauis differentia res sunt diuersæ; ex eo quòd di

plures jisdem rebus insunt specie differentiæ, non tamen per substantiam, neque per se.

Sequitur ergo ex multiplici significatione alietatis, quòd ens possit esse distinctum ab alio, vno modo simpliciter, & vtcumque à nõ ipso, siue positiuè, siue negatiuè ens ab alio distinctum esse dicatur; alio modo, quòd alietas, & diuersitas significata sit solum in essentia, & substantia, quasi quòd in dictione aliquid duo comprehendantur, etiam iuxta nominis acceptionem, quando dicitur aliquid, idest aliud quid; alietas simpliciter dicta positiua tamen per illam vocem, aliud, alietas substantialis per vltimam vocem, quid, secundùm quod rei essentia dicitur quidditas.

Vnum itaque, iuxta hanc doctrinã, significat indiuisum à se ipso, & diuisum ab alio iuxta primum modum distinctionis. Aliquid verò significat, quòd talis distinctio non fit, vtcumque à non ipso, nec positiuè, nec negatiuè, sed iuxta secundum modum distinctionis, in quantum aliud quid, vt est neutri generis significat alietatem in substantia, & distinctionem secundùm essentiam communem, velut informem, & quasi determinabilem per plures formas singulares.

Ad confirmationem, & meliorem etiam prædictorum intelligentiam considerandum, quòd oppositio inter affirmationem, & negationem, quamuis sit omnium maxima, ex his, quæ dicuntur *Cap. de oppositis*, tamen, quia veritas negatiuæ supponit veritatem affirmatiuæ, & in ea fundatur *1. Periher. C. 4.* tum quia non aliter est verum, quòd homo non sit irrationalis, nisi quia verum, quòd est rationalis, etenim ad affirmationem semper sequitur opposita negatiua, non tamen è conuerso, quia si lapsis non est irrationalis, non sequitur quòd sit rationalis; ergo si aliqua distinguuntur ad inuicem, necesse est, quòd illorum distinctio intelligatur

per

per aliquam oppositionem duarum affirmationum.

Modò distinctio illorum, quæ sub eodem genere sunt, quia non est nisi per oppositas formas eiusdem generis, si tamen sit sermo formalis distinctionis, vt in præsenti intendimus, & non nisi ab illis, quæ sunt sub eodem genere, aliquid distinguere potest, quidquid sit postmodum de distinctione negatiua ab omnibus rebus non habentibus talem naturam, & essentiam intrinsecam, quia si formaliter distinguerentur etiam à speciebus extra suum genus, illo casu distinctio non esset proprietas illius entis particularis hominis v. g. quia, vt constat, semper proprietas est posterior suo subiecto, risibilitas homine, & tamẽ talis distinctio conueniret rebus sic distinctis, quatenus resoluerentur illa sic distincta in aliquod superius, iuxta regulã posterioristicam, quod vni non per aliud, illud ratione communioris, &c. quod tamen in præsenti non est intelligibile, vt constat ex rationibus terminorum.

Quòd si sic, ascendẽdo à specialissimis ad generalissima, iuxta doctrinam *Porphyrij C. de specie*, nulla distinctio positiua per oppositas formas cuiusuis generis haberi potest, secundùm quam entia distinguãtur ab omnibus simpliciter, propter transcendentem naturam entis super omnia prædicamenta; ergo nihil imaginari potest, quod fũdet proprietatem aliquid, iuxta modum supra positum, secundùm essentiam, & naturam communem omnibus in vniuerso, nisi ens secundùm, quòd ens, quia quæcunque alia distinctio, vt supra, vel est solùm negatiua, vel si formalis, non omnia, vtcunque excogitata formaliter distinguere potest, propter particularem essentiam, & naturam cuiuscunque rei infra ens, vt est transcendens ad omnia prædicamenta; ergo aliquid, non est proprietas entis synonima cum vnitate; ergo &c.

Oc-

Occurrit talis difficultas, si distinctio formalis, & positiua non est, nisi inter ea, quæ sub communi aliquo cõtinentur, qualiter ens fundat hanc proprietatem entis, quæ est aliquid, si nihil potest dari, quod sit disparatum cum ente, quia sic tale ens imaginatum non esset illud communissimum, quod primò cadit in intellectu?

Respondetur, quòd talis proprietas, distinctio. s. nomine aliquid significata dependet quidem ex ente in eo, quòd ens, quia nullum ens determinatum potest distinguere, vt faciat aliud quid, idest essentialem distinctionem modo exposito, secundùm quod ens; tamen distinctio hæc, & proprietas, non exercetur; nisi ens descendat ad sua inferiora; sicut etiam relationis esse, est ad aliud se habere; tamẽ hoc pacto se habere ad aliud, non exercetur nisi relatio descendat ad sua inferiora, vt communiter accipitur à rectè cognoscentibus illa, quæ maximè pertinent ad metaphysicam; ergo &c.

Circa illud, quid formaliter addat aliquid supra ens, considerandum, quod nullum ex transcendentibus, quia potest addere aliud, quàm relationem secundum rationem vel negationem, eo quòd non est imaginabilis aliqua res naturæ, in qua non includatur intimè essentia entis; Iam sequitur, quòd aliquid, quia nomẽ positiuum, si quid addit supra ens, illud tale additum sit relatio rationis, verùm quia hæc relatio, aliquid, nomine aliud quid, connotata est, & ipsa distincta ab ente, saltem vt res secundùm rationem ab entitate reali; ideo dupliciter loqui possumus de ratione formali, aliquid; Vno modo, formaliter pro relatione secundum rationem, alio modo pro fundamento relationis; quando itaque dicitur, quod talis ratio aliquid, significata nomine relationis secundum rationem additur enti, non intelligitur in hoc sensu, quòd sola relatio rationis princi-

pali-

paliter, vel formaliter significentur nomine, aliquid, sed quod solum fundamentum huius relationis sit propria ratio formalis, aliquid, etenim quandam rationem formalem exprimit tale fundamentum, quæ nomine entis, vt ens non exprimitur, relatio autem rationis solùm additur, vt cointellecta huic fundamento, & idem fundamentum consequens.

Ergo ratio formalis, aliquid, quod est proprietas entis realis est quid absolutum, & velut medium inter ens, & relationem, ad quod absolutum sequitur relatio secundum rationem, connotata tam in conceptu formali, aliquid, quia ratio formalis, aliquid, quamuis absoluta; ex quo tamen relatiua secundùm dici, non est intelligibilis sine relatione consequente; sicut nec scientia, quia & ipsa relatiua secundùm dici, absque relatione ad scibile intelligi nequit; ergo vltimò, nec aliter, nec alio modo debent accipi, quæ dicta sunt *Cap.* 33. & maximè quarta, & vltima conclusione, sed hac de re amplius dicemus *C.* 38. & 39. quare, &c.

## *Quæ sit ratio formalis, quam addit res, supra ens reale. Cap. XXXVII.*

QVIA ex distinctione, quæ cernitur inter diuersa natura, & formalis ratio distinctorum à posteriori inuestigari solet; illud enim, à quo species differunt, *ex Porphyrio Cap. de differentia,* est, quod ad esse conducit, quodquid erat esse, & rei pars; Explicandum itaque erit per quid distinguatur res; tum ab ente; tum à ceteris proprietatibus entis, vt inde ratio formalis rei perfectè cognosci possit; Verùm, vt hoc facilius assequi possit, prius proponemus difficultates, quæ contra verita-

tem probandam facere videntur; dubitabitur ergo, vt infra.

Primò. Ens significat esse, ex quo esse formale significatum entis, sed res significat essentiam, quia ex communi opinione res desumitur ab essentia; ergo res est idem, quòd ens nominaliter, quod significat essentiam, sed ens nominaliter non est proprietas entis, quia sicut principia rerum compositarum sunt priora rebus compositis, proprietas entis esset prior ente, quia ens componitur ex esse, & essentia; ergo res non est proprietas entis, sed idem, quod essentia.

Secundò. Res solum dicitur de formali rei quidditate, & rata, seu reali essentia rei, sed formalis quidditas non est proprietas, sed essentia entis; ergo res non est proprietas transcendentalis entis.

Tertiò. Nomen rei semper sumitur pro ente reali, nisi aliter occurrat, materiæ gratia iuxta illud *Porphyrij vtili existente harum rerum speculatione*. etenim voces, quæ formantur ex nomine rei, v. g. Realiter, reale, &c. pro solo ente reali accipi solent; ergo reale potius est expressiuum naturæ entis, quàm quòd illius proprietas dici possit; ergo &c.

Circa distinctionem rei ab ente, & cæteris proprietatibus non est, quòd recedamus ab illis, quæ dicta sunt *Cap.* 34. quidquid sit de difficultatibus propositis, tum quia ex dicendis apparebit, quòd res non potest habere aliam naturam, & rationem formalem, nisi quam ibidem diximus, tum quia, & quæcunque contraria, facillimè solui possunt.

Cæterùm ne falli contingat circa modum, quo res dicitur ab essentia, animaduertendum, quòd non sic dicitur ab essentia, sicut ens ab existentia, etenim ens dicitur ab existen-

ſtentia, tamquam à ſuo formali ſignificato, iuxta modum explicatum *Cap. 6*. Res autem non dicitur ab eſſentia, tamquam à re formaliter ſignificata nomine rei, quia ſic res, & ens nominaliter, vt videntur probare argumenta contraria, non diſtinguerentur, ſed res, & ens nominaliter ſemper eſſent ſynonima; dicitur autem res ab eſſentia, tamquàm à ratione ſui formalis ſignificati; & ſicut proprietas dicitur à formali ſignificato ſubiecti eo modo, quo riſibilitas ſolet dici à rationalitate, non tamquam à ſuo formali ſignificato, quia vt conſtat riſibilitas non habet pro formali ſignificato rationalitatem, ſed ſolam aptitudinem ad ridendum; ſed à rationalitate tamquam à ratione ſui formalis ſignificati, quatenus rationalitas includit virtualiter, & intrinſecè rationem formalis conceptus riſibilitatis; ergo res dicta ab eſſentia ſignificat conceptum formalem diſtinctum ab alijs proprietatibus entis, & ab ipſo ente, ſecundùm quòd ens reale comparatiuè, & relatiuè acceptum, natum eſt facere differentiam cum ente rationis, mediãte eſſentia, tamquam radice formalis ſignificati rei.

Dico comparatiuè, & relatiuè, tum quia res eſt nomen poſitiuum, & non eſt fingere, quam negationem ſignificet, & ſi poſitiuum, iam ſola relatio rationis, quia vt *Cap. 20* ſola relatio rationis eſt ens rationis poſitiuum; tum quia differentia, quam includit ens reale, vt diſtinguitur ab ente rationis, non poteſt exerceri, niſi facta relatiua comparatione entis realis, cũ ente rationis, nec aliter ſignificari, quàm nomine rei, vt ſignum talis relationis exercitæ, quia ſi dictio, Res, idem ſignificat ex omnium conſẽſu, quod habẽs eſſe ratum, firmum, ſolidum, &c. ergo illud ens dicendum eſt res. ideſt habens eſſe firmum, ratum, &c. quaſi abſque alio opere intellectus in ordine ad aliud ens, nec firmum, nec ratum, & non habens eſſe, niſi ex opere intellectus, quale

le est ens rationis, sicut magnum significando excessum quantitatis dicitur tale in ordine ad paruum, & paruum significando defectum dicitur tale in ordine ad magnum ex *Arist. C. de quantitate.*

Id, quod dicitur, facilè in hunc modum manifestari potest; magnum, & paruum dicuntur ad inuicem comparatiuè, quia eadem res diuersis inspectis est magna, & parua; Item quia quãtitas ijsdem rebus communis sic se habet ad illa, quòd vna excedendo ad alteram dicitur magna, & è conuerso altera parua, quia ab altera deficit, sed in ente reali comparato ad ens rationis hæc duo verificantur, ergo comparatio relatiua proportionaliter erit in ente reali, & in ente rationis.

Minor patet quò ad primam partem, quia cum sint diuersi gradus entis realis, & rationis; quædam namque in sui completa ratione nulla indigent existentia secundùm rationem, substantia, quantitas, &c. quædam solam habent existentiã secundùm rationem, relatio generis, speciei, &c. quædam aliquid realis, & rationis, vt tempus, &c. ergo idem ens ad vnum comparatum potest dici reale, ad aliud rationis.

Probatur altera pars eiusdem minoris. esse, & existentia vt supra est formale significatum entis, sed reale, & rationis conueniunt in esse obiectiuo, quia proportionaliter ambo intelliguntur, & terminant actum intellectus, reale autem excedit ens rationis in hoc, quòd vltra esse obiectiuũ, quod est commune vtrique, adhuc habet esse ratum, solidum, &c. quasi per se existens, etiam si nullus concurrat actus intellectus, rationis verò non, quia solùm existit concurrente actu intellectus; ergo ens reale comparatum enti rationis dicit excessum existentiæ, ens rationis eidem enti comparatum dicit defectum existentiæ, vel si magis placet excedentem

den-

dendo magnum, & paruum etiam ad non quanta, iuxta illud, idem est maius, quod perfectius, quia modò ens, vt est analogum proportionale ad ens reale, & rationis est perfectius in ente reali, eo quod enti reali conuenit absque alio opere intellectus, imperfectius in ente rationis propter carentiam existentiæ realis, vt dicitur 4. *Metaph. Tex.* 2. ergo ens reale est res, idest habens esse ratum, &c. vt relatiuè comparatum ad ens rationis.

Cauendum pro completa ratione formali Rei, quòd hæc relatio rationis significata nomine rei, non accipiatur, vt formalis proprietas entis realis, quia, vt magis dicemus *Cap.* 39. & 40. fundamentum proximum huius relationis, quod exprimit conceptum nullo pacto expressum in formalissima ratione entis realis, vt ens, est illud, quod est vera, & formalissima proprietas entis realis, significata nomine rei, relatio autem rationis, quæ additur enti est solùm consequens, & connotata nomine rei.

Ad primam, & secundam difficultatem, iam patet responsio; quia ens reale non dicitur res ab essentia, tãquam à ratione formali significata nomine rei, sed solùm à ratione sui formalis significati, vt supra, quare, &c.

Ad tertiam respondetur, quòd nomen rei sumitur ab ente reali, & in solis realibus vsurpatur; vel quando desumitur ab essentia habente esse ratum, &c. vel quia talis est promptissima significatio accepta nomine rei, solùm ex eo, quòd voces, & nomina simpliciter probata in potiori significatione accipi solent; ergo &c.

## *Quæ sit ratio veritatis propriè, & formaliter.* Cap. XXXVIII.

DVO circa veritatem inuestiganda occurrunt, ratio veritatis propriè, & formaliter, ratio successiuè veritatis rei, ex talibus siquidem cognitis constabunt necessaria circa veritatem, vt est proprietas entis realis.

Quod pertinet ad veritatem propriè, & formaliter, quia de veritate rei sequenti capite sumus dicturi, dicendum est, quòd ratio formalis, & adæquata huius veritatis est adæquatio rei, & intellectus, vt cognita in actu exercito, quod sic probatur. Omnes, qui de hac veritate loquuntur, vel ipsam diffiniendo, vel vtcunque aliquid de ipsa concipiendo, semper respectum ad cognoscentem concipiunt, sed hic respectus stat in adæquatione intellectus, & rei cognitæ in actu exercito; ergo &c. minor clara quia nullus alius respectus imaginari potest inter rem cognitam, & cognoscétem, vt cognoscens est, nisi respectus adæquationis, & similitudinis.

Secundò. Si illud statuendum est formale significatum cuiuscunque rei, cui primò, & perfectissimo modo conuenit esse tale, iuxta illud *secundo Metaph. Tex. 4. vnumquodque verè maximè idipsum aliorum dicitur, secundum quod, & in alijs inest vniuocatio.* & 10. *Metaph. Tex. 2. Maximè autem mensuram esse vniuscuiusque generis primam.* Modò quia relatio adæquationis, quæ est formaliter veritas, imperfectissimo modo est in cognoscente, etenim cognoscens, attingendo vitaliter obiectum cognitum, fit illud idem obiectum realiter in esse cognoscibili, & immateriali 3. *de Anima Tex. 11.* ergo veritas existens obiectiuè, & vt co-

cognita in actu exercito in potentia cognoscente, ibi aderit perfectissimo modo, tamquam in subiecto primo formali, & adæquato; ergo veritas formaliter, & propriè significat pro ratione formali respectum similitudinis, & adęquationis ad cognoscentem; ergo etiam si licet extendere sermonem ad omnem, & quamcunque veritatem, etiam dico ad veritatem, vt rei proprietas, semper eumdem respectum significabit ad cognoscentem, tum quia non est possibile, quod primū analogatum significet terminum formaliter, cætera autem per attributionem ad illud non significent etiam relationem ad eumdem terminum, tùm quia medicina respiciendo sanitatem animalis, quatenus sana, est causa non modò sanitatis, sed etiam adæquationis humorum, & vrina etiam signum dictæ sanitatis, & adæquationis; tum quia vniuersaliter quodlibet respiciens aliud, vel dicens respectum ad aliud, necessariò relationem, etiam intrinsecè contentam in termino, qui respicitur, dicere tenetur.

Quòd veritas essentialiter, siue formaliter, quando dicitur, quòd est relatio adæquationis intellectus cum re intellecta, semper intelligatur non de relatione formaliter, sed semper fundamentaliter, sicut dicitur risibilitas est ratio formalis hominis, non formaliter, sed fundamentaliter, & hoc, quia sicut veritas rei, vt in sequenti capite non potest significare formaliter relationem, sed solum fundamētum relationis rei cognitæ ad cognoscentem; sic veritas formalis cognoscentis, quæ dicitur propriè, & formaliter veritas, est relatio fundamentaliter, idest fundamentum primum relationis adæquationis cognoscentis ad rem cognitam, quare &c.

Cæterùm, quia in præsenti solùm loquimur de veritate formaliter, & propriè, vt à principio dictum, est considerandum, quòd talis veritas respiciendo cognoscentem, &

ex sui formali ratione significantem hunc respectum, & relationem; nō est ęqualiter, & eodem modo in omni cognoscente, nec in quocunque actu, etiam virtutis cognoscitiuę, si occurrat, quòd plures actus cognitionis eliciantur à tali virtute cognoscitiua, vt in homine attingente obiectum; aliquando prima operatione, aliquando secunda, quod sic manifestatur descendendo à primo cognoscente; vsque ad vltimum, à Deo s. vsque ad sensus extrinsecos.

Deus est totum suum intelligibile in actu secundo, etenim 12. *Metaph. Tex.* 39. legitur, *& vita, utique existit Deo, etenim actus intellectus vita illud autem ipse actus est actus autem, quod secundum se illius vita optima, & sempiterna, hoc enim Deus Tex.* 51. *si non est intelligentia, sed potentia rationabile est laboriosum esse, ei continuationem intelligendi esse*, & paulò inferius, *ergo se ipsum intelligit, siquidem est potentissimum*; Quòd si Deus est totum suum intelligibile; ergo in Deo est summa veritas; Tum quia *Tex.* 39. legitur: *Si igitur ita benè se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est, quòd si magis, adhuc admirabilius est, & ita se habet*; tum quia omnis, & quæcunque entitas, immò negationes, futura contingentia, actus voluntatis, infinita, vilia, & etiam mala quæcunque, quomodolibet imaginabilia; necessarium est, quod ab ipso, perfectissimo modo cognoscantur, & attingantur, omnia tamē semper in essentia cognita; eo quòd saluari non possent, quæ probata sunt *Cap.* 3. ad mentem Aristo. quòd Deus est habens virtutem infinitam intensiuè; quod est sua essentia, suum esse, & omnia alia, quæ ad hæc consequuntur in Deo; ergo veritas perfectissimo modo est in Deo, etiam vt cognita in actu exercito, posita tamen in simplici ipsius intelligentia, eminenter habente omnem perfectionem, ratione simplicis intelligentiæ, affirmationis etiam, & negationis,

 siue

fiue compositionis, & diuisionis.

Intelligentiæ (vbicunque tamen mens Aristo. in præsenti sit sequenda) quia substantiæ immateriales, etenim legitur 12. *Metaph. Tex.* 30. *Igitur oportet tales esse substantias sine materia*, per solam ipsarum substantiam, & essentiam vnitam in esse intelligibili, vt principiũ formale effectiuum cognitionis, se ipsas intelligũt, & sibi ipsis sunt obiecta proportionata, etenim legitur 3. *de Anima Tex.* 15. *In his, quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quòd intelligitur.*

Deum autem, & superiores intelligẽtias, eo quod obiecta eleuata supra illarum essentiam, intelligunt per contactum Diuinæ substantiæ, & superioris intelligentiæ, sicut per contactum, & participationem idearum, fingebat Plato, quod intellectus noster propria obiecta intelligeret, etenim legitur 12. *Meta. Tex.* 39. *susceptiuum enim intelligibilis, & substantia actuatur autem habens.*

Inferiora vero, & maximè quidditates rerum materialium intelligunt in illarum essentia cognita, vt effectus in causa, etenim siue loquamur de ipsis, vt sunt motrices per modum efficientis, siue per modum finis, semper sunt causa omnium, quæ fiunt in vniuerso; iuxta illud 1. *Meteororum Cap.* 3. *necesse est mundum inferiorem continuum esse lationibus superiorum, vt inde omnis actio gubernetur.*

Dixi per modum efficientis, & finis, tum quia Aristo. 12 *Meta. Tex* 48. dat intelligere totidem substantias separatas, mouentes per modum finis, quot sunt motus, qui apparent in Cœlestibus; tum quia si ex dictis 8. *Phys. Tex.* 45. & c. habetur, quòd intelligentia vnita cælo mouetur per accidens, & quòd motus vniformis, & regularis necessariò venit ab immobili per se, & per accidens; ergo præter intelligẽtias mouentes effectiuè, necessariò aderunt mouentes per modum

dum finis, hæc enim sola mouent, nō mota dicebat Aristo. 4. *Metaph. Tex.* 37. ergo veritas, vt cognita, etiam in actu exercito est in intelligentijs, minùs tamen perfectè, quàm in Deo, tum quia in ordine ad Deum, & ad superiores habent rationem potentiæ; tum quia in ordine ad inferiora, non omnia ab ipsis intelliguntur, futura namque cōtingentia, etiam cogitationes cordium, vel penitus sunt ignota ab ipsis, vel si cognoscuntur, illud est solum, vel per coniecturas, vel per effectus, quod semper facit illarum cognitionem imperfectam, si ad Deum comparetur.

Intellectus hominis, quia est pura potentia in genere intelligibilium, & intelligentium, iuxta illud 3. *de Anima Tex.* 5. *quare nullam habet naturam, nisi quòd possibilis*; ergo vitaliter attingendo obiectum intelligibile, illud solum cognoscit per speciem, quia dicitur 3. *de Anima Tex.* 38. *anima non nisi per speciei susceptionem est omnia*; ergo etiam veritas est quidem in prima operatione, vt cognita, aliquando in actu signato tantùm, quia ibi nullus exercetur æqualitatis, aut inæqualitatis respectus, etiam in secunda operatione, quia si dictus æqualitatis, vel inæqualitatis respectus intrinsecè, & formaliter includitur, vt exercitus, veritas adhuc in actu exercito est cognita, non tamen ita perfectè, sicut in intelligentijs, quia quò maior, & intimior est vnio, eò perfectior est informatio, vt in intelligentiis.

Cogitatiua, quia est suprema inter sensitiuas, & sic particeps intellectus, eo quòd ab Aristo. 3. *de Anima Tex.* 20. appellatur intellectus passiuus, immò ex tali participatione, quia est potēs formare syllogismos particulares, & expositorios, & quòd magis est, quia Aristo 2. *Poster. Cap.* 15. voluit, quòd ad faciendum obiectum vniuersale in actu perfecto, quòd prius daretur experimentalis cognitio sæpiùs frequentata circa particularia, exemplo exercitus dispersi,

quan-

quando iterum fit principium pugnę, secundùm quod vnus stat post alium, & multi successiuè; ergo ex tali participatione intellectus cogitatiua est vera, etiam, vt iudicatiua veritatis in actu exercito, quamuis non nisi imperfectè, tum quia sic solùm participat de virtute collatiua intellectus; tum quia non est potens exercere iam dicta, nisi, vt continuata cum intellectu, tum quia solus intellectus naturas rerum cognoscendo, nec non sui ad easdem æqualitatem absolutè cognoscit veritatem, propterquod dici solet in sensu, vt sensus est; non est veritas formaliter, sed vt intellectus participatiuè.

Cæteri sensus vltimò, vt appræhendunt rem, sunt veri, quia sic in tali apprehensione est veritas propriè, & formaliter, eo quòd si intellectus est propriè, & formaliter verus, ex eo quòd est iudicatiuus, & ad tale iudicium sequitur relatio æqualitatis ad obiectum cognitum, idem erit de sensu, vt est iudicatiuus de proprio actu, iuxta necessitatem talis iudicij datam ab Aristo. 2. *de Anima Tex.* 144. quamuis hoc sit, vt continuatur cum sensu communi, qui se habet ad extrinsecos, vt centrum, & omnium commune principium, vt dicitur *Tex.* 149. ergo veritas formaliter, in hisce sensibus, tamen tanto imperfectiori modo, quanto virtus sensitiua deficit ab intellectiua.

Ergo vltimò, vt iterum repetam, ratio formalis veritatis, propriè semper, & formaliter accepta, de qua in præsenti, est adæquatio rei, & intellectus, non vtcumque, sed vt cognita in actu exercito, dico non vtcunque, quia si in cognitione sensus interuenit adæquatio inter rem sensatam, & sensum, cognoscentem tamen, quia sensus non cognoscit talem adæquationem, ibi sola est veritas, vt res vera. Dico in actu exercito, quia cognoscitur quidem in prima operatione intellectus, aliquando quid sit veritas, non tamen per

talem operationem primam iudicatur, quòd res ita se habeat, sicut est forma, quam intellectus apprehendit de tali re, sicut fit quando intellectus, componendo, & diuidendo exercet actus secundæ operationis;ergo &c.

Sed hic occurrunt multa dubitanda, quorum solutiones faciunt completam cognitionem veritatis propriè, & formaliter.

Primum est contra illud, quod veritas, vt sit,& proprijssimè dicatur in intellectu, necessariò ibi debeat esse,vt cognita in actu exercito,& sic arguitur; Opposita codē modo sunt in subiecto, sed falsitas est contraria veritati *secundo Periher. Cap. vltimo*, & tamen non est in intellectu,vt cognita, quia si cognosceretur, iam esset vera falsitas, & sic illud, quod in tali iudicio esset apprehensum, non esset falsitas, sed veritas; ergo si falsitas est in intellectu propriè,etiā in actu exercito absque cognitione, & iudicio inæqualitatis exercitæ inter intellectum, & rē imaginariè apprehensam, sequitur quòd nulla sit necessitas iudicij faciendi,æqualitatis exercitę,vt veritas sit propriè,& formaliter in intellectu, vel si talis falsitas nō est propriè, & formaliter in intellectu quia inęqualitas nō cognoscitur,vt falsa,sed solū vt vera falsitas,ergo opposita non sunt eodē modo,in eodem subiecto, vbicunque veritas debeat esse in intellectu, vt cognita.

Secundò. Contra illud, quod in prima operatione intellectus non sit veritas cognita in actu exercito, sic arguitur; semper intellectus, intelligendo quid est apprehendit quidditatem rei in quadam comparatione ad rem,cuius est quidditas; ergo nō cognoscitur quid, nisi cognoscatur coniunctio quidditatis cum re, cuius est quidditas, quia nulla ratio potest esse quidditas, nisi sit alicuius entis quidditas, & semper sicut res ad esse, sic ad cognosci 2 *.Poster.C.7.* ergo non minùs cognoscitur veritas in actu exercito in prima

ope-

operatione, quàm in secunda, quia non aliter dicitur veritas cognita in actu exercito in secunda operatione, nisi propter interuentum comparationis in dicta secunda operatione.

Si quis diceret, quòd comparatio, quæ interuenit in prima operatione non est obiectum cognitum, sed solùm actum intelligendi comitatur. Contra, si sola comitantia in cognitione quidditatis sufficeret absque cognitione rei, quæ comitatur; ergo etiam in cognitione quid est, satis esset, si si est comitaretur illud quid, quia sic se habet quid ad esse rei, cuius quæritur, & cognoscitur quid, sicut quidditas in prima operatione intellectus ad rem habentem quidditatem, quia nulla ratio potest esse quidditas, nisi sit alicuius entis quidditas, & Aristo. 2. *Poster.C.*7. non aliter probat, quòd semper si est sit necessarium, vt habeatur quid est, quia quærere quid sine si est semper est quærere quid non entis; ergo si est nõ solùm comitatur quid, sed est obiectum cognitum; ergo comparatio erit etiam obiectum cognitum, quando cognoscitur quidditas in comparatione ad rem habentem quidditatem.

Vlteriùs à nulla re essẽtialiter intrinseca potest abstrahi conceptus formandus; sed esse rei quidditatẽ, est de essentia quidditatis, alias non entis daretur quidditas; ergo à cognitione quidditatis nõ potest abstrahi cognitio, quòd quidditas sit huius rei quidditas; sed esse rei quidditatem, formaliter dicit comparationem, & compositionem, quia 3. *de Anima Tex.*21. & 1. *Periher. C.*4. dicere esse, vel non esse est componere, & diuidere; ergo etiam in prima operatione est veritas cognita in actu exercito; ergo, &c.

Tertiò. Contra illud, quòd in compositione sit veritas cognita in actu exercito, instatur in hunc modum. Nihil, mediante conceptu intellectus cognoscitur, quod per vo-

cem non significetur, vel saltem non possit significari; quia voces sunt signa conceptus 1. *Periher.C.*1. sed ne verbum quidem de adæquatione rei intellectæ, & intellectus, in oratione dicente homo est animal; ergo in tali compositione non est veritas cognita.

Confirmatur, sine extremis componentibus non est cognoscibilis compositio 1. *Periher.C.*3. sed extrema componentia adæquationem significatam nomine veritatis non intelliguntur, nisi in actu reflexo, dicendo hominem esse animal est verum; ergo nec in quacunque affirmatione est veritas cognita.

Iterum confirmatur. Quælibet res est cognoscibilis sine modo, qui conuenit rei cognoscendæ, quia modus est posterior re, cuius est modus, & quodlibet prius abstrahit à posteriori, sed propositio, quæ dicit, verum est hominem esse animal addit illam dictionem verum, tamquam modificantem dictam propositionem; ergo simpliciter absque alia cognitione veritatis additæ cognoscitur simpliciter, quòd homo est animal; ergo &c.

Quartò. Contra illud, quòd in sensu non est perfecta cognitio veritatis in actu exercito, sic arguitur 3. *de Anima Tex.*28. legitur. *Sentire est simile dicere, & intelligere, sensu autem delectabile, aut triste, aut affirmans, aut negans, prosequitur, aut fugit*; ergo si affirmatio, & negatio in sensu, etiam perfecta veritatis cognitio in actu exercito.

Si quis diceret, quòd sensus non componit, nec diuidit, sed quòd solum in tali actù, & iudicio se habet, cognoscendo triste, & conueniens, sicut intellectus componendo, & diuidendo.

Contra. Si sic; ergo intelligentia, quia non componit, sed iudicãdo se habet ad complexiones, sicut homo iudicia

fa-

faciendo non cognosceret veritatem propriè, & perfectè in actu exercito.

Confirmatur. Circa sensibilia communia sensus aliquando iudicat quid coloratum, aut vbi, aut quid sonans 2. de *Anima Tex.63.* sed tale iudicium non potest exerceri, nisi media compositione, quia intellectus iudicando, aut vbi sit aliquid, aut si sonans sit aurum, aut coloratū sit saccarum, semper componit; ergo in sensu est cognitio veritatis in actu exercito non minùs, quàm in intellectu; ergo &c.

Ad primum respondetur, quòd opposita, & contraria accipiuntur in eodem, nisi alicui vnum natura insit, vt dicitur *Cap. de oppositis*, quare sicut frigiditas non recipitur in igne, quia caliditas contraria est naturaliter igni, inde nec falsitas debet esse in intellectu, vt cognita, quia naturale est intellectui, quòd nihil recipiat, vt cognitum, nisi verum, quia sola veritas est perfectio naturalis intellectus, vt est cognoscēs, sicut caliditas sola perfectio ignis, quare si loquimur de sola, & simplici veritate, & falsitate, vt res sunt, sic æqualiter conueniunt intellectui, quis quis sit actus illius, quia siue adæquatus, siue inadæquatus, semper in vno veritas, in altero falsitas, quòd si de ipsis, vt cognita sunt, sic sola veritas est in intellectu, quia ipsa sola est perfectio intellectus, vt cognoscitiuus.

Ad secundum propter rationes contra respōsionem datam, sustinendum est, quod in apprehensione quidditatis, quidditas, & cuius est quidditas sunt obiecta cognita. Ad argumentum autem à principio factum respondetur, quòd in tali cognitione nō interuenit compositio propriè, & formaliter, sed solùm virtualiter, quia aliud est intelligere rationale sub hac consideratione, vt quidditas hominis, aliud est formare hanc propositionem. homo est rationalis, quod sic probatur. Si foret idem; ergo nullus conceptus simpliciter

citer

citer formari posset pertinens ad primam operationem, quando in tali apprehensione vnum non posset concipi abstractum ab alio abstractione præcisiua, immò in tali casu nulla esset distinctio inter abstractionem præcisiuam,& diuisiuam, quia si intelligendo vnum, vt essentiale alteri, & nullò modo abstractum præcisiuè, quis diceret, quòd tunc cognosceretur etiã vt complexũ mediãte affirmatione, à simili,intelligẽdo hominẽ nulla facta consideratione risibilitatis, intelligeretur etiã vt complexũ negatiuũ,quod cum sit falsum hominem .s. non esse risibilem, vt constat ex terminis,& ex diffinitione accidentis data *a Porphyrio*, vbi non aliter distinguitur à proprio, nisi quia subiectum abstrahit ab accidente in prima, & secunda operatione;à proprio solùm in prima;ergo aliud est formaliter cognoscere quidditatem, vt huius, aliud componere asserendo homo est animal rationale,quare sicut in cognitione quidditatis non est perfecta complexio, sed solum virtualis, ibi nec etiam est veritas in actu exercito, nisi virtualis; ergo &c.

Ad tertium negatur quòd verum, & falsum propriè modificent propositionem, quando dicitur hominem esse album,est verum, vel falsum, quia modificari est, quando id, de quo agitur,redditur aliquale, quod non accidit in præsenti, quia dum dicitur, quod homo est albus, non dicitur qualis sit coniunctio albedinis cum homine, sed simpliciter veritas dictę coniũctionis significatur; nihil enim aliud est dicere homo est albus, quam quòd verum est dicere hominem esse album, quod sic probatur. Modificare est qualificare rem priùs suppositam, sicut dicendo Petrus sedet,vel iacet in foro, supponitur existentia Petri in foro, & significatur modus existendi; ergo si in hac propositione: hominem esse animal est verum; significaretur modus coniunctionis, quia vt in argumento modus est posterior re, cuius

est

est modus, in illo priori staret coniunctio animalitatis cum homine, vel saltem esset intelligibilis talis coniunctio sine veritate, quod tamen est falsum, quia licèt veritas rei sit prior veritate orationis, non tamen, sine illa, est intelligibilis *in postpraedicamentis Cap. de priori*. Immò quando coniunctio sine veritate intelligeretur, vt puta falsa, vel indifferens ad verum, & falsum, iam intellectus non posset inclinari ad assentiendum, quia sola veritas est perfectio intellectus; ergo si addatur veritas in hac propositione, hominem esse animal est verum. non qualificatur coniunctio, sed substantificatur, & in esse substantiali ponitur; ergo idem est cognoscere hominem esse animal, quod cognoscere, quòd verum sit hominem esse animal.

Ad argumentum, quando dicitur ne verbum quidem de veritate, si solum dicatur homo est animal; respondetur quòd cum sit de substantia huius propositionis intellectae, verum esse, quòd homo est animal, quia nil aliud dicitur, nisi quòd vera est talis coniunctio, inde licèt non videatur significari veritas, tamen semper, & significatur; & cognoscitur, quamuis simpliciter dicatur, homo est animal.

Ad confirmationem primam negatur, quòd illud cognoscatur solùm in actu reflexo, quia dum fit reflexio illa, eadem veritas, quae prius significatur etiã licet ad modum, & sub specie modificationis proponatur.

Ad alteram patet responsio, quia iam dictum est; quòd veritas non additur, vt sit propriè modificatiua; quamuis si quis detur, qui velit negare aliquam propositionem, soleat aliquando contra negantem fieri talis repetitio, verum est hominem esse animal, tamen hoc fit claritatis gratia, quia sic semper proponitur repetitio sub specie modificatę propositionis.

Ad quartum accipitur responsio data, & ad instantiam,

quòd

quòd intelligentia non componit; Respondetur, quòd intelligentia quamuis non componat, quia tamen iudicat veritatem, & sui etiam ad res intellectas æqualitatem habet propriè, & formaliter veritatem, vt cognitam in actu exercito; sensus autem dum cognoscit sensibile, & se sentire, quia non cognoscit, nec sui, nec etiam sui actus naturam, immò nec sui proportionem ad res sensatas, inde non habet veritatem propriè, & formaliter in actu exercito, quare similitudo sensus, & intellectus posita ab Aristo. stat solùm in modo cognoscendi obiectum, quod .s. à sensu apprehenditur, vel simpliciter, vel vt delectabile, non autem circa cognitionem veritatis.

Ad confirmationem respondetur; quòd iudicium de sensibilibus communibus non est sensus externi, sed cogitatiuæ; quare non inconuenit, quòd quadam collatione exerceatur, & quòd ibi sit veritas aliqualiter, quia, vt supra in cogitatiua non est veritas, vt sensus formaliter, sed vt intellectus participatiuè; quòd si sensus brutorum iudicat de sensibilibus communibus, non sequitur, quòd illud sit mediante compositione, quia est ab æstimatiua sine aliquo discursu, & comparatione, atque solo instinctu naturæ; quando additur iudicium non fit ab intellectu, nisi media compositione, ergo nec à sensu, negatur consequentia; quia intellectus propter immaterialitatem licet componendo, semper perfectiorem eliciat cognitionem, quàm sēsus absque compositione, propterea quòd deficit ab immaterialitate intellectus, quare, &c.

Qua

## *Quæ sit ratio formalis veritatis, vt est proprietas entis realis.* Cap. XXXIX.

QVamuis prima facie videri possit, quòd veritas addita enti reali sit relatio realis, quia depēdentia a Deo est realis, & res solum dicitur vera, propter conformitatem ad intellectum Dei, à quo dependet.

Nihilominus hæc sit prima conclusio; veritas, quæ est proprietas entis realis, nō significat formaliter relationem realem. Conclusio probatur in hunc modum.

Vel loquimur de ente, vt est commune Deo, & cæteris secundùm proportionem, vel vt est solùm commune omnibus realibus distinctis à Deo; si primo modo, talis relatio non potest conuenire Deo, tum quia in Deo non potest imaginari causa, ad quā sequatur relatio realis, quia Deus non est ens dependens, nec causatum; tum quia eiusdem ad seipsum non est relatio realis, quòd si nulla talis relatio realis conuenit Deo; ergo non verificatur de omni ente, vt commune Deo, & cæteris hæc relatio realis; ergo non est primo modo accepta relatio realis addita enti; non secundo modo, vt ens est solùm commune omnibus realiter distinctis à Deo, quia conformitas, quæ est proprietas entis, conuenit existentibus, & non existentibus, & tamen nulla datur relatio realis de rebus non existentibus, vt est tritissimum in Phylosophia; si quis responderet, quòd in rebus in potentia, veritas est relatio realis in potentia, in rebus actu existentibus, est realis in actu.

Contra. Essentiarum omnium veritates à Diuino intellectu, quasi radicaliter, & inchoatiuè depēdent, immò sunt Diuinæ perfectionis participationes, quatenus omnium

rerum essentias eminentissimè habet, & sua infinita virtute facere potest, quòd existant; ergo sicut Dei cognitio de essentijs, & complexionibus necessarijs, in quibus rerum essentiæ consistunt, non est penitus absoluta, sed dicit ordinem ad existentias, nec etiam veritas earumdem abstrahit ab ordine ad existentias; ergo ex actuali dependentia à prima causa, antequam existant; si sunt entia in ordine ad Deum, vera sunt etiam actu secundum eumdem ordinem ad Deum, & tamen actu non habent aliquam relationem realem propter defectum existentiæ.

Vlterius. Deus ex sua virtute infinita, probata Cap. 3. adhuc potest facere, quæ nunquam erunt; quia 2. *de generat. Tex. 64 Futurus quis incedere non incedet*; ergo si talia dicunt ordinem ad existere, alioquin falsum dictum Aristo. quæ non incedent, futura tamen sunt incedere, quia nihil est futurum incedere, nisi illud; quod habet ordinem ad existentiam incessus; non est negandum dico, quòd secundùm tale esse dependeant à prima causa, quia de facto semper depēdent à Deo, tamquàm à causa agente per intellectum; ergo habent actualem veritatem, esto quòd non existant.

Quòd semper dependeant rerum essentiæ, esto quòd non existant, probatur ex eo quòd inconuenientia, ad quæ deducit Aristo. 8. *Phys.* pro æternitate vniuersi occurrerēt in præsenti casu, vt facile est videre si conferantur Aristo. rationes cum præsenti materia; quia si dependent essentię rerum à prima causa, illæ solum, quæ aliquando erunt; ergo vel non potest facere, nisi, quæ erunt, & sic non est virtutis infinitæ, vel si potest etiam facere ea, quæ non erunt, vel hoc semper potuit, & sic semper tales essentiæ dependentiam habuerunt, vel si non potuit semper; ergo adhuc non est infinitæ virtutis; tum quia illius virtus limitatur ad

illud

illud certum tempus, quo solùm illud potest facere; tum quia daretur mutatio de non posse facere ad posse facere, iuxta consequentias 8. *Phys.* ergo actu, & realiter dependent essentiæ rerum antequam actu existant.

Vlterius. Existentia semper dependet à prima causa, non modò si cõsideretur, vt induens modum quid est, id est si consideretur, vt est obiectum, & terminat actum intellectus, sed etiam, vt exercet actum existentiæ, esto etiam quòd talis existentia non sit essentiæ actu vnita; ergo in tali statu dependentiæ, si semper est actu talis, semper est etiam actu vera.

Vlteriùs essentia potens existere, est ens reale actu, vt distinguitur ab ente rationis, quamuis dicatur nihil, vt distinguitur contra existens, iuxta illud *C. de substantia destructis primis substantijs* &c; ergo veritas eidem essentiæ actu conuenire debet, quia est actu ens reale, quamuis non existat, sed in tali statu non est relatio realis propter carentiam existentiæ, vt supra; ergo relatio realis non est de ratione formali veritatis.

Antecedens probatur de realitate, & actualitate essentiæ non existẽtis hoc pacto, Quælibet res antequam existat, semper includit actu prædicata quidditatiua, homo scilicet, animal, & rationale; quia si illa non haberet actu, iam non esset homo, quia illius oppositum implicat cõtradictionem, & in opinione hominum est, quòd siue homo sit, siue non sit, semper est animal rationale; ergo essentia est actu, & realiter talis, quamuis non existat; ergo actu, & realiter vera, & tamen nulla realis relatio propter defectum existentiæ, vt supra; ergo &c.

Secunda Conclusio: Veritas, vt proprietas entis realis cõmunissimè accepti, non significat formaliter relationem rationis. Probatur hoc pacto.

Primò. Nullo intellectu considerante, semper quælibet res est vera; ergo non significat formaliter relationem rationis, quia hæc non est, nisi concurrente actu intellectus.

Secundò. Si relationem rationis; ergo potius intellectus proprietas, quàm entis, vel si entis, nunquam realis, sed secundùm rationem; ergo &c.

Tertiò. Hic quærimus veritatem communissimam entis, cui addit suo modo proportionali veritas dicta de rebus extra Deum, sed veritas dicta de rebus, nihil potest addere relationi rationis communissimè acceptæ, vt de se patet; ergo non significat formaliter relationem rationis.

Quartò. Relatio rationis significata nomine veritatis, si formaliter esset relatio rationis cõformitatis, etiam falsitas esset formaliter relatio rationis difformitatis, sed quælibet relatio rationis est formaliter ens rationis, & sic vera; ergo falsitas esset formaliter veritas, quod implicat, nec valet dicere nullum esse inconueniens, quòd falsitas sit vera falsitas, & quòd tali pacto relatio rationis falsitatis sit vera, nõ valet, quia veritas falsitatis, vel est veritas relationis difformitatis, vel veritas difformitatis; Si secundò, quamuis hoc sit verum, tamen hoc est solùm, quia talis difformitas est intelligibilis, sicut etiam dicitur quòd negatio est vera negatio, & tamen non sequitur, quòd vera negatio sit formaliter relatio rationis, sed solùm, quòd ad illam veritatem negationis sequatur relatio rationis, sic etiam vera difformitas non est vera relatio formaliter rationis, sed sola relatio rationis sequitur ad illam; Si primò modo, nec adhuc sequitur, quòd difformitas sit formaliter relatio rationis, quia talis veritas non dicitur veritas difformitatis, quia hoc semper implicat, sed solùm veritas relationis rationis, quæ sequitur ad ipsam difformitatem, quatenus est intelligiblis; ergo sicut falsitas, non est formaliter relatio rationis, quæ

 sequi-

sequitur ad difformitatem, quatenus est intelligibilis, nec veritas erit formaliter relatio rationis; ergo &c.

Quintò. Relatio rationis fundatur in veritatis conceptu, & ab illo essentialiter dependet, quia res non est vera, quia referatur secundùm rationem ad intellectum, sed refertur, quia res vera, eo quòd abstracta, per impossibile relatione rationis, saltem in prima operatione intellectus, semper res est intelligibilis, & sic vera; ergo veritas non includit in sui ratione formali relationem rationis; ergo &c.

Tertia Conclusio. Veritas, secundùm quam res dicitur vera in eo quòd potēs causare veritatem intellectus, significat denominationem extrinsecam ortam ex cōiunctione, seu conformitate inter rem, & intellectum.

Probatur prima pars, quòd talis veritas significet denominationem extrinsecam, primò. quod est tale intrinsecè, & formaliter, non accipit in sui diffinitione, quod est potens extrinsecè denominare, vt sanitas si intrinsecè, & formaliter diceretur de medicina, nunquàm in diffinitione medicinæ in eo quòd sana posset accipi sanitas animalis, quia proportionaliter eadem diffinitiò sanitatis esset communis omnibus. Accidens etiam, quatenus dicitur ens, secundùm attributionem, & sic extrinseca denominatione, accipit quidem in sui diffinitione entitatem substantiæ, nunquam tamen, vt ens, formaliter, & intrinsecè; sed veritas rei, secundùm quam res dicitur vera, semper accipit in sui diffinitione intellectum, vt verus intellectus, quia non nisi per talem respectum explicatur, & diffinitur, dum dicitur, veritas est adæquatio rei, & intellectus; ergo veritas secundùm quam res dicitur vera, dicit, & significat denominationem extrinsecam; nec potest fieri instantia de cibo, qui solet denominari sanus à qualitate intrinsecè, & formaliter inhærente, quia talis denominatio est solùm virtualis, non formalis,

mal s, qualis est illa, quando à sanitate animalis denominatur sanus.

Secundò hæc entitas, siue conceptus, quisquis sit, si intrinsecè, & formaliter inhærendo denominaret ens verum, vel esset completè dicens totam rationem formalem veritatis, vel aliud esset necessarium pro vltimo illius complemento; si primum; ergo nihil rei habet secundùm se, & formaliter talis entitas, & conceptus ad veritatem intellectus, contra omnes asserentes, veritatem dicere essentialem ordinem ad intellectum; si secundum, quia hic respectus est ad intellectũ, iam nil aliud potest dicere, nisi solam relationem rationis, contra secundam conclusionem modò probatam; quòd si fortè quis diceret, hoc esse accipiendum fundamentaliter; ergo accepta veritate formaliter, semper dicit denominationem extrinsecam.

Tertiò. Si veritas diceret formam inhærentem; ergo etiam falsitas accepta & ipsa, pro vt dicit rem falsam, quia æqualiter se haberet ad rem, sicut veritas, de qua loquimur, denominaret intrinsecè, & formaliter rem falsam; ergo ens esset simul, & semel intrinsecè, & formaliter verum, & falsum, quod constat non esse admittendum, nisi dicatur quòd orichalcum simul est ens verum, & falsum, quod tamen non est ad propositum, quia si illud idem est simul verum, & falsum, hoc est, quia ad diuersa comparatur, à quibus accipit denominationem extrinsecam, modo ad rationes quæ sunt in mente Dei de vero auro, modò ad illas in eodem de vero orichalco, ens autem si intrinsece denominaretur verum, etiam necesse esset illud denominare falsum; ergo, &c.

Quartò. Intellectus est ens, & intellectus; ergo duplici veritate debet denominari, à veritate rei, qua est ens intelligibile, & à veritate, qua est ens intelligens, quia ex di-

ctis

ctis C. præcedenti, alia est veritas intellectus, alia rei; ergo intellectus esset dupliciter ens verum, formaliter, & intrinsecè, vno modo veritate rei, alio modo veritate intellectus; Immo tripliciter ens verũ, quia vltra prædicta adhuc esset ens verum denominatione extrinseca, secundùm quam quodlibet intelligibile extrinsecè ab actu intellectus est, & dicitur tale; ergo veritas denominat ens verum extrinsecè, vt terminus actus intellectus. Secunda pars conclusionis patet ex dictis in princip. o C. 38. quare, &c.

Vltima conclusio. Veritas, quæ est proprietas entis realis, vltra denominationem extrinsecam, acceptam à veritate intrinseca intellectus, quam ponit in ente communissimo, dicit formaliter, & intrinsecè fundamentum adæquationis in tali ente communissimo intrinsecè inhærentem, non expressum sub ratione formalissima entis, vt ens, addit autem relationem rationis, vt modum illius completiuum.

Quia in hac conclusione, sola posset esse difficultas, quòd veritas, vt proprietas entis denominet subiectum denominatione intrinseca etenim alia in cõclusione posita consequenter intelliguntur prima parte conclusionis probata, & ex superioribus conclusionibus probatis, idcirco probatur, quòd hæc prædicatio veritatis de ente sit secundum denominationem intrinsecam.

Primò. Nulla relatio recipitur in subiecto, nisi præcedente fundamento in tali subiecto, vel secundùm rem, vel secundùm rationem 5. *Meta. C. ad aliquid*; ergo in ente, quod est subiectum adæquationis, & relationis similitudinis ad intellectum, requiritur saltem conceptus, qui non exprimitur ex solo, & simplici conceptu entis in eo quòd ens; ergo illud fundamentum, siue adæquatio fundamentalis, ad quod consequitur relatio formaliter est, formale significatum, & ratio formalis veritatis intrinsecè denominans subiectum.

Secun-

Secundò. Entia fictitia longè aliter sunt intelligibilia, quàm sint entia non ficta; ergo pro veritate entis non ficti, vltra denominationem extrinsecam ad intellectum, requiritur aliud intrinsecè in tali ente, quod faciat illud intelligibile, quod non in rebus fictis; ergo &c.

Tertiò. In obiecto supponitur aptitudo intrinseca, secundùm quam est aptum terminare actum potentiæ; sed hæc aptitudo non significatur sub conceptu præciso entis, secundùm quod ens, tum quia ens solùm dicit esse; tum quia si in conceptu entis præciso essentialiter includeretur aptitudo talis, quia quælibet alia entis proprietas dependet ab ente, etiam dependeret ab hac aptitudine, & sic aliæ proprietates, vel ab hac veritate prouenirēt, vel si idem accideret in omnibus, quòd procederent & ipsæ ab ente secundùm aptitudinem, quam haberet ens ad tales proprietates in conceptu præciso entis formaliter incluso; ergo proprietates omnes essent sibi inuicem proprietates, quia sic vna ex altera proueniret, nisi conceptus aptitudinum illarum iuxta proprietatum diuersitatē esset alius, & alius; quòd si ad diuersas proprietates, alius atque diuersus conceptus aptitudinis illarum, iam tales diuersi conceptus non essent expressi, simplici conceptu entis, & tamen cum sint intrinsecè in ente, & sint fundamenta dictarum relationum, sequitur, quòd veritas, vt dicens fundamentalem adæquationem ad intellectum denominet ens denominatione, & prædicatione formaliter inhærente; ergo, &c.

Quod

## *Quòd vnica, atque simplex sit bonitatis ratio formalis.* *Cap. XL.*

RAtio formalissima boni, quamuis dicat ordinem ad appetitum iuxta illud *primo Ethicorum, C. 1. & 3. Bonum est, quod omnia appetunt.* attamen ex varia acceptione rei appetitæ, Dei .s. & aliorū, si quis ad instar rationis formalis in veritate adinuentæ, aliam quoque rationem boni, vt ens commune ad ens finitum, & infinitum; aliam vt communem solùm ad entia finita assignandam esse contenderet, falsam semper in hac re opinionem acciperet.

Quandoquidem si loquimur de veritate, ens dupliciter comparatur ad intellectum, vno modo practicè cognoscentem, alio modo speculatiuè, quod facit diuersam rationem formalem veritatis, quarum vna pertinet ad ens, communissimè dictum de Deo, & alijs omnibus, altera ad ens, vt commune tantùm rebus finitis, & distinctis à Deo; etenim hæc secunda fundatur in duplici respectu rerum ad intellectum practicum, eò quòd vt sic, res non solùm habet rationem termini cognitionis, sed etiam ad imitationem cognoscentis in esse constituuntur: Prima autem fundatur solùm in respectu ad intellectum speculatiuum, vt retinens simplicem rationem termini cognitionis. Quare iuxta secundam veritatis rationem formalem, verum est quidem commune omnibus rebus finitis, quia talia comparantur ad intellectum Dei practicè ipsa cognoscentem, tamen in hoc sensu ratio veritatis non se extendit ad Deum, eo quòd Deus ad nullum intellectum practicum comparari potest; iuxta primam, verum est etiam commune Deo proportionaliter, & omnibus finitis, quia Deus, & se ipsum,

&omnia alia perfectissimo modo intelligit, etiam *ad mentem Aristo. Cap.* 38.

Quòd si loquimur de bonitate, quia entis comparatio, quæ fit ad appetitum, solùm fundatur in hoc, quòd terminus appetitus habeat rationem finis, quia vt supra; bonum est, quod omnia appetunt, & res, quamuis vltimus terminus appetitus, nunquam habet rationem finalizandi, nisi bona, tum ex Aristo. 2. *Phys. Tex.* 23. & 31. 10. *Meta. Tex.* 31. Tum quia finis est qui propriè mouet appetitum, & appetitus non mouetur, nisi à bono, siue vero, siue apparentie, *eodem* 2. *Phys. Tex.* 31. Inde, quia finis, vt sic semper habet eamdem rationem finalizandi, in ordine ad quemcumque appetitum, quia semper eadem ratione formali mouet appetitum, & formaliter influit, tum quia influere finaliter, nil aliud est, quàm appeti, & desiderari; tum quia gratia finis mouentia, & efficientia nata sunt agere, quod arguit, vt constat, omnia entia eandem rationem finalizandi, in ordine ad appetitum retinere, si non vniuocè, tamen secundùm proportionalitatem in omnibus adinuentam; ergo stante identitate rationis finalizandi in omnibus rebus appetitis adinuentam, eadem etiam ratio formalis bonitatis in ente, vt diuiditur in finitum, & in infinitũ proportionaliter verificabitur de ente, vt se extendit solùm ad entia finita, quidquid sit, quando finis alius contingenter, alius necessariò, vel aliter vtcũque mouet appetitum, ex cuius diuersitate ratio finis solùm materialiter diuersificari solet.

Contra hanc determinationem, quædam, quæ difficultatem facere videntur, sunt proponenda, & soluenda, vt clarior veritas proposita reddi possit.

Primò. Si Deus est verissimum ens, quia omnino conformis conceptui, quem habet de perfectissimo ente, alia au-

autem sunt vera iuxta imitationis conformitatem cum illo eodem conceptu, & inde veritas transcendentalis, communis solùm rebus finitis accepta fuit secundùm conformitatem ad intellectum Dei; veritas autem alia magis communis fuit data quatenus verificatur de ente finito, & infinito, Iam videtur quòd sicut Deus est optimus, quia sibi conuenientissimus, alia autē magis, & minus bona, quatenus plus, minusue diuinæ bonitati congruunt, quòd sit accipienda duplex ratio formalis bonitatis, vna comparando omnia entia finita, quatenus bona, ad bonitatem infinitam Dei, alia, vt est cōmunissima ad bonitatē infinitā Dei, & aliorum.

Secundò. Si Deus se ipso est ens, alia solùm ex illius participatione sunt entia; ergo sicut est seipso, quia sibi maximè conueniens, cætera erunt bona, quia illi maximè congruunt, quia quo res primò habent, quòd sint, ab eodem etiam primam bonitatis rationem accipiunt; modò quia talis ratio bonitatis non verificatur, nisi de ente finito, quia illā rationem bonitatis à nullo accipit, adhuc est necessaria alia ratio communis enti finito, & infinito.

Tertiò. Diuina appetitio, quia regula omnis appetitionis, antecedit omnis entis finiti appetitionem, sicut diuina cognitio, omnem, & quamcumq; aliam cognitionem; sed res non sunt appetibiles à Deo, nisi quatenus illi congrunt; ergo prima ratione appetitionis ratio formalis erit quatenus res sunt Deo congruentes; ergo duplex ratio formalis bonitatis, vt supra.

Quartò. Si bonitas rerum finitarum desumeretur, quia alijs rebus conueniūt; ergo non quælibet res bona, vel simul bona, & mala, quia quod vni conuenit vt caliditas igni, alteri inconuenit eadem caliditas aquæ; ergo ratio bonitatis in rebus finitis desumenda venit in ordine ad bonitatem Dei; ergo adhuc duplex bonitatis ratio formalis.

Quintò. Amor noster non est causa bonitatis rerum, sed à rerum bonitate causatur, sed diuinus amor est infundens diuinam bonitatem in rebus, sicut est de veritate, quia si comparetur res ad nostrum intellectum speculatiuum, sic talis intellectus non est causa rerum, sed a rebus obiectis mouetur; quòd si ad dei intellectum veritas rerum qui... conformis rationibus concipiendi, quæ sunt in mente dei; ergo dependent hoc pacto ab intellectu Dei; ergo eadem diuisio boni, quæ est diuisio veri; ergo, &c.

Ad primum. Respondetur, & negatur, quòd Deus dicatur formaliter optimus, quia sibi conuenientissimus, quia sic, & omnimoda ipsius conueniẽtia solùm significat, quòd sit perfectissimus; nec addit enti nouam rationem formalem, sed solùm ens complet sub propria ratione, quatenus dicit ordinem ad esse, quia conuenientia dicitur saltem ex consequenti relatione rationis, vel saltem est illius relationis fundamentum, ad quod sequitur quòd Deus non aliter possit dici sibi ipsi conuenientissimus, nisi facta relatione, secundùm nostrum tamen modum intelligendi, etenim perfectum dicitur cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis, 3. *Phys. Tex.* 63. 5. *Meta. Tex.* 21. bonum autem, vt magis explicandum est C. sequenti significat rationem perfectiui alterius, quia implicat alteri bonum esse, & illius non esse perfectiuum; & tamen perfectiuum alterius non continetur in ratione conuenientiæ, quæ excogitatur eiusdem ad seipsum. Negatur etiam, quòd alia sint bona formaliter seclusa ratione perfectiui alterius, quatenus scilicet solùm sunt participantia de similitudine, & perfectione Dei, quare non sequitur duplex ratio formalis boni.

Ad secundum, negatur similitudo, quæ desumitur ex ente, quia ens est ad se ipsum, bonum ad alterum, quare si omnia sunt entia ex participatione Diuini esse, & bona bo-

nitatis Diuinę, tamẽ semper in ratione bonitatis Dei, & cęterorum includitur, quòd sint bona, vt perfectiua alterius; ergo nulla diuersitas bonitatis, in ratione formali, sed semper eadẽ dicitur de finito, & infinito, quamuis bonitas finita ab infinita veniat, sicut entitas finita pendet, tamquam à primo principio ab entitate infinita, & tamen vna est ratio vtriusq; secundùm vnitatem proportionalem.

Ad Tertium, negatur, quòd alia sit ratio, per quam res sint appetibiles à Deo, quàm sua bonitas, quià non sunt appetibiles, vt conuenientes, & perfectiuæ sui ipsius, vt constat, & licèt sua appetitio sit regula cuiuscumque nostræ appetitionis, non tollitur, quòd omnia comprehendantur sub vna ratione formali analoga, sicut dictum est de entitate Dei, qui est causa omnis imaginabilis entitatis, & tamen ens dicitur analogicè de omnibus.

Ad quartum respondetur, quòd vt bonitas conuertatur cum ente, satis est quòd conueniat, & sit perfectiua, eius, quod est nata perficere, sicut in sequenti capite, maximè monstrabitur, quare &c.

Ad quintum. Quamuis amor noster causetur à bonitate rerum, & amor Dei sit causa bonitatis aliorum, vt est de veritate; tamen non inde sequitur, quòd sit danda duplex ratio bonitatis, sicut factum est de veritate, quia semper omnia bona formaliter habent eamdem rationem perfectiui, nec variatur illorum ratio formalis, sicut fit in ratione veritatis; etenim appetitus, vtcumque veniat, trahitur semper appetens, & inclinatur analogicè loquendo, in rem appetitam, vt habens rationem perfectiui, obiectum autem intellectum aliter recipitur in intellectu practico, aliter in speculatiuo, etenim, vt supra secundo modo, illud est, vt solum terminus cognitionis, primò modo, quatenus imitando rationes in mente artificis dependet in esse ab intellectu; quare &c.

Quæ

## Quæ sit ratio formalis bonitatis, vt est proprietas entis realis Cap. XLI.

PRO cognoscenda ratione formali bonitatis, & alia, quæ ad bonum facere videntur, hæc sit prima conclusio. Bonum est formaliter in re ad extra, in appetitu verò extrinseca denominatione, & secundum attributionem. Hæc conclusio probatur.

Veritas dicitur formaliter, & intrinsecè de cognoscente; extrinseca denominatione de rebus cognitis, ex dictis C. 39. ergo bonitas, quæ contrario quodam modo respicit potentiam, & appetitum, quàm faciat veritas potentiam cognoscitiuam; tum quia verum, & falsum ab Aristo. 6. *Meta. Tex. vltimo.* ponuntur in intellectu, bonũ, & malum in rebus, tum quia cognitum ex ratione formali, secundùm quam cognoscitur est in cognoscente, immò cognoscens fit cognita etiam realiter in esse tamen cognoscibili, & immateriali, res autem appetita non est in appetitu, nisi secundùm complacentiam, affectionem, & proportionem, quod non facit appetentem fieri rem appetitam realiter in esse cognoscibili, & immateriali, sed solũ quòd appetens inclinetur, & trahatur in rem appetitam, & in re appetita delectetur, aut in bonis eius præsentibus, vel in absentibus per desiderium, tendat in rem amatam per amorem concupiscentiæ, vel in bona, quæ vult amato per amorem amicitię, vbicumque tamen appetitus sit rationalis naturæ, quia si alterius naturæ, facit, quòd appetens, semper proportionaliter inclinetur; & trahatur in rem appetitã, vt conuenit, & est proportionale naturæ appetenti; ergo bonum est formaliter, & intrinsecè in rebus, in appetitu autem secundùm extrinsecam denominationem, iuxta illud. *Appetitus bonus, quia rei bona.* Con-

Considerandum tamen, quòd non sic volumus, formaliter, & intrinsecè dici de rebus, quasi quòd secluso respectu, & habitudine, quam possunt habere res ad appetitum nullo pacto dicatur extrinsecè de rebus, quia sic res etiam in tali significatione potest dici bona secundùm extrinsecam denominationem, quatenus habet habitudinem ad bonum, quod formaliter, & intrinsecè dicitur tale, sanum etenim sicut dicitur de animali, in quo saluatur propriè, & formaliter ratio sanitatis, de cibo autem vrina, & medicina, non quia formaliter talia, sed solum quia habent habitudinem ad eamdem numero sanitatem; à simili bonum, quod est in re primò, & principaliter, erit illud, quod intrinsecè, & formaliter habet rationem bonitatis, secundariò, illud erit bonum, quod si vt sic non habet hanc rationem intrinsecè boni, tamen ex eo quòd habet ordinem ad bonum principaliter acceptum, tamquàm tendens in illud, extrinsecè denominabitur bonum, secundùm quòd sanitas principaliter dicitur de habente formaliter sanitatem, secundò de perficiente, significante, vel vtcunque causante eamdem numero sanitatem,

Sed instare quis posset. Si accipiatur bonum, quod non est vltimus finis, sed medium ad finem, vel quod significat bonitatem solùm, vt vrina bona significando bonam valetudinem animalis, semper hæc omnia videntur intrinsecè, & formaliter bona, nō solùm quatenus entia, verùm etiam secundùm rationes formales, secundùm quas, vel causæ, vel signa sanitatis; quia hæc talia nunquam essent bona causaliter, vel signa bonitatis, nisi aliqua virtus, atque perfectio intrinsecè esset in ipsis, qua mediante possent causare, & significare hāc bonitatem; vnde sic arguitur. Illud est bonum intrinsecè, & formaliter, in quo intrinsecè saluatur ratio formalis bonitatis; sed hæc omnia habent formali-

maliter, & intrinsecè rationem formalem bonitatis, quia virtus, & principiū, quo ordinantur ad causandā, vel significandam bonitatem, est in ipsis secundùm illam rationem formalem, etiam secundùm quam respiciunt bonum formaliter, quia si non haberent talem virtutem intrinsecam, indifferēter omnia possent dici tali bonitate referta, quod constat falsissimum, quia non quodlibet fit ex quolibet 1. *Phys. t. ex. 43. &c.* Modò, quia talis virtus, vt sic in illis recepta est illorum perfectio, & per consequens bonū; etiam vt ordinatur ad bonum formaliter; ergo bonum non est extrinsecè in rebus, sed in omnibus formaliter etiā respiciendo ordinem, quem habet ad alium finem.

Nec sufficit respondere, quòd vtilitas, quam habet talis virtus, licet sit bona in re vtili, vt virtus purgatiua pro causanda sanitate, & sic possint dici talia bona formaliter, tamen in ordine ad appetentem, non possunt dici bona, nisi ex fine, ad quem ordinantur; etenim eadem virtus aliquando conuenit homini appetenti, si sit proportionata ad sanitatem efficiendam, aliquando inconuenit, si sit improportionata, quare si non nisi ex fine; ergo non nisi extrinseca denominatione.

Non sufficit dicta responsio, & hoc ex pluribus primò. Si non tollitur quòd res sit bona formaliter, quàmuis vni conueniat, alteri non, vt caliditas, quæ conuenit igni, & inconuenit aquæ, sed sufficit, quòd conueniat eidem subiectô, vt ens naturale, vel materiale, sicut est de iudicio etiam erroneo, quod inconuenit intellectui, vt erroneum; conuenit tamen, quatenus fit repræsentatio talis obiecti; ergo ad saluandam bonitatem formalem rerum, quæ habent habitudinem ad bonum formaliter, sufficit, quòd sint cōuenientia in ordine ad bonum, quod ab ipsis respicitur, vt medicina, quæ sufficiēter, & semper est bona, quia semper etiam

con-

uenit pro sanitate efficienda, ad quam ex sui natura est ordinata; sed impossibile est, quòd talis res sub hac consideratione accepta non sit semper appetibilis, quamuis variato statu illius, cui conueniens erat, propter talem varietatem reddatur inconueniens; ergo si primo modo est vtilis, vt bona intrinsecè, erit etiam talis in ordine ad appetentem.

Secundò. Si appetenti, dum redditur aliquando conueniens, aliquando inconueniens, posset dici, denominatione extrinseca, bona; ergo idem afferendum esset de vltimis finibus, in aliquibus particularibus actionibus, quia & ipsi iuxta varietatem subiectorum aliquando conueniunt, aliquando inconueniunt, & tamen propter bonitatem in se habitam sunt intrinsecè boni, vt constat.

Tertiò. Si non est bonum formaliter, & intrinsecè, semper in ordine ad appetẽtem; ergo illo casu posito nõ est bonum intrinsecè, vt significat talem virtutem in bono vtili, in ordine ad effectum, ad quem, tamquam vtile ordinatur; quia repugnat, quod sit tale bonũ, dicens .s. perfectionem, & bonitatem intrinsecam in re bona, secundùm quòd ordinatur ad finem, & postmodum sit inconueniens appetenti, vtcumque veniat talis inconuenientia; quia, vt supra, appetitus nõ mensuratur nisi à re appetita, appetitus enim bonus, quia rei bonæ; ergo &c.

Quartò. Si non est intrinsecè bonum, quia non videatur tale ab appetente, quamuis sit bonum in re vtili; ergo bonitas rei, formaliter dependet ab appetitu, non à rei cõuenientia, quia quidquid sit de rebus ablato ordine ad appetentem, res non est formaliter bona; ergo esto quòd homo indigeat, vel non indigeat medicina, non resultat ratio bonitatis, sed solùm quia secũdùm suam rationem formalem, secundùm quam res comparatur ad finem, in se conti-

net illam virtutem, & perfectionem, quæ conducit ad finem; ergo ex continentia talis perfectionis non est bonum formaliter; ergo &c.

Aliter; ergo respondetur, quòd ex bonitate rei, tãquàm radice, & fundamento proximo, quia conuenit, quòd sit ratio, & quidditas finis, idest, quòd sit cuius gratia, immò quia bonum formaliter est ipsa ratio finis in actu exercito, etenim exercendo causalitatem finalem, idest actu finalizando, actu etiam terminat actum appetitus, & hæc omnia, quia bonum est appetibile 1. *Ethicorum* C. 1. appetibile verò habet rationem finis, vt de se constat; inde ex his omnibus negatur, quòd talia, in quibus vt sic non saluetur ratio finis, sint formaliter, & intrinsecè bona. Ad difficultatem. Non ne virtus, & principium, quo ordinatur ad causandam, vel significandam bonitatem, est in ipsis secũdùm rationem formalem, qua respiciunt bonitatem finis? respondetur, quòd sic sunt bona formaliter, intrinsecè secundùm se, vt entia, nunquam tamen, vt considerantur secundùm quòd media ad finem, quia sic semper propter defectum rationis formalis, integrè constituentis bonum formaliter in esse boni, non nisi à fine, ad quem, ordinantur, extrinsecè denominari possunt bona, quod sic exemplo manifestatur, & ratione confirmatur.

Medicina habet intrinsecè, & formaliter virtutem curatiuam, & causatiuam sanitatis, tamen à sanitate, ad quam ordinatur, non nisi extrinseca denominatione dicitur sana, ex eo quòd animalis sanitas, non est talis propter sanitatem medicinæ sed solum propter entitatem, & virtutem curatiuam sanitatis, medicina verò propter sanitatem animalis est, & dicitur sana; sic in proposito, finis rei causatur quidem, vel habetur ex medijs, in quibus est talis virtus intrinseca, secundùm quam formaliter, & secũdùm se talia

media dicuntur bona, eo quòd ratio boni tamquàm prima in causando præsupponit rationem causæ efficientis, & formalis in essendo, tamen propter defectum rationis, finis, vt dictum est, si accipiantur media vt sic, idest vt ordinata ad finem, extrinseca denominatione à bonitate finis dicuntur bona.

Ratio est hæc. Bonitas medij habentis talem virtutem intrinsecam nō est eiusdē rationis formaliter cum bonitate finis; quia nulla distinctio esset illa, quę datur à Philosophis inter bonum, honestum, & vtile, quando dicitur. Illud honestum, quod appetitur, vt vltimū terminans totaliter motum appetitus; Vtile verò illud per quod itur ad vltimum, quod totaliter terminat motum; ergo quid quid sit de bonitate medij, propter rationem intrinsecam, virtutis causātis, vel significantis bonitatem finis, à tali finis bonitate, res non potest denominari bona, nisi extrinsecè.

Vlteriùs; Si medium posset denominari formaliter bonum, eadem bonitate intrinsecè, secundùm quam finis dicitur formaliter bonus, sicut in præsenti contendimus non posse fieri; ergo illud medium esset intrinsecè, & formaliter duplici bonitate bonum; Primò illa bonitate sibi conueniente, propter virtutem intrinsecam efficiētem bonitatem, secundò bonitate finis, ad quem ducit tale medium, & sic magis appetibile medium, quàm finis, ex quo in fine non datur, nisi simplex bonitas finis, in medio duplex bonitas, quod tamen est falsissimum, quia illud semper est magis appetibile 1. *Poster. C.* 2. quod est propter se ipsum, quia id, quod est tale propter illud aliud.

Secunda Conclusio. Ratio bonitatis formalis est conuenientia. Huius conclusionis veritas probatur in hunc, qui sequitur modum. Nec appetibilitas, nec delectatio est ratio formalis bonitatis; ergo est conuenientia. Conse-

quentia manifesta, quia nihil magis videtur, quod possit complere rationem bonitatis formalem, quàm appetibilitas, vel delectatio, præter conuenientiam; tum quia omnia bonum appetere videntur; tum quia appetibilitas, vel appetibile se habet ad appetitum, sicut sensibile ad sensitiuũ, & scibile ad scitiuũ, quia sicut scibile est scitiuo scibile, & sensibile sensitiuo sensibile; sic appetibile est vel appetitu, vel appetitiuo appetibile, quare cõstat, quòd appetibilitas maximè pertinet ad rationem formalem appetitus, & per consequẽs ad bonum, quia bonum est illud, quod terminat actum appetitus; delectatio etiã; tum quia ipsa est quæ maximè trahit ad se appetitum, & cõmitatur omnẽ assecutionem boni; tum quia Aristo. 10. *Ethicorum C.* 4. sub dubio reliquit, quid principalius pertineat ad felicitatem, cognitio, an delectatio; tum quia *ibi* dicitur, quòd voluptas perficit omnem operationem.

Antecedens probatur, & primò quòd non sit appetibilitas, ex mutabilitate rei, quando res amittit bonitatem, quam prius habebat, res ex appetibili fit inappetibilis; ergo bonitas antecedit appetibilitatem; ergo non est ratio bonitatis; Vlterius potentiæ, & actus elicitus à tali potentia supponunt obiectum, nisi sint actiua obiecti; sed appetitio, siue actus elicitus ab appetitu, est inclinatio in obiectum, quod est bonum in actu, & non nisi, quia tale fertur in illud; tùm quia res non est bona, quia in ipsam inclinetur, sed inclinatur, quia bona tum quia 3. *de Anima Tex.* 49. legitur *Appetibile enim mouet, & propter hoc intelligentia mouet, quia principium eius est appetibile*; ergo bonum præcedit appetibile; ergo appetibilitas non est ratio formalis boni.

Quòd verò non sit delectatio probatur. Delectatio redditur appetibilis, non nisi propter bonum, quod clauditur

in delectatione, immò est bona, & appetibilis, quia bonas operationes consequitur, etenim existente mala, vel inhonesta, quæque, vt talis delectatio, nunquam ex se est appetibilis, sed solum vel quia verè bona, vel apparens; ergo si nō habet rationem finis, nisi propter bonitatem annexam, & si semper maius bonum, honestum, quam delectabile, iam sequitur, quòd bonum sit principium dans formam delectationi; ergo delectatio non est formalis ratio boni.

Ad Aristo, quòd voluptas perficiat operationem, respondetur, quòd ex tali perfecta operatione habita per voluptatem, solùm infertur, quòd sit bonum vtile, non autem ratio formalis boni. Respondetur etiam. Aliud est, quòd voluptas possit in se continere summam rationem boni, aliud, quòd sit ratio formalis boni, quidquid sit de primò, solùm in præsenti contendimus, quòd voluptas non est ratio boni.

Sed posset aliquis instare. In brutis, vt constat, sæpissimè etiam in hominibus operationes sunt propter delectationem, etenim experimur, quòd laborantes aliquo morbo, quia ipsis ablata est delectatio in gustu, inde & medicinam, & oblata cibaria renuunt, quamuis vtilitatem ex illis percipiant. Item homines multoties solùm attendunt rebus venereis propter delectationem, quam inde capiunt; edaces etiam propter delectationem magis lautè, quàm sit necessarium pro alimēto, cibaria componunt, & in maiori copia, quàm conueniat eadem accipiunt absque alia finis volitione, ad quem actus venerei, & cibariorum ordinantur, generationis s. & alimenti; ergo si delectatio vltimus finis, iā videtur, quòd sit ratio formalis bonitatis.

Respondetur primò, quòd vt iam dictum est, si quid in voluptate, illud non est ratio boni, sed quia ex hoc solùm potest inferri, quòd ipsa contineat rationem boni, sicut

alia

alia bona; secundò dicitur, quòd hoc non euenit quia tales operationes ordinentur materialiter in delectationem, tamquam in finem, esto etiam, quòd operatio sit secundum rectam rationem; sed quia non appetuntur, nisi sub ratione illius, quod est appetiri propter delectationē finaliter; dixi etiam si operatio sit secundùm rectam rationem, quia id, quod fit præter rerum ordinem, vt in exemplis traditis non aufert essentialia bonitatis.

Tertia conclusio. Ratio conuenientiæ, quæ includitur in ratione boni, non significat bonitatem conuenientem enti, quod formaliter dicitur bonum hæc conclusio probatur sic.

Primò. In ordine ad se ipsum, si qua conuenientia, illa certè verificatur non solùm de ente, sed de negatione, & de malo etiam, si malum formaliter accipiatur, quia sicut prædicata quidditatiua, vel quæcunque alia non impossibilia conuêniunt enti positiuo, & ab ipso, saltem appetitu naturali sunt appetita, sic etiam illa, quæ vtcunque de negatione, & malo dicuntur, conueniunt negationi, & malo, & ab ipsis naturali appetitu desiderantur; tum quia ex oppositis illorum æqualiter ens, & negatio, & malum destruitur; tum quia Aristo. 1. *Phys. Tex.*82. probat, quòd priuatio non appetit formam, quia sic appeteret sui corruptionem; ergo talis conuenientia non complet rationem formalem boni; quia sic æqualiter bonum esset proprietas entis, non entis, vt mali, quod inuoluit implicantiam in malo, & falsum in negatione.

Si quis responderet, quòd non sequuntur hæc incommoda in negatione, & malo, quia dictum est C. 35. quòd negatio diuisionis, vt constituat vnum, necesse est, quòd supponat ens, quasi quòd hæc omnia suo modo conueniāt sibi ipsis, & tamen non sit necessarium fore bona, quia bo-

num

num hoc pacto est ens, & hæc omnia sunt negationes, vt constat.

Contra. Negatio appetitus formæ verificatur de priuatione, dicendo: Priuatio non est appetens formam 1. *Phys. Tex.* 81. ergo aliquid erit affirmatum in priuatione, per quod nō sit appetens formam, quia affirmatio semper prior negatione; nulla alia affirmatio potest dari, nisi dicatur, non appetit priuatio formam, quia appetit sui conseruationem, cuius conseruationis forma est corruptio; sed quilibet appetitus ex dictis solùm est conuenientiæ; ergo si bonitatis transcendentalis ratio formalis est sui ipsius conuenientia, iam sequitur, quòd bonitas, quæ est proprietas entis, sit etiā proprietas priuationis, mali, & aliorum quod tamen non sequitur de indiuisione; quia &c.

Secundò. Si sola sui ipsius conuenientia Aristo. 1. *Phys. Tex.* 81. ex bonitate, & appetibilitate formæ, non sufficienter argueret necessariam materiam, nec illius distinctionem à priuatione, quia hoc pacto stat, quòd sit bona, atque appetibilis absque materia illam appetente, quia hoc pacto esset sibi ipsi cōueniens, & appetibilis; ergo, &c.

Tertiò. Si talis conuenientia, &c. ergo æqualiter omnia essent bona bonitate transcendentali, quod tamen est falsum, quia sicut res non sunt æqualiter entia, nec etiam possunt esse æqualiter bona, quia non stat æqualitas proprietatis cum inæqualitate subiecti, à quo primò, & secundùm quòd ipsum emanat.

Consequentia probatur. Ea sunt æqualiter bona, quorū opposita sunt æqualiter mala, quia *Cap. de oppositis*, semper malum contrarium bono, sed opposita contradictoriè ad ea, quæ sibi conuenire dicuntur, sunt æqualiter mala, quia sunt æqualiter destructiua, alioquin inter contradictoria daretur medium, contra Aristo. 10. *Metaph. Tex.* 15. ergo

acce-

accepta bonitate rei pro conuenientia sui ipsius, omni *ex* æqualiter bona.

Quartò. Conuenientia dicit essentialiter relationem, vel saltem inclinationem, & ordinem fundamentalem ad id, cui conuenit, quia si nulli conueniret, nec etiam data fingendi venia posset imaginari bona sed nihil dicit relationem ad se ipsum, nisi secundum rationem dicatur distinctum in se ipso, ergo si bonum dicit sui ipsius conuenientiam erit diuisum in duas partes, quarum vna alteri erit conueniens, quòd si sic; ergo iam facta est conuenientia dicens rationem perfectiui alterius, non sui ipsius, secundùm quod Aristo. 8. *Physi. Tex.* 40. &c. dicit, quòd idem non mouet se ipsum, quia tale mouens se ipsum semper diuiditur in duas partes, quarum vna est mouens, altera mota, ergo ens secundùm se totum non est bonum, sed solum secundùm illam partem, quæ habet rationem conuenientis, & perfectiui, quia altera pars, cui conuenit perfectibilitas, comparatur ad partem perfectiuam, non vt bona secundùm se, sed quatenus in potentia ad suscipiendam bonitatem alterius partis perficientis ipsum, sicut de mouente se ipsum ex Aristo. *ibidem*.

Quarta Conclusio. Bonum transcendentale significat conuenientiam, quatenus alterius perfectiua.

Antequam conclusio probetur, considerandum, quòd non sic intelligitur perfectio alterius, quòd verificetur de quocumque ente, quod cæteris omnibus comparatum sit illorum omnium perfectiuum; tum quia de facto experimur, quòd sæpissimè illud, quod vni cõuenit, alteri inconuenit, vt caliditas, quæ conuenit igni, incõuenit aquæ; tum quia si omnia omnibus conuenirent, nulla esset generatio; quia semper vnius generatio, alterius corruptio 1. *de generat. Tex.* 17. & corruptio nõ est nisi à contrario, quod vt

sic

fic nullam conuenientiam habet cum re corrupta, sed intelligitur conuenientia, & perfectio in ordine ad illa, quibus ex sui natura natū est conuenire ad modum, quo Aristo. 2. *Phys. Tex.* 61. quòd frustra non est dicendum illud, cui non succedit simpliciter id, cuius gratia factum est aliquid, sed id solùm, quando non succedit, & tamen illius natura erat, quòd eueniret;

In hoc sensu intelligitur in conclusione, quòd omne ens est perfectiuum alterius, & sit bonum, nec aliquam difficultatem patitur conclusio; tum quia quælibet res, non solùm in se ipsa est absolutè perfecta, verùm etiam ex ipsa cum alijs adunata consurgit perfectio vniuersi, immò quælibet res ita ex sui natura alteri consonat, quòd ad alteram habet inclinationem, & ordinem fundamentalem, à quo sequitur compléta vniuersi integritas, & perfectio; tum etiam quia si solitariè loquamur de ente finito, non potest dari aliquod ens reale, quod non sit saltem conueniens, vel conferendo ad esse alterius, vel ad aliquam perfectionem in illo repertam; Si de infinito, iam sufficienter probatum est C. 4. quòd Deus est finis vltimus omnium, & quòd omnia ad illum ordinantur, tamquam ad summum bonum, omnes perfectiones omnium eminentissimè continens.

Conclusio in hoc sensu accepta sic potest probari, ex habitis in tertia Conclusione.

Bonum non dicit sui ipsius conuenientiam; ergo habet pro ratione formali, quòd sit perfectiuum alterius, quia non est imaginabilis alius modus conuenientiæ, quàm sui ipsius, & alterius.

Secundò. Ex eo quòd aliquid est melius ad vnius cuiusq; substantiam, illud sic melius per causam finalem demonstratur 2. *Phys. Tex.* 74. Sed melius est secundùm naturam entis, quòd bonitas rei habeat rationem perfectiui

in ordine ad aliud, quàm quòd sibi solum sit conueniens; ergo talis conuenientia in ordine ad aliud in ente non est deneganda. Minor probatur. Esse factiuum aliorum est perfectio naturæ, tum quia nihil agit, nisi quatenus est actu; tum quia perfectum est illud, quod potest facere alterum, quale ipsum 4. *Meteororum C.* 1; ergo esse communicatiuum suæ bonitatis alijs est perfectio naturæ; immò maior perfectio, quàm illa, quæ potest imaginari in ente, nullo habito ordine perfectionis acceptæ in aliud; tum quia hæc arguit perfectionē talem in re, quæ potest communicare, qualem nō licet arguere in ente habente solam sui ipsius conuenientiam, sine sui ipsius virtute communicatiua; etenim Aristc. 8. *Moralium Nicomac. C. vltimo.* dicit, quòd amare, (cuius essentialis natura est velle bonum) non solùm est virtus amicorum, sed quòd amicitia magis consistit in amare, quàm amari; *tum quia secundo magnorum moralium. C.* 12. legitur *amare melius est, quàm amari, siquidem amare, voluptatis actio quædam est, & bonum. ab eo autem, quòd amatur, nulla actio est.* paulò inferius. Rursus, *beneficium esse melius, quàm secus, qui amat, quatenus amat, beneficus est, amatus verò, quatenus amatur non*; ergo *Moraliū nicomac C.* 8. *bonus vir sui ipsius amator, nam honesta agendo, & sibi, & alijs proderit*; ergo ex his omnibus melior est conuenientia in rebus, vt sunt aliarum perfectiuæ, quàm alia quæcunq; excogitata conuenientia; ergo in hac conuenientia erit bonitatis essentia.

Quòd vltimò ratio boni consistat in hoc, quòd ens sit perfectiuum per modū finis, sic probatur. Vnumquodque magis dicendum tale, secundùm illud, quod sibi conuenit secundùm propriā rationem, quàm secundùm aliud quodcumq; non tale; sed bonum secundùm se, & ex sui ratione formali est ipsa ratio finis in actu exercito, vt supra, & ita causa,

causa, quòd semper illius causa, & fiunt, & sunt cætera 3. *Meta. Tex.* 3; ergo Si bonum est alterius perfectiuum, illud erit tale potius per modum finis, quàm aliter vtcunq;

Quinta conclusio. Ratio boni est formaliter absoluta, & ad talem rationem absolutã sequitur relatio ad appetitũ.

Probatur conclusio. Illa est ratio formalis boni, ad quam proximè sequitur appetibile, eo quòd appetibilitas est adæquata passio boni, sed ad relationem rationis perfectiui ad perfectibile, vt sic, non consequitur appetibilitas; tum quia experimur, quòd homo appetẽdo sanitatem, aurum, & alia bona, non appetit relationem, quam habent illa, quæ sunt perfectiua; tum quia talis relatio, vt constat, est posterior re appetita; tum quia eadem relatio nihil facit ad liberandum hominem ab ægritudine, vel à quacunque alia molestia, quam potest quis habere, cuius causa quæritur & appetitur bonum, sed solùm res, quæ habet talem conuenientiam, & facultatem ad liberandum à molestijs, quare si relatio non fundat appetibilitatẽ; ergo ratio boni est absoluta, quia inter relatiuum, & absolutum nihil mediat.

Dico relationem vt sic, idest vt consequens rationem perfectiui, quia si consideretur relatio secundum se, siue realis, siue rationis, sic potest fundare appetibilitatem realis, vt infra, rationis. C. 47.

Duo consideranda veniunt, primum, quòd si ratio boni dicitur absoluta, illud intelligitur secludendo semper ea, quæ intrinsecè includunt rationem entis, quia cum sit talis ratiò boni absoluta, iam est ineuitabile, quòd sit entitas; tum quia aliter, bonum diceret conceptum negatiuum; tum quia, vt supra C. 19. ens dicitur quidditatiuè de omnibus, ad quod sequitur, quòd in ratione formalissima boni secludenda sint ea, quæ dicunt rationem entis.

Secundum, quando dicitur à Philoſophis, quòd bonum addit ſupra ens ſolam relationem rationis, illud eſt intelligendum de relatione, quæ conſequitur perfectiuum, non autem de ipſa ratione perfectibi, & bonitatis, quaſi quòd ſit talis ratio boni relatiua, &c.

Sed interrogabit aliquis, ſi dicta relatio ſolùm ſequitur ad bonum, quid rei habet hæc relatio rationis cum ente, quod communiter dicitur bonum addere ſupra ens relationem rationis, quia etiam hoc pacto licebit dicere, quòd homo addit ſupra animal riſibilitatem, quia ad rationalitatem, quæ eſt ratio formalis hominis, ſequitur riſibilitas, quòd nec adhuc eſt excogitatum, quòd ſciam.

Reſpondetur, quòd eſt diſpar ratio huius relationis, & riſibilitatis, quia nomine boni quamuis ſignificetur ſola ratio abſoluta, tamen eodem nomine bonitatis connotatur relatio conſequens, eò quòd non eſt intelligibile perfectiuum ſine relatione ad perfectibile, quia ſunt relatiua ſecundum dici, ſicut ſcientia, & ſcibile, & ſic quamuis formaliter abſoluta, tamen concipi non poſſunt ſine relatione, nomine autem rationalitatis, riſibilitas nec ſignificatur, nec connotatur, tum quia experimur, quòd perfectiſſimè intelligens ea, quæ ſunt eſſentialia rationalitatis, nihil cogitando de riſibilitate, ſaltem in prima operatione, tum quia rationalitas non eſt relatiua nec ſecundùm eſſe, nec ſecundùm dici, ſed ſimpliciter abſoluta. quare, &c.

Sexta Concluſio. Ens, quod eſt ſubiectum bonitatis tranſcendentalis, eſt ens participaliter ſignificans ens ſub exiſtentia, vel vt exiſtens.

Concluſio in hunc modum probatur. Primò. Nulla res, nulla eſſentia deſideratur, amatur, & delectat, niſi quia eſt in actu exercito, aut fuit, aut ſperatur fore, ergo nulla res eſt bona, nec terminat actum appetitus, niſi ſit exiſtēs.

Secundò. Omnia appetunt suam perfectionem; ergo id, quod est appetitum, est perfectum, quia ab imperfectis quatenus imperfecta non nascitur aliqua imperfectio; sed nihil est perfectum nisi ens actu, quod est existens, essentia namque, exclusa actuali existentia, & solum retinens ordinem ad ipsam est semper imperfecta; Immò nihil, iuxta illud *in prædicamentis: Destructis primis substantijs* &c. impossibile est remanere; ergo nullum ens formaliter bonum, nisi existens; ergo &c.

Tertiò. Nulla res denominata appetit formam denominantem, nisi vt denominatiuum ex illa fit in re denominata, & de illa prædicetur, animal sanitatem, nisi vt sanitas sit in ipso, & animal denominetur sanum, sed bonum est appetibile non nisi in quantum perfectiuum, vt probatum est Conclusione quarta; ergo esse in actu est, ex quo fundamentaliter, & radicaliter proximè res dicitur bona; ergo &c.

In hac re duo consideranda veniunt. Primum, quòd existentia aliter dicitur ratio boni, aliter essentia ratio veri, etenim existentia non dicitur, quòd fundet bonitatem, quasi quòd appetitus appetat solùm rem bonam, & existẽtia in tali actu sit sola conditio, sed quia appetitus etiam terminatur ad rem secundùm formalem rationem boni existentis, etenim bonum entitatis etiam est illud, quod formaliter est appetitũ: Veritas autem se habet ad intellectum solùm, vt conditio, quia intellectus intellegẽdo rem, non semper intelligit veritatem, sed solùm entitatem, vt induit rationem, & modum quid est. Quod dictum est de intellectu, magis verificatur de sensu, quia licet & ipse sit verus circa proprium obiectum, vt dicitur 2. *de Anima Tex.* 63. 3. *Tex.* 26. & non nisi rem veram possit cognoscere, tamen non veritatem, sed solùm rem veram cognoscit,

ſcit, quia veritas etiam in tali ſenſatione eſt ſola, & ſimplex conditio.

Interrogabit aliquis, ſi intellectus, & ſenſus cognoſcit rem veram, quatenus veritas dicit ſolam conditionem neceſſariam in obiecto, modò, quia nihil appetitũ niſi prius cognitum, qui fieri poteſt, quòd voluntas, & vniuerſaliter quilibet appetitus feratur in bonum, ſiue verum, ſiue apparens, vt dicitur 2. *Phyſ. Tex.* 31. quia ſic videtur, vel quòd cognoſcens æqualiter feratur in rem, ſiue veram, ſiue falſam, & ſic veritas non ſit conditio cognoſcẽtis, vel quòd appetitus non appetat, niſi bonum verum.

Reſpondetur, quòd aliter ſe habet cognoſcens ad ſuum obiectum, aliter appetitus cognitio perficitur, quià cognitum recipitur in cognoſcente, & cognoſcentes fit cognita in eſſe cognoſcibili, & immateriali, ad quod ſequitur quòd cognoſcens, iudicium faciendo, & attingendo obiectum, ſi aliter apprehendat, & iudicium faciat, quàm res ſit, iam amplius cognoſcens non ſit illud cognitum; quare non niſi verum cognoſci poteſt; obiectum autem voluntatis, quia non eſt in appetitu, niſi ſecundùm affectionem, & complacentiam, & appetitus inclinatur, & trahitur in rem appetitam, ſecundùm quòd iudicium factum eſt a cognoſcente de bonitate obiecti, inde ſiue tale iudicium ſit rectum, ſiue non, ſemper appetitus tendit in illud; & appetitus etiam ad bonitatem formaliter rei obiectæ, quatenus tamẽ bonitas talis abſtrahit à vero, vel non vero, apparente tamen, & hoc ſi ſermo ſit de appetitu hominis, & brutorum, ſecus eſt de voluntate Dei, & Intelligentiarum, quia in iſtis nullus poteſt cadere error, ſecundùm quem illorum volitio terminetur ad bonum apparens; idem in appetitu naturali; tum quia opus naturæ eſt opus Intelligentiæ, vt colligitur 2. *Phyſ. Tex.* 78 [illegible] & *ſequentibus* & Intelligentia,

vt

vt dictum est, errare non potest; tum quia experimur, quòd nullà res carens cognitione inclinatur ad id, quòd fortè si esset potentia cognoscitiua, sibi esset apparenter bonum, immò quod non nisi violenter trahitur ad illud, quod repugnat rei, quæ sibi conuenit.

Secundò. Considerandum est, quod nō dicitur necessaria existentia realis in omnibus, vt habeant rationem boni, atque vt in actu exercito terminent actum appetitus; tum quia si talis existentia realis foret necessaria, iam ens rationis, & secundæ intentiones nullam rationem bonitatis haberent, & tamen oppositum est demonstrandum C. 47. tum quia obiectum intelligibile est bonum, & perfectio obiectiua intellectus, etiam si solùm sit in esse intentionali, immò in tali statu reducit intellectum priùs in potentia ad actum primum, & facit quòd possit per se ipsum operari, & se ipsum etiam intelligere 3. *de Anima Tex.8.* quod arguit ad omnem bonitatem non esse necessariam existentiam realem rei perfectiuæ, vt eliciatur actus appetitus in rem bonam; sed sola bonitas, quæ conuenit iuxta bonum, & naturam rationis formalis rei perfectiuę, & perfectibilis, semper diuersa diuersis applicando; tum quia obiecta sensibilia, & ipsa habent rationem boni, vt sunt in medio, & organo perficiendo ipsa, illa vt sunt differentia obiectum in esse cognoscibili, hæc vt instrumentaliter cognoscentia, cū potētia principaliter attingente obiectum.

Ratio generalis est hæc. Illud obiectum debet existere solùm eo modo, quo est perfectiuum; sed in aliquibus requiritur existentia realis, in alijs sola intentionalis, facit quòd res sit conueniens, & perfectiua, vt in exemplis datis; ergo existentia, quę requiritur in obiecto appetitus, est abstracta ab existentia reali, & rationis, vtcunque sit talis abstractio; ergo, &c.

Si

Si quis diceret, quòd talis existentia, quæque sit, debet esse realis, quia nisi de facto illa, quæ debent esse perfectiua, non adessent, iam non exercerent actum bonitatis, alliciendo, & attrahendo appetitum.

Respõdetur, quòd si reale intelligatur idem, quod actu, ad differentiam rei in potentia, vtique existentia hoc pacto est necessaria; tamẽ quia quæcumque actualis existentia non semper est necessaria in actu, secundùm illud esse naturale, quod potest conuenire rebus bonis, vt in exemplis datis, sed aliquando sufficit intentionalis, vt in obiecto intellectus, aliquando etiam realis repugnat, vt in secundis intentionibus, inde existentia actualis necessaria rebus bonis est abstrahens non solùm à reali, & rationis, sed à reali, etiam in esse naturali, & intelligibili.

Occurrunt tres difficultates resoluendæ, quæ ab omnibus proponuntur, & sunt ad docendum, quòd bonum non sit proprietas cònuertibilis cum ente reali.

Prima est de Mathematicis, quæ secundum Aristo. 3. *Meta. Tex.* 2. non sunt bona, & tamen sunt entia realia.

Secunda de relatione reali, quæ secundùm sui rationem formalem solùm est ad aliud, vt dictum est Cap. 20. & tamen nullum ad aliud habet rationem perfectiui, vt finis; tum quia esse ad aliud nullum includit in, & existentiam necessariam ad rationem boni, vt faciunt alia accidentia, quando dicitur, quantitas mensura substantiæ, qualitas dispositio; tum quia perfectiuum dicitur in ordine ad perfectibile, non in ordine ad extrinsecum terminum præcisè.

Tertia de materia prima, quæ cum sit pura potentia non videtur, quòd possit dici bona, si existentia actualis, est necessaria ad rationem boni.

Huic additur quarta de potentia, quæ est principium

ma-

materiale secundùm proportionem ad omnia accidentia, eo quòd dicitur 12. *Meta. Tex. 19. vsque ad 29.* quòd materia, forma, priuatio substantiæ sunt principia propria illius; eadem in genere quantitatis sunt principia in genere quantitatis, & similiter principia propria omniũ generum proportionata; ex quo sequitur, quòd potentiæ aliorum generum tantò maiorem difficultatem faciant, quãtò imperfectiora materia prima, etenim ex imperfectione accidentis in ordine ad substantiam, principia accidentis, principijs substantiæ imperfectiora dici debent, & tamen entia realia, quia non possunt imaginari principiã rerum, si ipsa non forent realia, quia si rectè dicitur 1. *Phys. Tex. 52. quomodo ex non substantia fit substantia?* à simili quomodo ex non reali fit reale? ergo minùs sunt bona hæc principia materialia in accidẽtibus, quam materia prima.

Ad primum respondetur, quòd formale significatum aliquando pertinet ad res, vt continetur sub ordine rerũ, vt res sunt, aliquando sub ordine rerũ, vt intelligibiles sunt, eo quòd omnia cõsiderari possũt, & vt res, & vt intelligibiles. Conueniunt quidem talia sub hac duplici consideratione, accepta in hoc, quòd æqualiter non nisi in ordine ad existentiam accipiuntur; differunt, quia prima accipiuntur, vt ordinata ad existentiam in esse naturali, & reali; secunda in esse intelligibili, quare Mathematica, quia non habent, vt sic abstracta, quòd existant secundùm esse naturale, sicut si in materia ponantur, sed solùm existentia intelligibili, inde formaliter, vt sic, non dicunt rationem perfectiui, etiamsi intrinsecè includant rationem entis, nec bonum, quod conuenit rebus in esse naturæ positis de ijsdem Mathematicis verificari potest, quia vt in vltima conclusione, appetitus solùm terminatur ad rem, secundùm formalem rationem existentis, eo quòd, vt ibidem, entitatis bonum

est illud, quod formaliter est appetitum, & hoc est, quod Aristo. maximè intendit, quando negat bonum, & finem in mathematicis.

Nihilominus bonum est, quod conuenit rebus, quatenus sunt in genere intelligibilium, & omnibus habentibus existentiam obiectiuam, & mathematicis etiam non est denegandum, iuxta illud 1. *de Anima Tex.* 1. *Bonorum, & honorabilium notitiam opinantes*, quicquid sit de eo, quod dicitur ab Aristo. 12. *Meta. Tex.* 51. *etenim non videre quidem quadam dignius, quàm videre*. eo quòd ex tali textu Aristotelis non potest inferri, quòd cognitio mali formaliter sit mala, quia solùm intendit Aristo. quòd melius est non videre, quãdo vilia intelligens retrahitur à dignioribus intelligendis, immò nec etiam ex *Tex.* 4. *noni Meta.* vbi probatur, quòd eadem scientia est contrariorum; medicina sanitatis, & ægritudinis, etenim scientia, vt *ibi* dicitur est per se boni, per accidens mali, & ea, quæ per accidens, non cadunt sub consideratione.

Ad secundum de relatione. Respondetur quòd cum propria essentia relationis, formalissimè accepta non attendatur ex ordine ad subiectum, in quo est siue reale, siue secundùm rationem, vt dictum fuit C. 20. & 21. sed semper abstrahat ab in, idest ab illius propria, & adæquata existentia, sequitur, quòd relatio, vt sic nullam dicat perfectionem, nec bonum, & tamen quatenus in subiecto inhærens, siue reali, siue secundùm rationem semper dicat perfectionem, & fundet appetibilitatem, quia non est intelligibile, quòd, vt sic non comparetur ad subiectum, vt actus perfectiuus ad potentiam perfectibilem, loquor de relatione, vt distincta à re, cuius relatio, quia si foret relatio secundum substantiam, idem quòd res relata, vel idem essentiæ rei relatæ secundum rem, adhuc, vt eadem, quòd res rela-

relata diceret perfectionem, & bonum, sicut essentia, & substantia, cui identificata foret.

Ad tertium de materia respondetur. Vel loquimur de materia secundum se, & absolutè, vt pura potentia, vel vt habens esse à forma; si primò, materia sicut ens in potentia, sic bona in potentia; si secundò cum habeat in tali statu existentiam, quæ vt supra est ratio, quòd appetitus terminetur ad rem bonam, sic etiam est bona, quia ex ipsa saltem cõsurgit perfectio compositi, tamquam intrinseca, & essentialis pars quidditatis illius; Idem proportionalitate seruata dicitur de potentia, quæ est principium naturale ad omnia accidentia, etenim hæc potentia, vt sic proportionali modo conferens accidentibus causat sui ipsius appetibilitatem talem, quòd bona, & perfectiua necessariò sit asserenda, habita semper differentia inter materiam principium substantiæ, & materiam, quæ est principium potentiale in accidentibus, quòd principium tale in accidentibus solùm est ratio recipiendi actum illius generis, & nunquam intrinsecè componens aliquod accidens; principium autem in genere substantiæ, quod dicitur materiale, intrinsecè componit substantiam.

*Quòd ens rationis habet veras passiones, à priori de ipso demonstrabiles. Cap. XLII.*

EX quo illud, quod dictum est in præcedentibus circa proprietates entis realis, vt ens, proportionalitate seruata, verificatur etiam de ente rationis, quod clauditur in genere secundarum intentionum, etenim genus, species, & aliæ relationes secundùm rationem, sicut facilè est videre, si rationes, de quibus in præcedentibus ad easdem relationes, & secundas intentiones applicentur

 sunt,

sunt, dico, indiuisæ, habét aletatem, atque distinctionem, illorum essentiam respicientem, retinent solùm existētiam obiectiuam, desumptam à Reor, reris; retinét conformitatem cum intellectu, & appetitu, & sic tandem vnum, aliquid, res, verum, & bonum, proportionaliter de ipsis prædicatur. Inde occurrentem difficultatem, specialiter contra passiones entis rationis positiuas proponemus, ex cuius solutione, completa erit cognitio necessaria à sustinétibus, quòd ens rationis habet veras passiones, de ipso demonstrabiles à priori, & successiuè etiam illa, ex quibus speciales difficultates sequuntur contra singulas rationes formales, vnitatis, veritatis, &c. quàm breuissimè resoluenda curabimus.

Difficultas, secundùm quam videtur dubitandum, quòd ens rationis habeat veras proprietates positiuas est hæc. Vel subiectum passionum, de quibus in præsenti est ens, vt ens abstractum, vtcunque ab ente reali, & rationis, vel vt solùm contrahitur ad ens rationis; si primo modo, vbicunque tale sic abstractum à reali, & rationis sit commune analogum, & proportionale; ergo proprietates, vnum, verum, &c. erunt & ipsæ proportionaliter abstractæ à reali, & rationis, vt constat, & sic non habebimus passiones entis rationis, quas quærimus, sed solum entis, vt ens; vbicunque autem sit æquiuocum, iam diffinitiones, & demonstrationes erunt singulis propriæ, & sic tales passiones entis erunt entis rationis, vt in secunda acceptione, idest vt tale ens contractum ad entitatē rationis, quòd si sic, quando comparatur tale ens rationis, vt subiectum ad suas passiones, verum, bonū; quia ambo sunt entia positiua, immò etiam, relationes rationis, quia ex dictis *Cap. 20.* nō datur ens rationis positiuum, quod non sit relatio rationis; ergo nulla distinctio, etiam secundum rationem inter subiectum, &

passio-

passionem; ergo veritas, bonitas, nihil addit supra ens rationis, quod est illius subiectum; ergo nec subiectum fundat tales passiones; ergo, &c.

Si quis fingeret, quòd vna relatio rationis fūdet aliam, de alia prædicetur, & ab alia distinguatur, ad modū, quo vnum accidens est proprietas alterius, & aliud subiectum vnius, vt quantitas in ordine ad æqualitatem, qualitas ad similitudinem, &c. Vel alius diceret, quòd subiectum est relatio rationis in genere, passio est particularis relatio rationis, vel ad intellectum solùm, vt verum, vel ad appetitum, vt bonum.

Contra vtrunque, & primò contra primum, tali pacto. Si sic ergo ens rationis communissimè acceptum non est subiectum harum passionum, sed particularia entia rationis; ergo nec passiones entis rationis proportionaliter respondent passionibus entis realis, quia non modò constat, quòd particularia entia realia sunt vera, bona, &c. sed ens reale, etiam communissimè acceptum; vlterius, ergo idem posset dici de ente reali, quòd sūt particularia entia realia, quę fundant proprietates reales, & sic innumeræ difficultates afferri possent facillimè, quæ occurrunt assignando subiectum ens reale communissimè acceptum, quare inutiliter Metaphysici anxiarentur pro sustinendis proprietatibus de ente reali, communissimè accepto; Vlterius quî fieri potest, quòd omnia particularia entia fundent particulares passiones, & ens communissimè acceptū, easdem communissimè acceptas fundare nō valeat? si iuxta regulam posterioristicam. Quod conuenit pluribus, & vni non per aliud, &c.

Contra secundum. Si subiectum est relatio rationis in genere, passio, relatio particularis; ergo sicut ens reale non includitur formaliter in eo, per quod terminatur, tum quia

in

scit, quia veritas etiam in tali sensatione est sola, & simplex conditio.

Interrogabit aliquis, si intellectus, & sensus cognoscit rem veram, quatenus veritas dicit solam conditionem necessariam in obiecto, modò, quia nihil appetitū nisi prius cognitum, qui fieri potest, quòd voluntas, & vniuersaliter quilibet appetitus feratur in bonum, siue verum, siue apparens, vt dicitur 2. *Phys. Tex.* 31. quia sic videtur; vel quòd cognoscens æqualiter feratur in rem, siue veram, siue falsam, & sic veritas non sit conditio cognoscẽtis, vel quòd appetitus non appetat, nisi bonum verum.

Respondetur, quòd aliter se habet cognoscens ad suum obiectum, aliter appetitus cognitio perficitur, quia cognitum recipitur in cognoscente, & cognoscentes fit cognita in esse cognoscibili, & immateriali, ad quod sequitur quòd cognoscens, iudicium faciendo, & attingendo obiectum, si aliter apprehendat, & iudicium faciat, quàm res sit, iam amplius cognoscens non fit illud cognitum; quare non nisi verum cognosci potest; obiectum autem voluntatis, quia non est in appetitu, nisi secundùm affectionem, & complacentiam, & appetitus inclinatur, & trahitur in rem appetitam, secundùm quòd iudicium factum est à cognoscente de bonitate obiecti, inde siue tale iudicium sit rectum, siue non, semper appetitus tendit in illud; & appetitus etiam ad bonitatem formaliter rei obiectæ, quatenus tamẽ bonitas talis abstrahit à vero, vel non vero, apparente tamen, & hoc si sermo sit de appetitu hominis, & brutorum, secus est de voluntate Dei, & Intelligentiarum, quia in istis nullus potest cadere error, secundùm quem illorum volitio terminetur ad bonum apparens; idem in appetitu naturali; tum quia opus naturæ est opus Intelligentiæ, vt colligitur 2. *Phys. Tex.* 78. & *sequentibus* & Intelligentia,

vt

vt dictum est, errare non potest; tum quia experimur, quòd nullã res carens cognitione inclinatur ad id, quòd fortè si esset potentia cognoscitiua, sibi esset apparenter bonum, immò quod non nisi violenter trahitur ad illud, quod repugnat rei, quæ sibi conuenit.

Secundò. Considerandum est, quod nō dicitur necessaria existentia realis in omnibus, vt habeant rationem boni, atque vt in actu exercito terminent actum appetitus; tum quia si talis existentia realis foret necessaria, iam ens rationis, & secundæ intentiones nullam rationem bonitatis haberent, & tamen oppositum est demonstrandum C. 47. tum quia obiectum intelligibile est bonum, & perfectio obiectiua intellectus, etiam si solùm sit in esse intentionali, immò in tali statu reducit intellectum prius in potentia ad actum primum, & facit quòd possit per se ipsum operari, & se ipsum etiam intelligere 3. *de Anima Tex.* 8. quod arguit ad omnem bonitatem non esse necessariam existentiam realem rei perfectiuæ, vt eliciatur actus appetitus in rem bonam; sed sola bonitas, quæ conuenit iuxta bonum, & naturam rationis formalis rei perfectiuę, & perfectibilis, semper diuersa diuersis applicando; tum quia obiecta sensibilia, & ipsa habent rationem boni, vt sunt in medio, & organo perficiendo ipsa, illa vt sunt differentia obiectum in esse cognoscibili, hæc vt instrumentaliter cognoscentia, cũ potētia principaliter attingente obiectum.

Ratio generalis est hæc. Illud obiectum debet existere solùm eo modo, quo est perfectiuum; sed in aliquibus requiritur existentia realis, in alijs sola intentionalis, facit quòd res sit conueniens, & perfectiua, vt in exemplis datis; ergo existentia, quę requiritur in obiecto appetitus, est abstracta ab existentia reali, & rationis, vtcunque sit talis abstractio; ergo, &c.

Si

materiale secundùm proportionem ad omnia accidentia, eo quòd dicitur 12. Meta. Tex. 19. vsque ad 29. quòd materia, forma, priuatio substantiæ sunt principia propria illius; eadem in genere quantitatis sunt principia in genere quantitatis, & similiter principia propria omniũ generum proportionata; ex quo sequitur, quòd potentiæ aliorum generum tantò maiorem difficultatem faciant, quãtò imperfectiora materia prima, etenim ex imperfectione accidentis in ordine ad substantiam, principia accidentis, principijs substantiæ imperfectiora dici debent, & tamen entia realia, quia non possunt imaginari principia rerum, si ipsa non forent realia, quia si rectè dicitur 1. *Phys. Tex. 52. quomodo ex non substantia fit substantia?* à simili quomodo ex non reali fit reale? ergo minùs sunt bona hæc principia materialia in accidẽtibus, quam materia prima.

Ad primum respondetur, quòd formale significatum aliquando pertinet ad res, vt continetur sub ordine rerũ, vt res sunt, aliquando sub ordine rerũ, vt intelligibiles sunt, eo quòd omnia cõsiderari possũt, & vt res, & vt intelligibiles. Conueniunt quidem talia sub hac duplici consideratione, accepta in hoc, quòd æqualiter non nisi in ordine ad existentiam accipiuntur; differunt, quia prima accipiuntur, vt ordinata ad existentiam in esse naturali, & reali; secunda in esse intelligibili, quare Mathematica, quia non habent, vt sic abstracta, quòd existant secundùm esse naturale, sicut si in materia ponantur, sed solùm existentia intelligibili, inde formaliter, vt sic, non dicunt rationem perfectiui, etiamsi intrinsecè includant rationem entis, nec bonum, quod conuenit rebus in esse naturæ positis de ijsdem Mathematicis verificari potest, quia vt in vltima conclusione, appetitus solùm terminatur ad rem, secundùm formalem rationem existentis, eo quòd, vt ibidem, entitatis boni ma-

 est

est illud, quod formaliter est appetitum, & hoc est, quod Aristo. maximè intendit, quando negat bonum, & finem in mathematicis.

Nihilominus bonum est, quod conuenit rebus, quatenus sunt in genere intelligibilium, & omnibus habentibus existentiam obiectiuam, & mathematicis etiam non est denegandum, iuxta illud 1.*de Anima Tex.* 1. *Bonorum, & honorabilium notitiam opinantes*, quicquid sit de eo, quod dicitur ab Aristo. 12.*Meta.Tex.*51.*etenim non videre quidem quadam dignius, quàm videre*. eo quòd ex tali textu Aristotelis non potest inferri, quòd cognitio mali formaliter sit mala, quia solùm intendit Aristo. quòd melius est non videre, quādo vilia intelligens retrahitur à dignioribus intelligendis, immò nec etiam ex *Tex.*4. *noni Meta.* vbi probatur, quòd eadem scientia est contrariorum; medicina sanitatis, & ægritudinis, etenim scientia, vt *ibi* dicitur est per se boni, per accidens mali, & ea, quæ per accidens, non cadunt sub consideratione.

Ad secundum de relatione. Respondetur quòd cum propria essentia relationis, formalissimè accepta non attendatur ex ordine ad subiectum, in quo est siue reale, siue secundùm rationem, vt dictum fuit C.20. & 21. sed semper abstrahat ab in, idest ab illius propria, & adæquata existentia, sequitur, quòd relatio, vt sic nullam dicat perfectionem, nec bonum, & tamen quatenus in subiecto inhærens, siue reali, siue secundùm rationem semper dicat perfectionem, & fundet appetibilitatem, quia non est intelligibile, quòd, vt sic non comparetur ad subiectum, vt actus perfectiuus ad potentiam perfectibilem, loquor de relatione, vt distincta à re, cuius relatio, quia si foret relatio secundum substantiam, idem quòd res relata, vel idem essentiæ rei relatæ secundum rem, adhuc, vt eadem, quòd res

rela-

relata diceret perfectionem, & bonum, ficut essentia, & ſubſtantia, cui identificata foret.

Ad tertium de materia reſpondetur. Vel loquimur de materia ſecundum ſe, & abſolutè, vt pura potentia, vel vt habens eſſe à forma; ſi primò, materia ſicut ens in potentia, ſic bona in potentia; ſi ſecundò cum habeat in tali ſtatu exiſtentiam, quæ vt ſupra eſt ratio, quòd appetitus terminetur ad rem bonam, ſic etiam eſt bona, quia ex ipſa ſaltem cõſurgit perfectio compoſiti, tamquam intrinſeca, & eſſentialis pars quidditatis illius; Idem proportionalitate ſeruata dicitur de potentia, quæ eſt principium naturale ad omnia accidentia, etenim hæc potentia, vt ſic proportionali modo conferens accidentibus cauſat ſui ipſius appetibilitatem talem, quòd bona, & perfectiua neceſſariò ſit aſſerenda, habita ſemper differentia inter materiam principium ſubſtantiæ, & materiam, quæ eſt principium potentiale in accidentibus, quòd principium tale in accidentibus ſolùm eſt ratio recipiendi actum illius generis, & nunquam intrinſecè componens aliquod accidens; principium autem in genere ſubſtantiæ, quod dicitur materiale, intrinſecè componit ſubſtantiam.

### *Quòd ens rationis habet veras paſſiones, à priori de ipſo demonſtrabiles. Cap. XLII.*

EX quo illud, quod dictum eſt in præcedentibus circa proprietates entis realis, vt ens, proportionalitate ſeruata, verificatur etiam de ente rationis, quod clauditur in genere ſecundarum intentionum, etenim genus, ſpecies, & aliæ relationes ſecundùm rationem, ſicut facilè eſt videre, ſi rationes, de quibus in præcedentibus ad eaſdem relationes, & ſecundas intentiones applicentur

sunt, dico, indiuisæ, habēt aliꝫ etatem, atque distinctionem, illorum essentiam respicientem, retinent solùm existētiam obiectiuam, desumptam à Reor, reris; retinēt conformitatem cum intellectu, & appetitu, & sic tandem vnum, aliquid, res, verum, & bonum, proportionaliter de ipsis prædicatur. Inde occurrentem difficultatem, specialiter contra passiones entis rationis positiuas proponemus, ex cuius solutione, completa erit cognitio necessaria à sustinētibus, quòd ens rationis habet veras passiones, de ipso demonstrabiles à priori, & successiuè etiam illa, ex quibus speciales difficultates sequuntur contra singulas rationes formales, vnitatis, veritatis, &c. quàm breuissimè resoluendas curabimus.

Difficultas, secundùm quam videtur dubitandum, quòd ens rationis habeat veras proprietates positiuas est hæc. Vel subiectum passionum, de quibus in præsenti est ens, vt ens abstractum, vtcunque ab ente reali, & rationis, vel vt solùm contrahitur ad ens rationis; si primo modo, vbicunque tale sic abstractum à reali, & rationis sit commune analogum, & proportionale; ergo proprietates, vnum, verum, &c. erunt & ipsæ proportionaliter abstractæ à reali, & rationis, vt constat, & sic non habebimus passiones entis rationis, quas quærimus, sed solum entis, vt ens; vbicunque autem sit æquiuocum, iam diffinitiones, & demonstrationes erunt singulis propriæ, & sic tales passiones entis erunt entis rationis, vt in secunda acceptione, idest vt tale ens contractum ad entitatē rationis; quòd si sic, quando comparatur tale ens rationis, vt subiectum ad suas passiones, verum, bonū; quia ambo sunt entia positiua, immò etiam relationes rationis, quia ex dictis *Cap. 20.* nō datur ens rationis positiuum, quod non sit relatio rationis; ergo nulla distinctio, etiam secundum rationem inter subiectum, &

passio-

passionem; ergo veritas, bonitas, nihil addit supra ens rationis, quod est illius subiectum; ergo nec subiectum fundat tales passiones; ergo, &c.

Si quis fingeret, quòd vna relatio rationis fũdet aliam, de alia prædicetur, & ab alia distinguatur, ad modũ, quo vnum accidens est proprietas alterius, & aliud subiectum vnius, vt quantitas in ordine ad æqualitatem, qualitas ad similitudinem, &c. Vel alius diceret, quòd subiectum est relatio rationis in genere, passio est particularis relatio rationis, vel ad intellectum solùm, vt verum, vel ad appetitum, vt bonum.

Contra vtrunque, & primò contra primum, tali pacto. Si sic ergo ens rationis communissimè acceptum non est subiectum harum passionum, sed particularia entia rationis; ergo nec passiones entis rationis proportionaliter respondent passionibus entis realis; quia non modò constat, quòd particularia entia realia sũt vera, bona, &c. sed ens reale, etiam communissimè acceptum; vlterius, ergo idem posset dici de ente reali, quòd sũt particularia entia realia, quę fundant proprietates reales, & sic innumeræ difficultates afferri possent facillimè; quæ occurrunt assignando subiectum ens reale communissimè acceptum, quare inutiliter Metaphysici anxiarentur pro sustinendis proprietatibus de ente reali, communissimè accepto; Vlterius quì fieri potest, quòd omnia particularia entia fundent particulares passiones, & ens communissimè accep:ũ, easdem communissimè acceptas fundare nõ valeat? si iuxta regulam posterioristicam. Quod conuenit pluribus, & vni non per aliud, &c.

Contra secundum. Si subiectum est relatio rationis in genere, passio, relatio particularis; ergo sicut ens reale non includitur formaliter in eo, per quod terminatur, tum quia

in

in formalissima ratione indiuisionis non continetur, vt constat; tum quia non posset euitari, quin esset sui ipsius causa, eo quòd talis passio, vt passio, esset causata, & quatenus ens esset causa; ita ens rationis, quod est subiectum, non debet includi in eo, per quod determinatur tale ens rationis, quia sic, proportionaliter sequerētur incommoda, quæ in ente reali, quòd esset sui ipsius causa, etenim quando fit relatio rationis ab alia relatione, non solùm fit relatio, sed illius entitas, & quando relatio facit aliam, non sola relatio rationis, sed entitas etiam facit aliam; iuxta doctrinam Aristo. *primo Phys.* Contra antiquos *Tex.* 74. &c. ergo idem sui ipsius causa, quod non est intelligibile.

Forte alius diceret contra principalem difficultatem, quòd ens rationis fundando suas passiones est abstractum à relatione rationis, & solum dicit existens, quàmuis non detur aliquod tale existens secūdùm rationem, quod non sit relatio rationis, quasi quòd sic respondens imaginaretur, quòd ens sic abstractum sit vniuersale, non habens nisi vnum singulare, & quòd passiones resolui debeant in illud communissimum, iuxta doctrinam Aristo. *Cap. de vniuersali*, quando occurrit, vt *ibi* dicitur, quòd sub vniuersali non detur nisi vnum singulare, & quòd facta abstractione entis rationis hoc pacto, relatio rationis subiecti, vi talis abstractionis non continetur in relatione rationis suæ passionis, etenim subiectum sic abstractum in sui formalissima ratione posset imaginari, quòd solùm diceret existens, & proprietas existens relatiuum, & sic tandem, quòd essentialiter esset aliud, & aliud.

Posset iterum confirmari tali pacto, sicut ens reale non fūdat suas proprietates, vt reale formaliter, & præcisè, sed vt abstrahit à quocunque modo existendi, etenim tali abstractione sequuta, adhuc illud tale est vnum, verum, &c. quia

quia 7, *Meta. Tex.* 10. quod non est vnum, non est diffinibile, nec intelligibile 4. *Meta. Tex.* 10. 10. *Tex.* 7. quod non est vnum, non est ens; A simili ens rationis, vt abstrahit à quocunque modo existendi relatiuo, vel alio quouis modo, videtur, quòd sit subiectum suarum passionum; ergò etiam quòd relatio nō causetur à relatione, sed relatio solùm ab ente.

Quamuis hæc ingeniosissimè videantur dicta, tamen vim rationis nō tollunt, tùm quia nō modò proprietates entis non debent includi in ratione entis, quod est illius subiectum, verùm nec subiectum in formalissima ratione proprietatis, quamuis ratione materialis conceptus de illis prædicetur, quia stante, quòd vnum sit ens reale, tamen indiuisio significata nomine vnius nō est ens reale, relatio autem rationis ad intellectum, quæ dicitur proprietas entis rationis, vtcunque accipiatur; siue pro materiali; siue pro formali, esto etiam quòd excludatur, dico entitas rationis subiecti fundantis talem proprietatem, sicut in realibus, quando excluditur entitas realis à ratione formalissima proprietatis, adhuc semper talis ratio formalissima proprietatis entis rationis, si sit positiua, est ens rationis, quod non est admittendum in proprietatibus entis, quia vt manifestè constat, proprietas includendo subiectum in sui ratione formalissima esset maioris perfectionis suo subiecto.

Vlterius, & est confirmatio eiusdem, sicut proprietates entis realis, nihil reale addunt enti reali, quòd est illorum subiectum, quia tale ens reale, intimè claudetur in illarum formalitate, & sic proprietas perfectior subiecto; immò nec etiam ens reale diuiditur per differentias, quia genus est extra conceptum differentiarum, & adhuc ens reale, quidditatiuè, & intimè in illis datur, & de ipsis prædica-

dicatur; ergo etiam rationes formales positiuæ passionum entis rationis, quia intimè includunt ens rationis, non erunt proprietates entis rationis, & eo maximè, quia sicut ens rationis communissimum, non diuiditur per differentias in diuersa entia rationis propterea quòd intimè includitur in omni ente rationis, & semper genus est extra differentias; ergo nullum ens, & nulla formalitas positiua secundum rationē erit proprietas entis rationis, quia sēper in tali entitate, & formalitate positiua includitur ens rationis; ergo &c.

Quare semper est fictio imaginari, quòd subiectum solùm dicat existens, passio solam relationem additam existenti, quia si tale subiectum est existens; ergo ens rationis, & si passio est relatio rationis; ergo & ipsa ens rationis, & sic existens secundùm rationem; fictio etiam quòd ens non causetur ab ente, sed sola relatio ab ente, quia talis, relatio est ens, & sic ens ab ente, & à relatione relatio, quia vtrunque & subiectum, & passio sunt essentialiter entia rationis, & quamuis ens causet proprietates, vt abstrahens ab existere, iuxta illud, siue homo sit, siue non, semper est risibilis; tamē quia nec subiectum passionum, nec aliquod aliud inferius ad ipsum abstrahit ab ente, inde, & materiale, & formale, positiuum in passionibus entis rationis, semper essentialiter, & quidditatiuè est ens rationis, materiale, quia aliter passiones non forent proprietates entis, formale, quia ex imaginatione, quòd ens comparetur ad passiones, vt vniuersale continens, solùm vnum singulare; ergo essentialiter relationes rationis, sunt entia rationis; & vltimò data etiam hoc fingendi venia, passiones potius haberent rationem speciei, vel alterius singularis, quam proprietates entis, vt constat ex terminis; ergo nihil, quod dicitur in respōsione tali, valet ad sustinendas passiones entis rationis positiuas; ergo, &c.

Ad

Ad hanc difficultatem mihi videtur dicendum, quòd proprietates entis rationis, quæ significant positiuum, verum, bonum &c. occasione quarum facta est præsens difficultas, sunt relationes rationis non minus, quàm sua subiecta; tum quia nullum est ens rationis positiuum, quod non sit relatio; tum quia ab ente rationis nihil prouenire potest, tamquàm à causa, vel ratione, quòd aliud insit, tamen ex hoc non sequitur, quòd proprietas sit perfectior suo subiecto, & quòd eidem nihil addere possit.

Hoc vt faciliè intelligatur, reducenda ad memoriam, que in superioribus dicta sunt de veritate, & bonitate, quòd in ratione perfectiui, & conuenientis complentis rationem formalem bonitatis, duo accipi possunt, ratio perfectiui, quæ est res absoluta formaliter nomine perfectiui significata, & relatio cointellecta, vt consequens illud absolutum; primum, absolutum, quia nullo intellectu considerante, ens est perfectiuum alterius; secundùm, relatiuum, quia ex omnium sententia, bonum dicit ordinem ad appetitum, in ordine etiam veritatis duo possunt accipi, forma absoluta secundùm nostrum modum concipiendi, distincta à ratione formali entis, vt ens, est, & relatio cõsequens hanc formam absolutam, secundùm quam, verum refertum ad intellectum.

Cum itaque in passionibus entis realis duo considerentur, absolutum, & relatiuum, ex quo entia rationis proportionaliter fundãt suas proprietates, quando quæritur, quid addunt passiones habentes rationem positiui, supra ens rationis? Respondetur quòd vel loquimur de conceptu absoluto, in quo stat formaliter ratio veri, boni &c. vel de relatione, quæ consequitur ad istud absolutum, si primo modo passio, nihil addit, à subiecto distinctum, quia est vna realitas secundùm rationem cum subiecto, fundans, secun-

 dum

dùm nostrum modum intelligendi, diuersos conceptus, vt genereitas, in qua dantur conceptus entis rationis, relationis, generis &c. non minus quàm in realibus, quæ habent in vna simplicissima re diuersos conceptus obiectiuos, sed addit hęc passio supra ens solam rationem perfectiui, quæ non includitur in cōceptu entis,vt ens est. Si secūdo modo, pro relatione consequente, Respondetur, quòd talis relatio consequens, sicut quælibet relatio realis, & rationis adhuc dupliciter accipitur, vt concepta, & vt exercita, primò modo, quàmuis sit res relatiua, tamen habet modum absoluti, saltem negatiuè, quia significatur nomine relationis simpliciter, & in genere, nominè verò paternitatis, & filiationis in specie, quam vt sic, constat non dici, vel referri ad aliud, quia falsum est dicere, quòd paternitas sit filij paternitas; secundo modo, vt exercita est relatiua, & habet modum relatiui, quia significatur nomine ad aliquid; si in genere accipiatur nomine patris, & filij, si in specie; verè namque dicitur: Pater est filij pater. quare iuxta hanc distinctionem, relatio habet velut duos actus, quorum primus est dare esse suo modo, vel realiter, vel secundū rationem, idest vt concepta, quia non aliter significatur sub tali conceptione, nisi, vt essentia, & quidditas simpliciter; & vt habens modum actus primi: secundus actus est dare esse actuale, relatiuum ad terminum, quia sub tali acceptione significatur, vt actu relata, & vt habens modum operationis consequentis ad primum, velut actus secūdus ad actum primum,

Modò ad propositum, si accipiatur relatio rationis, quæ sequitur ad formalem rationem absolutam veritatis, & bonitatis, vt concepta, quia potest intelligi abstrahendo, & exercita relatione saltem in prima operatione intellectus, tum quia vt sic, idest vt essentia, & quidditas non est

rela-

relatiua ad subiectum, tamquàm ad terminum, sed solùm ad oppositam relationem, cuius non dicitur passio & proprietas; tum quia constat, quòd relatio generis, speciei, &c. intelligitur, nulla facta consideratione de actuali, & exercita relatione ipsius, quam habet ad intellectum. Relatio autem rationis, accepta, vt subiectum veritatis, & bonitatis, quia non potest intelligi, nisi vt exercita, quia si vt concepta, solùm potest fundare proprietates, iam ens rationis non esset subiectum illarum; quatenus relatiuum in esse perfecto, immò proprietates entis rationis præuenirent perfectam rationem subiecti.

Respondetur itaque. Relatio, quæ additur enti rationis, consequens ratione formalem passionis est relatio concepta; relatio autem rationis, quę est subiectum fundans proprietates, & passiones, est relatio exercita; ergo illud, quod additur, vt consequens passionem entis rationis est aliud à subiecto, cui additur, vel saltem secundùm alium conceptum tale ens rationis additur subiecto passionis, quod satis esse pro distinctione proprietatis in hunc modum probatur.

Ad distinguendam ratione formalem subiecti à ratione formali bonitatis, sufficit distictio cōceptus obiectiui entis, vt existens, à conceptu obiectiuo eiusdem, vt perfectiuum, quia sic habetur necessaria dependentia virtualis proprietatis à subiecto; ergo etiam distinctio relationis, secundum rationem, vt concepta, & vt exercita, erit sufficiens ad constituendam relationem, vt simpliciter conceptam in tali statu, quòd necessariò sit connotata, vt sequitur in absoluta, & formali relatione bonitatis; ergo vt abstrahit ab exercita, est sola consequens formam absolutam passionis.

Duæ hic occurrunt difficultates prima, qualiter possit dari distinctio relationis, vt concepta, & exercita; tum

quia Aristo.& Porphyrius docent, quòd relatiua sunt simul natura, & quòd relatiuum non intelligitur, sine correlatiuo; quod semper arguit non dari in intellectu relationem conceptam, nisi simul intelligatur, vt exercita; tum quia cum supra probatũ fuerit C. 25. quòd relatiuum non terminat vt absolutum, sed vt relatiuum, iam videtur, quòd non detur relatio, vt concepta, quia supra dictum est, quòd, vt concepta habet modum absoluti, quare tali pacto terminabit, vt absolutum.

Secundò. Esto, quòd detur talis relationis distinctio, non videtur, quòd per ipsam saluentur proprietates entis rationis, quia sic posset addi relatio realis, vt concepta enti reali; vt subiectum suarum passionum, & sic inutilis esset additio relationis rationis ad intellectum, & appetitum in ente reali contra omnes Philosophos.

Ad primum respondetur, quòd dicta Aristo.& Porphyrij, solùm intelliguntur de completa ratione relatiuorum; quatenus illorum relatio accipitur, vt concepta, & exercita simul; quando additur; ergo relatio terminatur ad absolutum; respondetur, si detur relatio concepta abstrahens ab ipsa, vt exercita, & non includens actum referendi ad oppositam relationem, nunquam sub tali acceptione terminat oppositam relationem, quia ad faciendam rectam assignationem relatiuorum semper relationes, æqualiter, & eodem modo sunt accipiendæ, vel ambo, vt conceptæ, vel ambo vt exercitæ, nunquam tamen vna vt concepta, altera vt exercita, etenim ex simili defectu oritur, quòd scibile, quia vt sic accipitur in potentia; scitum verò in actu, non sunt simul natura, vt dicitur *C. ad aliquid*.

Ad secundum respondetur, quòd non est par ratio de ente reali, & rationis, quia in ente rationis, conceptus obiectiui propter distinctionem secundùm rationem, quam

habent,

habent, separatim possunt affirmari de eodem, quod sufficit propter illorum entitatem secundùm rationem; quæ autem sunt realiter vnita manente ipsorum entitate reali, esto quòd non sint extra rationem alterius, realiter non possunt separari, quare stat, quòd enti reali, & rationis addatur relatio rationis, vt concepta, nulla facta additione eiusdem, vt exercita, qui solùm fit additio conceptuum, qui pendent ab intellectu, non tamen potest fieri additio relationis realis conceptæ sine exercita; & quatenus intelligatur conceptus obiectiuus realis relationis, vt concepta, sine concepta vt exercita, talis conceptus relationis, vt concepta, quia sic dicit realitatem, & nihil reale potest addi enti reali, non potest hac de causa dici, quòd relatio aliqua realis addatur enti reali, etiamsi talis relatio imaginetur addita, non vt formalis ratio passionis entis, sed vt cõnotata, & consequens ad illam; ergo &c.

Ad difficultates, quæ contra responsiones datæ fuerunt à principio, non est quòd aliud dicatur, quia tales modi respondendi non sunt admittendi, rationibus, & causis contra dictas responsiones propositis. quare &c.

*Proponuntur difficultates contra Vnum, vt est passio entis rationis, & solutiones adhibentur. Cap. XLIII.*

EX quo eadem formalissima ratio vnitatis, quæ conuenit enti reali, vt illius prima passio proportionalitate, semper, & in omnibus seruata, est etiam vnitatis formalissima ratio, vt proprietas entis rationis, etenim quodlibet ens rationis positiuum; de quo maximè in præsenti loquimur, est proportionaliter indiuisum in se ipso, Diuisum intrinsecè, & formaliter ab omni alio, siue à contradictorio, siue ab ente, absolutè accepto, negationes

etiam

etiam in tali ente rationis, nomine vnius significatæ accipiuntur per modum priuationis; & tandem cōceptus hic formalissimus vnius, in ente rationis inclusus, sequitur illud ratione essentiæ, & existentiæ. Inde ergo, ne fiat inutilis repetitio illorum, quæ dicta sunt C. 35. solum difficultates, quæ maximè facere videntur contra vnitatem entis rationis, & secundarum intentionum, nec non illarum solutiones in præsenti ponemus.

Primò sic argui posse videtur. Quod simul, & semel habet plures existentias, illud tale non est vnum, quia esse est formale significatum entis, & non stat vnitas rei cum pluralitate rationis formalis; sed entia rationis, saltem tertij modi, habent existentiam realem extrinsecam, illam, quæ naturæ illorum conuenit, vt dictum est C. 25. habent etiam obiectiuam in intellectu, secundùm quam quidditatiuè sunt entia rationis; ergo saltem nulla relatio rationis tertij modi est vna.

Secundò. Si ens reale, simul, & semel haberet duas existentias reales, formaliter, & intrinsecè non esset vnum ens reale, quia non stat multiplicatio actus substantialis, qualis est existentia, cum vnitate rei; ergo proportionalitate seruata in ente rationis, illud ens rationis nō erit vnum, quod simul existit pluribus existentijs secundùm rationem, quia non minus existentia secundùm rationem est per principia essentiæ suo modo secundùm rationem in ordine ad ens rationis, quàm sit existentia realis in ordine ad ens reale, sed relationes rationis multoties existunt diuersa existentia secundum rationem, quādo occurrit, quòd diuersi homines eodem tempore intelligant eamdem relationem rationis generis, vel alterius similis, quia, sicut illo casu tales relationes rationis terminant diuersas relationes reales diuersorum intellectuum, inde existūt multiplici

tiplici existentia, quia illorum esse est actualiter terminare intellectum; ergo &c.

Tertiò. In quocunque ente rationis particulari, genereitate, dextreitate, &c. sunt plures conceptus obiectiui, distincti saltem secundùm rationem; In genereitate conceptus entis rationis, relationis, vniuersalitatis, & tandem genereitatis, quia verè talis genereitas est ens rationis, relatio, vniuersalis, &c. qui conceptus, sicut abstractè concipiuntur, sic diuersis existentijs secundùm rationem existũt obiectiuè in intellectu; ergo genus, pro secunda intentione, non est vnum ens rationis propter diuersos conceptus obiectiuos, habentes diuersas existentias, quæ sequuntur diuersos actus intellectus, secundùm quòd terminantur ad eosdem diuersos conceptus obiectiuos; ergo si aliquod ens rationis erit vnum, illud erit solùm ens rationis communissimè acceptum, quia solùm illud, habet vnum conceptum obiectiuum, etenim omnia inferiora addũt eidem aliquid secundum rationem, verùm quomodo illud ens communissimè acceptum est vnum? si secundùm hanc rationem nullum ens rationis particulare est vnum.

Quartò. Non vnũ, quod est negatio vnius non est vnum, quia sunt contradictoria, & idem non potest simul esse, & non esse, sed non vnum est saltem ens secundùm rationem; ergo non omne ens rationis est vnum.

Et si quis diceret, quòd nulla necessitas, quòd nõ vnum sit vnum, quia est negatio, & nos in præsenti solùm loquimur de ente positiuo secundum rationem, & solùm illius passionis quærimus.

Contra. In realibus datur vna cæcitas, vna surditas, &c. quamuis negationes; ergo si ens rationis positiuum foret vnum, etiam negationes entis rationis essent vnæ, vt in realibus, & tamen non est intelligibile, quòd non vnum, vt-

vtcunque accipiatur; dummodo maneat non vnum, quod sit vnum.

Quintò. Illud ens rationis fundat proprietates entis rationis, secundùm quòd ab intellectu cognoscitur, & terminat actum intellectus, quia vt aliàs, sicut ens custodit esse, sic retinet vnitatem, sed diuersa aliquando cognoscuntur, vt diuersa, & distincta, & vt multa, atque plura; ergo talia sic cognita erunt entia plura, diuersa etiam, & multa; ergo non sunt vnum secundum rationem. Si quis diceret, quòd ibi est vna diuersitas, &c. sicut vna cæcitas, surditas, &c.

Contrà. Si ea quæ cognoscũtur diuersa haberent vnitatem; ergo vna diuersitas posset intelligi diuersa vnitas, quòd tamen est falsum; quia implicat quòd simul, & semel aliqua vnitas, sit vnitas diuersa; ergo saltem istud ens rationis, quod est vnitas diuersa, non est vnum; ergo &c.

Sextò. Nullum diuisum formaliter, secũdùm quod est diuisum, est vnum, quia vnum dicit negationem diuisionis, & implicat, quòd idem sit simul diuisum, & indiuisum, sed conceptus obiectiuus diuisionis, & indiuisionis, est ens rationis; ergo saltem aliquod ens rationis non est vnum; ergo, &c.

9. Vt difficultates propositæ facillimè resolui possint, solum reuocandum ad memoriam illa, quæ dicta sunt C. 26. nempe quòd aliud est loqui de existentia formali relationis secundùm rationem, aliud de ratione talis existentiæ, & quòd licet non existant relationes secundùm rationem, nisi sint obiectiuè in intellectu, nihilominus tale esse obiectiuum, quod habent relationes secundùm rationem, terminando actum intellectus, non est formalis existentia illarum, sed sola ratio, secundùm quam existant secundùm rationem, esse autem, quod habent in re intellecta, generitas v.g. in animali, & in eodem inhærere, inhærentia .s.

quæ conuenit relationibus ſecundùm rationem; In re denominata eſt vera, & formalis exiſtentia entis rationis, & ſecundarum intentionũ, modis, rationibus, & cauſis, etiam eodem C. 26. deductis.

Ad primum itaque reſpondetur; Illud, quod quidditatiuè, vel ſaltem ſubſtantialiter habet plures exiſtentias intrinſecè conſtituentes in aliquo genere entis, illud non eſt vnum, ex cauſa aſſignata in argumento; vbicunque autem altera exiſtentia ſit intrinſeca, & ſubſtantialis, ſecundùm conuenientiam illius, cuius eſt exiſtentia, altera verò extrinſeca, talis res ſic exiſtens ſemper remanet vna, & indiuiſa, eo quòd exiſtentia talis ſic extrinſeca nihil ponit in re denominata, ſecundùm quam vnitas poſſit impediri, realitas inquam ſcibilis extrinſeca, quam accipit à relatione ſcientiæ, nihil intrinſecè ponit in ſcibili, à quo talis relatio diuiſa ſit.

Ad ſecundum negatur, quòd ſi relatio rationis, vt genereitas à mille hominibus, ſimul, & etiam ſucceſſiuè intelligeretur, quòd talis genereitatis non ſemper eſſet exiſtẽs eadem exiſtentia, quæ illi conuenit ſecundùm rationem, quia ex dictis C. 26. exiſtentia formalis eſt inhærentia, quam habet dicta genereitas in animali, & hæc cum ſit ſemper eadem, eo quòd in tali caſu, ſi quid variatur illud eſt ſola relatio, ſecundùm quam exiſtit, actus .ſ. intellectus, & eſſe obiectiuum, quod habet res intellecta in intellectu, nulla diuerſitas oritur in re intellecta propter diuerſos actus intellectus ad eamdem rem terminatos.

Ad tertium reſpondetur, quòd illi conceptus obiectiui exiſtentes in particulari ente rationis in hac genereitate, relationis .ſ. ſecundum rationem vniuerſalitatis, &c. non diſtinguuntur, vt res, & res, ſed ſolum vt aliquid addẽtes ſecundum rationem, ad modum, quo faciunt conceptus

animalis rationalis existentes in particulari hom ine, quando. s. rationale additur animali, & fit homo, etenim sicut ex animali, & rationali fit vnum per se, quia habent rationem actus, & potentiæ, ita ex conceptibus genericis, & differentialibus constituentibus species secundùm rationem, semper talis species sic constituta est vnum per se, quia proportionaliter inter se comparantur, vt actus, & potentia semper secundùm rationem, sicut sunt & ipsa entia secundùm rationem.

Verùm, quia videtur, quòd argumentum velit inferre, quòd tales conceptus secundùm se distinguũtur secundùm rationem etiam in esse obiectiuo, & inde, quòd non sint vnum; respondetur, quòd si considerentur secundùm se, quando v.g. consideratur relatio secũdum rationem, nihil cogitando de tali differentia, vel specie, in quam possit descendere talis cõceptus obiectiuus, sic talis relatio est aliud quid à conceptũ differentiali, qui additur conceptui generico, & differentia etiam aliud ab ipso communi, tamen non tollitur, quòd conceptus ille communis, & differentialis, si secundùm se accipiantur, sicut sunt entia secundùm rationem, non custodiant suam vnitatem.

Ad quartum admittitur responsio data; ad instantiam dicitur, quòd sicut negatio quatenus intellecta induit modum entis, quamuis ens, & non ens sint contradictoria, quia ille modus entis annexus negationi non affirmatur de negatione, sed solùm additur, quia nihil potest intelligi, nisi sub specie entis, eo quòd ens est adæquatum obiectum intellectus, & nihil ab intellectu cognosci potest, nisi quidditatiuè cadat sub obiecto, vel saltem repræsentetur sub specie obiecti adæquati, vt dictum est C. 32. quare nõ vnum, etiam si intelligatur, semper intelligitur, vt induit modum vnius, nec sequitur, quòd non vnum, dummodo maneat

non

nõ vnũ, sit vnũ, quia in tali intellectione nõ affirmatur vnũ de non vno, sed solùm non vnum intelligitur sub specie vnius, & quatenus induit talem speciem vnitatis, sicut & negatio, quando fit ens rationis in intellectu.

Ad quintum admittitur responsio data; ad instantiam respondetur similiter, vt ad quartum, quòd si intelligũtur multa, & diuersa etiam, illud semper fit, vel vt conueniũt in vnum, vel vt induunt modum vnius, quare non sequitur quòd intelligatur vna diuersitas, vel vnitas diuersa, sed quòd solum diuersa intelligantur sub specie vnitatis; idest, vt induta tali specie vnitatis iuxta modũ negationis, quando in intellectu fit ens rationis.

Ad sextum respondetur, quòd sicut vnũ est negatiuum, quia dicit negationem diuisionis, etiam diuisio est negatio, quia vnum, & multitudo transcendens nõ possunt esse, nisi entia negatiua, quia supra ens, vt ens est, nihil additur, nisi negatio, vel relatio, & iam optimè constat, quòd vnum, & multitudo non possunt concipi, sub conceptu relatiuo, quare, &c.

### *Quòd aliquid sit entis rationis secunda passio communissima & quæ illius ratio formalis.* Cap. XLIV.

SEquitur secunda passio communissima entis rationis, nomine aliquid significata, quæ licet facillimè possit affirmari de omni, & quocunque ente rationis, tamen quia quædam difficultates se offerunt contra hanc veritatem, ex quarum solutione adhuc magis ratio formalis, aliquid cognoscitur.

Priùs itaque dubitabimus, successiuè rationem formalem aliquid, vt dicitur de ente rationis, explicabimus, & vltimò difficultatibus satisfieri curabimus.

Primò itaque sic videtur posse probari, quòd ens rationis, & secunda intentio non sit aliquid. Si ens rationis, & secunda intentio est aliquid, vel est hoc aliquid, vel quale quid, iuxta diuisionem Aristo. *Cap. de substantia*; si primo modo; ergo est particularis, vt *ibi*, dicitur ab Aristo. propter illam particulam; hoc; & sic relationes rationis vniuersales non sunt aliquid; si secundo, ergo est vniuersalis, & sic nulla relatio particularis est aliquid; si dicatur, quòd quælibet relatio rationis est aliquid, vt abstrahit ab vniuersali, & particulari ab hoc, & à quale, Contra: Relatio rationis non existit, nisi intelligatur, sed nihil intelligitur, nisi in intellectu habeat esse vniuersale, vel particulare, immò multa intelliguntur, quatenus sunt communia pluribus, vt genus, species, &c. ergo saltem talia, quando dicuntur aliquid, non abstrahunt à quale; ergo non est communissima proprietas.

Secundò. Nulla identitas rationis est aliquid secũdùm rationem, quia implicat esse idem, & aliud quid; ergo non omne ens rationis est aliquid. si dicatur, quòd relatio rationis dictæ identitatis comparata ad quamcumque aliam relationem, semper est aliud quid.

Contra; primò. Fundamentum identitatis secundùm rationem est ens rationis, aliàs relatio, quæ sequeretur esset realis; ergo saltem tale ens rationis fundans hanc relationem nõ est aliquid. Secundò; Contrariorum contrariæ sunt passiones, Relatio identitatis, & diuersitatis sunt contrariæ, saltem proportionaliter, vt rationale, & irrationale; ergo si relatio rationis identitatis cuicumque comparata est aliquid, relatio diuersitatis non erit aliquid, vel è contrario si hæc est aliquid, illa non est talis; ergo &c.

Tertiò. Si omnis relatio rationis; cuicumque relationi, secũdùm rationem comparata est aliquid, & aliud quid;

ergo à relationibus rationis non est abstrahibilis aliquis conceptus communis, nec vniuocus, nec proportionalis, quia tales conceptus, vtcunque semper haberent pro fundamento identitatem, & similitudinem, & sic entia aliqualiter conuenirent, & illud commune esset æquiuocum, habens pro fundamēto diuersitatem; hoc falsum; ergo. Consequentia clara, quia omnis, & quilibet conceptus secundùm rationem est ens rationis; quare si omne ens rationis est aliquid, cuicunque comparetur; ergo nulli idem; ergo nec vniuocus, nec proportionalis.

Quartò. Quæ accidentaliter differunt inter se comparata, non sunt aliquid; tum quia *Porphyrius C. de substantia.* dixit, quòd sola vltima differentia facit aliud, quod est dicere aliquid; tum quia Aristo. *2. Poster. Cap.* 14. arguit antiquos, qui imaginabantur, quòd omnia illa, quæ non sunt eadem, differant secundum substantiā, sed multæ sunt relationes huiusmodi secundùm rationem, quæ sunt tales, quia si aliter, quinque prædicabilia non dicerentur de ipsis proportionaliter, sicut de realibus; ergo aliqua relatio rationis non est aliquid.

Quintò. Entia rationis non existunt, nisi quia intelliguntur; ergo proprietates, quæ sequuntur ens rationis erūt iuxta modum rei existentis in intellectu, sed ex esse in intellectu, intellectus fit idem quòd res intellecta, & ex esse reali res est diuersa ab alia, propter repugnantiam, quam habent res in esse naturæ, vt sint alia; ergo potius identitas, quàm aliudquid, erit proprietas entis rationis; ergo ens rationis non est aliquid.

Sextò. Quando ens rationis distinguitur, vt aliud quid à quocunque alio ente, vel hoc fit immediatè per se ipsum, vel per aliquid additum, quod est aliud quid ab ipso; si primò, ergo à principio, ens rationis poterat distingui ab omnibus,

nibus, absque alietate, & aliquid, & sic superflua hæc proprietas, aliquid; si secundò, eadem ratione, qua ens rationis requirit alietatem, vel hanc relationem alietatis, mediante qua distinguatur, & sic aliquid in ordine ad alia entia rationis, quia hæc alietas,& aliquid, & ipsa est ens rationis; ergo alia alietate, & passione aliquid debet distingui, & sic in infinitum, quia omnia sic in infinitum succedentia sunt entia rationis; ergo nec omne ens rationis est aliquid.

Circa rationem formalem aliquid, vt dicitur passio entis rationis cōsiderandum, quòd cum ens rationis proportionaliter se habeat ad omnia entia rationis, & ad secūdas intentiones, sicut ens reale ad omnia sua inferiora, eadem etiam proportionali similitudine necessarium est, quod fundet hanc proprietatem nomine aliquid significatam; quare ratio formalis aliquid, vt dicitur de ente rationis, est eadem cum ratione formali aliquid, vt dicitur de ente reali, iuxta doctrinā superius habitā C. 36. ergo quasi insinuando sub compendio illa, quæ habita sunt ibidem C. 36. dicimus, quòd aliquid, vt est passio entis rationis significat alietatem, & distinctionem, secundùm essentiam communissimam entis rationis ad modum tamen, quo essentia de entibus rationis verificari potest.

Modò, quia in passionibus positiuis entis realis, duo considerantur, relatio rationis connotata, & consequens rationem formalem passionis, & fundamentum proximum dictæ relationis, quod est absolutum, & formale significatum dictæ passionis aliquid, ergo, vt est passio entis rationis, formaliter significat fundamentum proximum talis relationis alietatis secundùm essentiam, & successiuè connotat relationem consequentem ad hanc rationem absolutam significatam nomine aliquid.

Quando dico, quod aliquid connotat relationem consequen-

sequentem, quia relatio dupliciter accipitur, vt signata, & vt exercita, illud intelligendum est de relatione signata, non exercita, quia vt exercita, ex quo propriè ens rationis, sic est subiectum suarum passionum, veritatis, aliquid, &c. ex dictis C. 42. & sic non est passio entis rationis. Vnde tria in præsenti negotio considerantur, relatio rationis, vt genereitas in actu exercito accepta. eadem relatio in actu signato, & tertiò, fundamentum huius relationis in actu signato acceptæ primo modo. Relatio est ens rationis, quod est subiectum passionis aliquid; secundo modo, est relatio connotata, & eo sequens rationem formalem passionis aliquid; Tertiò, est verè, & formaliter passio entis rationis, quæ sequitur ad ens rationis, sicut risibilitas hominem. Differunt conceptus istorum hoc pacto. Relatio rationis in actu exercito in suo conceptu formali dicit solum existens, vt passio addit conceptum, qui non exprimitur nomine, & conceptu formali entis rationis .f. fundamentum ad relationem in actu signato connotatam, vt connotata solum exprimit conceptum relationis signatæ, idest, vt quidditas quædam nullo significato actuali exercito dictæ relationis ad terminum, ergo vera ratio formalis aliquid, vt est proprietas entis rationis, est fundamentum proximum relationis in actu signato connotatæ, & subsequentis ad talem rationem formalem.

Ad primum respondetur, quòd aliquid, vt est passio entis rationis sequitur essentiam simpliciter entis rationis, quatenus abstrahit ab omni, & quocunque modo particulari aliquid, quia, vt in argumento si contraheretur aliquid, ad aliquem particularem modum, iam amplius non esset proprietas entis rationis communissimi. Ad instantiam, quod nihil intelligitur, nisi repræsentetur sub specie particulari, vel vniuersali, & nullū est ens rationis, nisi, vt conci-

pi-

pitur ab intellectu. Respondetur. Aliud est, quòd essentia fundans passionem entis rationis intelligatur sub tali specie, aliud, quòd talis species addita compleat rationem fundantem passionem communissimam; secundum est falsum, quia si aliud ab essentia concurreret ad fundandam hanc passionem, iam non esset amplius aliquid, propter doctrinam *Porphyr. C. de differentia*, & Arist. 2. *Poster.* dicentium, quòd aliquid solùm respicit substantiam, & essentiam; Primum est verum, sed illud, vniuersale, vel particulare additum, quod significatur sub nomine, hoc, vel quale, est sola, & simplex vox rei cognitæ, quando additur. Nonne multa intelliguntur, vt communia, & vniuersalia, sicut genus, species, &c.? Respondetur, quòd in his fit descensus ad aliquod particulare ens rationis, nos autem in præsenti loquimur de communissimo ente rationis; ergo, &c.

Ad secundum admittitur responsio ad primam instantiam, quòd fundamentum proximum relationis secundùm rationem, quæ consequitur passiones non est illud ens rationis, quod est subiectum passionis, de quo disputamus, sed est formaliter ipsa passio, & sic cum sit illud, quo formaliter ens rationis denominetur aliquid, vt quod, non est necessariũ, quòd sit formaliter aliquid, quia satis est, quòd sit, quo ens rationis sit, & formaliter dicatur aliquid; Ad secundum respondetur, quòd diuersitatis, & identitatis relationes, secundùm rationem, si quid contrarietatis habet, illud est, vt continetur sub communissimo ente rationis, sicut rationale, & irrationale sub animali; vnde sicut rationale, & irrationale non tollunt communissimã passionem animalis .s. sensibilitatem, sic eadem, & diuersa relatio rationis non tollit, quòd aliquid, vt idem significat, quòd aliud quid sit communissima passio entis rationis, quia

quodcunque dicatur, semper est, vt quid inferius ad ens rationis, & de illis entibus rationis nō aliter verificatur identitas, & diuersitas, quàm diuersis semper inspectis.

Ad tertium respondetur, quòd sicut conceptus animalis, vt dicitur de omnibus animalibus, est idem, vt comparatur ad nō animalia, est aliud quid, quod idem est de Aliquid, & sic saluatur vniuocatio, quia primo modo quasi sibi ipsi comparatur, secundo modo cū alijs confertur; sic conceptus entis rationis, vt dicitur de omnibus entibus secundùm rationem, est idem proportionaliter; quia sic sibi ipsi comparatur, tamen vt confertur cum alijs entibus secundùm rationem, est aliud quid, vnde considerandum, quòd solùm in hoc argumento potest inferri, quòd non exercetur passio in ente rationis, sicut nec in ente reali, nisi quatenus descendit ad sua inferiora, quia nulla alietas potest imaginari in conceptu communissimo entis rationis, nisi facta cōparatione ad ens reale; eo quòd ens reale, vt communissimum, est vnum, sic ens rationis, vt cōmunissimum, est vnum, per quod aufertur exercitium passionis Aliquid in dicto communissimo conceptu.

Ad quartum respondetur, vt ad primum, quòd sicut albedo addita homini non facit aliquid in homine, quia homini accidentaliter aduenit; illa tamen albedo addita colori facit, quòd color sit aliud quid à nigredine, sic omne ens rationis cuicumque enti rationis comparatum facit aliquid, quia omne ens essentialiter habet in se fundamentum alietatis essentialis, quamuis vt descendit ad inferiora possint addi differentiæ accidentales auferentes alietatem secundùm essentiam, nomine aliquid significatam.

Sed posset dicere aliquis, si hæc alietas solùm est vt ens rationis, descendit ad inferiora, ergo ens rationis secūdùm se non fundat hanc proprietatem Aliquid, & sic aliquid

non est vera proprietas entis rationis, sicut risibilitas, quia non verificatur de animali, nisi, vt descendit in homine, non est proprietas animalis.

Respondetur, quòd proprietas, quæ non exercetur in superioribus, nisi superiora descendant ad inferiora, non est vera proprietas, quando non conuenit superioribus in actu signato, idest quando superiora secundùm se, & formaliter non habent intrinsecam causam dictæ proprietatis, sed illam respiciunt, vt descendunt ad inferiora, vt in exemplo animalis, quòd non habet causam proximam risibilitatis .s. rationalitatem, nisi descendat in homine, quòd si in actu signato, idest intrinsecè habent causam dictæ proprietatis, quamuis non exerceatur, nisi in inferioribus, talis proprietas est adæquata passio superioris, vt in exemplo rei compositæ ex materia horum inferiorū, etiam si in vniuersali accipiatur, quia namq; includitur ratio adæquata, & propria corruptibilitatis .s. materia in rebus sic compositis, quamuis non exerceatur talis corruptio, nisi in particularibus; tamen corruptibilitas est vera, & adæquata passio rei compositæ ex materia, & forma, etiam in vniuersali acceptæ. modò ad propositum, quia ens rationis, intrinsece, & formaliter includit essentiam, quæ est proxima ratio passionis formalis nomine Aliquid significatam, qua uis talis passio Aliquid, non exerceatur, nisi in inferioribus, semper est entis rationis vera passio.

Ad quintum respondetur, quòd proprietates entis rationis, si debent conuenire iuxta modum entis rationis, & sic aliter, quàm fiat in ente reali, sufficit, quòd proportionaliter Aliquid sit proprietas entis realis, & rationis, quia cum idẽtitate proportionali semper est annexa diuersitas, quasi seclusa inter Aliquid reale, & rationis, & hoc est satis vt diuersorum sint diuersæ proprietates; & singulæ pro-

prie-

prietates sequantur naturam sui subiecti.

Ad difficultatem. Ex esse in intellectu fit vnũ, & idem; ex esse in re fit diuersitas, ergo, &c. respondetur, quòd si comparentur res intellectæ ad intellectum; vt intelligens, intellectus fit res intellecta, tamen non tollitur, quòd inter se comparatæ sint Aliquid; & si quis diceret, ergo saltem ad intellectum comparatæ non sunt Aliquid, & sic Aliquid non est communissima proprietas entis rationis. Respondetur, quòd hæc instantia facit etiam cõtra ens reale, quia intellectus fit omnia intellecta realia, & rationis in esse intelligibili, tamen respondetur, quòd res intellectæ in esse naturali, quod illis conuenit, secundùm propriã naturam, siue reales, siue rationis, sic sunt essentialiter aliud inter se, quia non magis homo in esse naturæ est aliud ab equo, & intellectu etiam, quàm genereitas à specietate, & intellectu etiã, si accipiantur, vt dixi & ipsa in esse naturali, quod illis conuenit; quòd si accipiantur in esse intelligibili, idest, vt sic intellectæ, non inconuenit; quòd intellecta quæcunque non sint aliud ab intellectu, quia hoc pacto intellectus fit intellecta in esse immateriali, & intelligibili, quare, &c.

Ad sextum respondetur; quòd ens rationis, quando distinguitur ab alio ente, fundamentaliter per se ipsum distinguitur, formaliter autem per hanc passionem Aliquid, verum hæc passio, quia formaliter habet solam rationem Cuius, vt sic non distinguitur per aliam, quia sic in infinitum; tamen quia per succedentes actus intellectus & ipsa intelligitur, & sic fit ens rationis etiam tali pacto, vt est intelligibilis fundat veritatem, vnitatem, Aliquid, &c. non minus quàm quodcunq; ens rationis, quia in hac significatione accipitur vt nouum ens rationis constans ex propria essentia, & existentia, iuxta modum in secundo Capite explicatum, nec inconuenit, quòd tali pacto detur processus

in infinitum, quia tale infinitum est solùm in potentia, quatenus successiuè reducitur ad actum, vt est de numero, & diuisione infinita, quia nũquam in actu completo, sed semper in potentia, etenim solùm sequitur, quòd per succedentes actus intellectus, reflectendo supra illud, quod fuit cognitum possit fieri nouum ens rationis, nunquam perueniendo ad infinitum, iuxta doctrinam Arist. de infinito 3. *Phys. Tex.* 57. *&c.*

*Quid res sit passio communissima entis secundùm rationem, & quæ illius ratio formalis.* Cap. XLV.

RES, vtcunq; accipiatur, quamuis dicatur ab essentia, tamquàm à ratione sui formalis significati, nihilominus, vt facile est cognoscere ex habitis C. 37. quia nomen relatiuum dissimiliter necessarium est quòd assumetur de quibus dicitur; aliquando enim accipitur pro conceptu, siue forma, secundùm quam ens appellatur tale, quia habens essentiam, cui conuenit esse, ratum, firmum, solidum &c. Aliquando pro conceptu, siue forma relatiuè opposita præcedenti, secundùm quam ens appellatur tale, quia habens essentiam, cui conuenit esse, quod non est ratum, firmum, solidum &c. sed solum secundùm rationem. Primo modo, maximè venit à nomine ratus, rata, ratum, secundo modo à verbo, reor, reris: primo modo, est vera proprietas entis realis; secundo modo, vera proprietas entis rationis.

Quare si res communiter accepta, æqualiter, & secundùm eamdem analogam, & proportionalem similitudinem verificatur de ente reali, & rationis, salua semper differentia, vel diuersitate, quæ cernitur in omnibus relatiuè oppositis, necessarium est, quòd in reliquis, res dicta de

ente

ente reali; & res dicta de ente rationis proportionaliter conueniant.

Quòd si sic; ergo in completa ratione formali rei, vt est proprietas entis rationis, aderit conceptus communis ipsi, & rei, vt est proprietas entis realis; necnon conceptus proprius ad modum differentiæ contrahentis dictum conceptum communem, & constituentis in esse formalissimo hanc proprietatem entis rationis, nomine rei significatam.

Conceptus communis vtrique est conceptus absolutus exprimens communissimum modum entis, nullo pacto expressum, simplici, & proprio conceptu entis, eo quòd ens in suo conceptu formalissimo solùm dicit esse, res autem supra ens addit modum essendi abstractum à modo reali, & rationis, secundùm quòd semper talis modus essend. ab essentia originem trahit.

Dixi, quòd talis conceptus communissimus est absolutus, quia, vt aliàs vidimus, relatio, quæ additur enti, non significatur essentialiter sub formali, & intrinseco conceptu proprietatis, sed solùm connotatur, vt consequēs rationem formalem dictæ proprietatis, eo quòd ipsa passio est relatiua secundum dici, & vt sic, principaliter significat absolutum, secundariò relationem, vt connotatam, & consequentem, quia huiusmodi secundùm dici sine relatione minimè intelligi possunt.

Conceptus proprius, & quasi differentialis rei est ille, qui supra, à quo .f. res secundùm rationem habet, quòd relatiuè opponatur rei ratæ, firmæ, &c. idest res, quæ est passio entis rationis, addit huic formæ absolutæ talem rationem obiectiuam, secūdùm quam ens rationis habet essentiam, cui conuenit esse in ratione tantùm.

Ergo si simpliciter accipiantur, quantùm .f. ad conceptum primarium, ens reale, & rationis, etiam secundùm

quòd

quòd exercent hanc proprietatem rei, non sunt relatiuè opposita, sicut nec scientia, & scibile; tùm quia vt dictum est, sine relatione ad inuicem cointellecta, & consequente non possunt intelligi; relatiuè etiam opponuntur ad inuicem ens reale, & rationis, etenim ens reale dicitur tale ad ens rationis, & ens rationis tale ad ens reale, sicut magnum ad paruum, & paruum ad magnum.

Contra hanc veritatem occurrunt infrascripta nullo pacto prætermittenda, quia ex illorum solutione completa cognitio rei habetur, tam vt proprietas entis realis; quam entis rationis, de quo maximè institutus est sermo præsens.

Primò arguitur hoc pacto. Nullū formale significatum, vel ratio alicuius formalis significati est proprietas illius, cuius est, vel formale, vel ratio formalis significati; quia hæc omnia antecedunt subiectum, & subiectum suas proprietates, vt constat; ergo res non est proprietas entis rationis, si accipiatur, vt desumitur à reor, reris, quia reor est verbum, quod trahitur à cognitione, & opinione habita à rebus cognitis, & opinatis; ergo minùs passio, vt trahitur à ratus, rata, ratum, quia hoc pacto significat esse, nullo intellectu considerante; ergo res non est passio entis rationis.

Secundò. Si res foret proprietas entis rationis; ergo Porphyrius, quando dixit. *Vtili existente harum rerum speculatione.* si per illas voces intellexit Prędicabilia, vt subiecta passionum; ergo res, & ens apud ipsum sunt Synonima, & sic res non est proprietas entis rationis; Si voluit per tales voces significantes proprietates, circumloquendo significare eadem subiecta; ergo etiam potuisset dicere, vtili harum bonitatum, veritatum &c. speculatione, quod tamen ex vi nominum ipsorum constat non esse dicendum; ergo res non est passio &c.

Tertiò. Si proprietas; ergo relatio, ex quo res non est

nomen

nomen negatiuum; ergo si exerceretur relatio dicendum esset, quòd est rei res, vel res ad rem, vel aliter vtcumque, quia non videtur, ad quod referatur ens rationis, si non ad ens, vt reale, quod tamen confusionem nominum potius includit, quàm quòd ex ipsis aliquid distinctè significetur, sicut in diffinitionibus est necessarium ex Aristot. 1. *Phys. Tex.* 5.

Quartò. Si res est relatiuum nomen, & sic ad ens reale; ergo Relatiua non sunt simul natura, quia sicut subiectum, ad subiectum, sic proprietas ad proprietatem; ergo si ens reale, & rationis non sunt simul natura, quia si iuxta consequentiam Aristo. *C. ad aliquid* scibile, & sensibile non sunt simul natura cum scientia, & sensu, quia non simul se ponunt, & interimunt; ergo nec ens reale, & rationis; ergo nec illorū proprietates, si imaginentur significatæ nomine rei, erunt simul natura; ergo &c.

Quintò. Non genus, non species &c. non sunt negationes *primo Periherm. C. 2. & 2. etiam C. primo*, & tamen non sunt res, quia dicuntur de eo, quod est, & non est; ergo saltem non omnia entia rationis sunt res.

Ad primum respondetur, & negatur, quòd res sit formale significatum, vel ratio formalis significati entis rationis, quàmuis in dicto ente rationis res trahatur à verbo Reor, reris, quia conceptus formalis rei in ente rationis semper sequitur existentiam, secundùm rationem significatam verbo Reor, reris, quasi conuenientem enti rationis, non nisi concurrente actu intellectus.

Ad secundum respōdetur, quòd Porphyrius per res intelligi voluit subiecta, idest entia rationis, quæ sunt prædicabilia, quia sermo propositus erat solum de subiectis prædicabilibus, quæ propriè sunt entia rationis, non autem de proprietatibus prædicabilium, vnitate & veritate &c. Visus

est

est tamen potius nomine rei, quàm entis, quia inter alias difficultates superantes intellectum Chrysaorij maximè intendebat dimittere illam, quæ concernit formale significatum entis, existentiam .s. realem, & rationis, & ipsi satis erat vtcumque innuere de quibus erat habēdus sermo. Ad difficultatem, ergo etiam potuisset dicere. Vtili existente harum vnitatum, veritatum &c. negatur consequentia, quia licet res non significet formale significatum entis .s. existentiam, sed sit proprietas consequens, tamen quia significat modum existendi. Ratum .s. firmum &c. in ente reali, non nisi accedente actu intellectus in ente rationis, vel saltem desumūtur à modis existendi ipsarum, aliæ autem proprietates, nec existentiam, nec modum existendi significent, vel à modo ipsarum desumantur, vt constat ex rationibus formalibus earumdem supra explicatis; inde ex tali proximitate rationis formalis rei, cum ratione formali entis non erat conueniens dicere. Vtili harum vnitatum, veritatum, &c. sicut. *Vtili harum rerum speculatione*.

Ad Tertium. Respondetur, quòd nulla confusio nominum sequitur, si exerceatur relatio inter ens reale, & rationis, secundùm quòd dicuntur res, quia sicut non incōuenit, quòd magnum dicatur quãtum ad paruum, & paruũ quantum ad magnum, eo quòd sit comparatio in illorum termino communi .s. in quantitate, & significatur in actu exercito relationis diuersus modus essendi dictæ quantitatis; à simili nullum inconueniens, nec confusio sequitur dicendo, ens reale est ad ens rationis reale, & ens rationis ad ens reale ens rationis.

Ad quartum respondetur, quòd licet materialiter ens reale, & rationis non sint simul natura, immò nec formaliter, quantùm ad principale significatum rei, quia sic res in vtroque, dicit conceptum absolutum ex habitis in præ-

senti,

senti, vt supra C.37. tamen quia formale significatum Rei, in omnibus est relatiuum secundùm dici, iam formaliter quantùm ad illud, quod secundariò connotatur, & significatur sunt simul natura, sicut scientia, & scitum, scitiuum, & scibile; ergo, &c.

Ad quintum respondetur, quòd non genus, non species &c. non dicuntur negationes, idest propositiones negatiuae, quia *secundo Periherm.* legitur. *Quasi negationes sine nomine, & verbo videbuntur, sed non sunt*, tamen stat, quòd sint nomina negatiua si referantur ad id, quod negatur de aliqua re, vt non genus de indiuiduo, caecitate, &c. quàmuis possint esse affirmatiua relata ad id, de quo dicuntur v. g. ad speciem, quae non est genus, quare si vt signa rei affirmatae, sunt vtcunque affirmatiua, ergo relatiua, & si relatiua, semper sub tali acceptione sunt res, vel reales, vel rationis, secundùm quòd vt sic ad ens reale, vel rationis possunt referri; ergo, &c.

## *Quòd veritas sit adaequata proprietas entis rationis, & quae sit illius ratio formalis.* Cap. XLVI.

QVAE dicta sunt de veritate propriè, & formaliter C.38. nec non de veritate rei C. 39. in gratiam entis realis, eadem proportionalitate seruata, verificantur etiam de veritate, vt est proprietas entis rationis, tùm quia C.30. vidimus, quòd illa, quae pertinent ad rationem formalem entis realis, sunt eadem proportionaliter cum attinentibus ad rationem formalem entis rationis; tùm quia si veritas, tam propriè, & formaliter, quàm veritas rei dicit ordinem ad intellectum; veritas formaliter, quia adaequatio rei ad intellectum, vt cognita in actu exercito; veritas rei, quia non

aliter res dicitur vera, nisi quia comparata ad intellectum practicum est conformis rationibus concipiendi, quæ sunt in intellectu artificis, de tali re formatis; comparata ad nostrum intellectum, quia potens causare veritatem nostri intellectus; ergo ens reale, & rationis similiter se habent ad vtramque veritatem, si non vniuoce, saltem, vt constat proportionaliter.

Ergo si quid intelligendum est circa veritatem entis rationis, quia illud totum ex dictis C 38. & 39. facilè cognosci potest, vbicunque tamen diuersa diuersis applicentur, iuxta doctrinam habitam analogorum C. 15. & 16. solùm in præsenti ad euitandam superfluitatem, & futilem dictorum repetitionem, necessarium est ponere illa, quæ in hac re maximè difficultatem faciunt, & eorumdem solutiones adhibere; ex dicendis siquidem apparebunt omnia necessaria in hac materia entis rationis, non solùm si accipiantur ens reale, & rationis, vt similia proportionaliter, verùm etiam quatenus secundùm se ad inuicem distinguuntur.

Videntur itaque duo pręcæteris contra hanc materiam entis rationis probari posse. Primum, quòd veritas non sit proprietas entis rationis, vtcunque accipiatur dicta proprietas, siue adæquata, siue inadæquata. Secundum, quòd saltem non sit adæquata enti secundùm rationem.

Primum multipliciter, & primò in hunc modum. Entia rationis non sunt, nisi quia vera 6. *Meta: Tex.* 4. & 8. ergo veritas, vel est existentia entis rationis, & sic illius formale significatum, vel saltem existentia entis rationis dependet à sui ipsius veritate; ergo veritas non est proprietas entis rationis, eo quòd vnaquęq; proprietas sequitur subiectum, & illius formale significatum.

Secundò. Ens verum, solùm significat veritatem, quæ; stat in compositione, & diuisione 6. *Meta. Tex.* 8. sed talis com-

compositio non est in rebus, sed solum in mente *ibidem*; ergo talis veritas non est proprietas entis rationis, quia *vt supra*, nulla proprietas est formale significatum sui subiecti, sed semper sequitur ad illud.

Tertiò. Si proprietas entis rationis; vel est talis, quatenus habet attributionem ad ens reale, iuxta doctrinam Aristo. 4. *Meta. Tex.* 2. vel quatenus potest vtcunque esse proportionale cum eodem ente reali, quatenus inquam ens acceptum, vt significat pro formali existens, intrinsecè, & formaliter dicitur secundùm proportionẽ de ente, quod existit realiter, & secundùm rationem; si primò; ergo veritas non est proprietas, nisi de ente reali, ad quod ens rationis habet attributionem, quia stat regula generalis, quòd nihil conuenit rebus secundùm attributionem, vt sic, nisi quatenus dependet à primo. Si secundo modo, quia per regulam posterioristicam; quod conuenit pluribus, &c. ergo veritas non erit proprietas entis realis, nec rationis, sed illius, quod est commune abstractum ab ente reali, & rationis, sicut risibilitas, quæ conuenit Petro, & Francisco, & vni non per aliud, nullius particularis est proprietas, sed solùm hominis; ergo nec veritas proprietas entis rationis.

Quartò. Nullum futurum contingens est determinatè verum. 1. *Periherm. Cap.* 8. Omne ens rationis est tale, quia non nisi ex actu libero intellectus accipit esse; ergo nullum ens rationis est determinatè verum; ergo nec veritas est illius proprietas, quia si proprietas non dependeret determinatè à subiecto, vel non esset demonstrabilis de ipso, & sic in vanum laborasset Porphyrius in prædicabilibus, vel saltem rueret tota doctrina posterioristica, quando possent fieri demonstrationes de contingentibus, & indeterminatis; ergo, &c.

Secundum, quòd non videatur saltem adæquata pro-

prietas entis rationis, probatur in hunc, qui sequitur, modū, & primò. Propositiones sunt entia rationis, sed datur falsum in propositionibus, quia legitur 4. *Metaph. Tex.* 8. *sed falsum huius partitionis contradictionem*. Item quædam, quamuis entia, tamen sunt falsa, quia ab eis est apparentia eius, quod non est velut vmbrarum descriptio, & somnia 5. *Meta. Tex.* 34. ergo etiam propositiones, & cætera entia rationis, à quibus est apparentia eius, quod non est, sunt falsa; ergo veritas non est adæquata proprietas entis rationis.

Si quis diceret, quòd nihil intelligibile, nisi verum, quia *quod non est, non est scire* 1 *Poster. C.* 2. 3 *de Anima Tex.* 22. & inde cum falsum sit intelligibile, saltem vt verè falsum, adhuc falsum hoc pacto semper verum.

Contra. Si veritas diceretur de falso, quia falsum esset verè falsum, ergo etiam falsitas de vero, & sic verum esset falsè verum, & successiuè posset dari falsa veritas, sicut dicitur in responsione, quòd datur vera falsitas, & tamen non est intelligibile, quòd detur falsa veritas ex destructione veritatis, quæ sequitur propter additam falsitatem.

Consequentia probatur, tùm ex eo, quòd cum sint contraria, veritas, & falsitas 2. *Periher. Cap. vltimo*. si vnum posset affirmari de altero, dicendo hæc est vera falsitas, alterum etiam posset affirmari de vno, asserendo hæc est falsa veritas, tùm quia per conuersionem vniuersalis affirmatiuæ in particularem valet hæc consequentia. Omnis falsitas est vera falsitas; ergo saltem quædam veritas est falsa veritas; tùm quia, si verum potest modificare falsum, & affirmari, hæc est vera falsitas, sic falsitas veritatē, quia si contraria, *vt supra*, non videtur maior ratio, quòd vnum modificet aliud, quàm aliud vnum.

Vlterius. Si veritas de falsitate, quia vera falsitas, ergo

veritas non est proprietas adæquata, nec entis realis, nec rationis, quia sic conueniret etiam non enti, quando quis diceret vera cæcitas, vera surditas, verum non genus, non species; immò etiā foret proprietas ipsius falsitatis, quamuis significet solam negationem formæ debitæ, quia si veritas est proprietas entis, quia potest dici ens verū, sic etiam esset proprietas falsitatis, quando posset dici falsitas vera; ergo, &c.

Secundò principaliter. Res sunt falsæ quæcunque faciunt falsas imaginationes 5.*Metā.Tex.*35. sed syllogismus contrariæ deceptionis causat ignorantiam, quæ nunquam separatur à falsitate 1.*Poster. Cap.*2. ergo veritas non est adæquata proprietas cuiuscunque entis rationis.

Tertiò. Mendacium ex omnium sententia est falsa vocis significatio; ergo veritas non est proprietas mendacij, quia implicat, quòd veritas, & falsitas conueniant, tùm quia veritas, & falsitas æqualiter diuidunt omnia *Cap. de oppositis*, tùm quia sunt contraria, vt supra, & contraria se inuicem expellunt non minus, quàm contradictoria 4.*Meta Tex.*27. ergo, &c.

Quartò. *Ab eo, quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa, in Prædicamentis Cap de substantia* 9.*Meta. Tex.*21. *&c.* ergo aliqua res falsa, etiam si talis res sit secundùm rationem, saltem illa, cuius oratio est falsa; ergo dantur aliqua entia rationis falsa, illa .s. quorum oratio falsa; ergo, &c.

Vt faciles reddantur argumentorum solutiones, & sufficienter sustineri possit, quòd veritas sit adæquata proprietas entis rationis, & secundarum intentionum.

Primò considerandum, quòd veritas rei, etiam si sit veritas entis rationis, non conuenit rebus secundùm rationem, nec de ipsis verificatur ex nostro actu intellectus, immò an-

antecedit omnem, & quamcunque cognitionem nostram, tùm quia legitur *9. Meta. Tex. 21. Non enim propter nos existimare te verè album esse, tu albus es, sed propter te esse album, esse nos hoc dicentes verum dicimus*; tùm quia *in postpredicamentis Cap. de priori*, dicitur, quòd non obstante conuenientia secundùm essendi consequentiam, inter veritatem rei, & orationis, tamen veritas rei semper est causa veritatis orationis, & prior etiam secundùm naturam dictæ orationis, & intellectus veritate; tùm quia veritas habet, quòd sit proprietas entis realis, & rationis, si compareтur ad intellectum practicum Dei, à quo dependet, tàmquam à prima causa, nunquam si comparetur ad intellectum nostrum, quia solùm speculatiuè respicit ens cognitum, & cuius cognitio à re apprehensa necessariò mensuratur; tùm quia si eadem veritas, vt proprietas entis conuenit essentijs, & complexionibus, etiam necessarijs ex ordine essentiali ad illorum actuales existentias, & sic habent etiam actualem veritatem, de qua in præsenti, eædem essentiæ rerum, & complexiones necessariæ, esto quòd non existant, sicut sufficienter probatum est Cap. 39. Conclusione prima, & secũda; ergo necessariò sequitur, quòd veritas, quæ est proprietas entis rationis, quamuis tale ens secundùm rationem non habeat actualem existentiam, nisi ex solo, & simplici actu intellectus, non conueniat propriè, & formaliter ex eodem actu nostri intellectus, sed quòd semper antecedat omnem actualem nostri intellectus cognitionem.

Quòd si sic; ergo ens rationis, quod fundat hanc veritatis proprietatem, non est ens participaliter, vt actu existẽs, sed ens, quod dicit essentiam, solùm habentem ordinem ad existentiam, relatio v.g. generis ad speciem, vt dicit ordinem ad existendum secundùm rationem in animali modo exposito Cap. 26, esto etiam, quòd genus, & species non

exi-

existant existentia, quæ illis conuenit secundùm rationem, propter defectum intellectus, nihil de ipsis concipientis.

Secundò. Considerandum, quòd negationes, immò falsitates etiam, si formaliter de ipsis loquamur, non autem de rebus falsis, de oratione .s. syllogismo, quæ dicta sunt falsa in argumentis datis pro secunda difficultate discutienda. aliter dico. appellantur veræ negationes, veræ falsitates, &c. aliter entia realia, & rationis positiua, vere realia, & rationis, eo quòd entia realia, & rationis positiua dicuntur vera, vt verus homo, verum genus, &c. quia habent essentiam ita commensuratam cum existentia, quæ illi conuenit secundùm propriam naturam, quòd comparatæ ad intellectum Dei rationes in mente eiusdem primi artificis imitantur, ex illis etiam nullum ens positiuum prorsus euenit, quòd non sit ex aliquo ordine regulato ab intellectu Dei; & causant in intellectu nostro cognitionem ad eumdem intellectum comparatæ, propter iam dictã essentiam sic proportionatam, & commẽsuratam ad esse, negationes verò, &c. propter defectum essentiæ sic commensuratæ, & ordinatæ ad aliquod existere positiuũ reale, vel secundum rationem, non habent vnde possint, vtcunque imitari aliquas rationes existentes in mente Dei, & causare in intellectu nostro cognitionem, etenim solùm intelliguntur, quia intellectus solùm, & simplicem rationem illarum in se ipso comprehendit.

Tertiò. Considerandum, quòd ex hac differentia, inter negationes, & entia positiua sequitur, quòd veritas sit adæquata proprietas entis positiui, tùm realis, tũ rationis, nunquam proprietas illorum, quæ negationem formaliter significant. Veritas est adæquata proprietas entis positiui, siue realis, siue rationis, quia si proprietates oriuntur ex principijs subiecti, iuxta doctrinam posterioristicam, entia

posi-

positiua, sicut habent completam rationem entis participaliter accepti ex sola, & simplici ipsorum essentia commensurata, & ordinata ad sua esse, habent etiam ab eadem essentia, quòd possint commensurari cum intellectu Dei, & quòd faciant cognitionem in nostro intellectu, quod formaliter loquendo, vt constat, est fundare veritatem, & facere, quòd talis veritas sit adęquata proprietas entis positiui, siue realis, siue secundum rationem. Veritas non est vera proprietas illorum, quę negationem significāt, quia cum sint talia formaliter nihil, & inde nihil habeāt, quod vtcunque possit imitari rationes in mente Dei, & facere aliquam ipsorum cognitionem in nostro intellectu, semper sequitur, quòd nunquam veritas possit ab ipsis dependere, vt est necessarium ad esse proprietatis, sed quòd solùm dicantur vera ex simplici intellectu accipiente rationem ipsorum.

Ad primum, & secundum illorum; quod veritas nullo pacto sit proprietas entis secundùm rationem; negatur consequentia; quia, vt veritas rei sit proprietas entis rationis, satis est, quòd illius essentia dicat ordinem essentialem ad existere, quàmuis non existat actu secundùm rationem, & hoc, quia ens rationis ex tali ordine ad existentiam fit ens participaliter in esse completo, & inde proximè potens ad fundandam hanc veritatis proprietatem nullo adhuc concurrente actu intellectus, non secus; ac fiat in ente reali, quamuis tale ens reale non existat actu; ergo si veritas rei dependet ab essentia, immò si veritas etiam orationis, quæ à nobis formatur de tali re, ab eadem essentia, & veritate rei dependet ex causis, & auctoritatibus *Aristot.* supra positis, nunquam veritas entis rationis est existentia, vel ratio, quòd ens rationis sit formaliter existens.

Ad illud. Entia rationis non sunt, nisi quia vera; ens verum stat in compositione, &c. Respondetur, quòd sicut dictum

ctum est Cap. 26, aliud est loqui de formali existentia entis rationis, aliud de causa, quæ reducit suo modo ens rationis de potentia ad actum existendi. Veritas propositionis non est formalis existentia entis rationis, quia, vt ibi dictum est relatio generis habet proprium in, quo tamquam formali existentia, dicta generis relatio formaliter existit in animali, quod est illius proprium subiectum semper secundùm rationem.

Quòd si huiusmodi entia dicuntur esse, quia vera, sensus est, quòd veritas propositionis, quæ ab intellectu formatur, est causa, quòd essentia relationis generis, quæ solùm dicit essentialem ordinem ad esse in animali, reducatur de potentia ad actum, & sit actu, & formaliter in animali secundùm rationem, sicut etiam permittente consuetudine, conuenienter posset dici, quòd caliditas existat propter ignem, non quia ignis sit formalis existentia caliditatis, sed quia virtute ignis calefacientis, existentia caliditatis reducitur de potentia ad actum in re calefacta.

Ad tertium respondetur; quòd sicut ens proportionaliter dicitur de reali, & rationis, ex habitis C. 30. sic veritas in hoc sensu antecedit quodammodo ens reale, & rationis, verùmtamen quia cum identitate proportionali semper in proportionalibus est annexa diuersitas earumdem, quasi seclusa, secundùm quam diuersæ species rerum proportionalium constituuntur sub illo communi. Inde acceptis inferioribus secundùm communissimam rationem, ex quo successiuè licet quærere, & demonstrare eamdem proprietatem de ijsdem inferioribus, non secundùm illam communissimam rationem amplius, sed secundùm diuersitatem, qua distinguuntur ad inuicem, iuxta regulam Aristo. *in fine Cap. 17. 2. Poster.* vbi dicitur, quòd cum multiplicentur causæ proximæ in singulis speciebus, præter causam com-

munem, quam habent in superiori; semper demonstratio passionum in diffinitionem, & causam proximam subiectorum resoluenda venit; in hoc itaque sensu supra C. 39. circa veritatem entis realis, & modò entis rationis discurrendo; necnon dictæ regulæ Aristo. inhærendo, quicquid foret de veritate, vt communis enti reali, & rationis, quæsita est veritas eorumdem adæquata proprietas, accepta tamen secundùm propriam rationem, qua distinguitur ad inuicem ens reale, & rationis.

Ad quartum respondetur; quòd actualis existentia entis rationis, est illa, quæ pendet ex actu libero intellectus, essentia autem, vt ordinata ad talem existentiã, quia est perpetua, & necessaria, est illa, à qua dependet, & causatur veritas, priusquam eadem essentia actu existat secundùm rationem. Inde semper veritas est proprietas entis rationis, & de ipso demonstrari potest à priori, sicut quælibet proprietas de suo proprio, & adæquato subiecto. Quod sic pro maiori intelligentia manifestatur exemplo risibilitatis in homine. Particulares homines, licèt habeant actualem existentiam ex actu libero generationis ipsorum, etenim quando actu generant, illud liberè agunt, & tamen risibilitas semper est vera hominis proprietas, quia risibilitas non sequitur ad hominem, quatenus actu existens, sed ad hominem, idest ad essentiam hominis, vt solùm dicit ordinem essentialem ad talem existentiam; ergo similiter veritas entis rationis, ex quo sequitur essentiam ad existentiam simpliciter ordinatam, talis dico veritas antecedit actualem entis rationis existentiam, & est illius adæquata, & demõstrabilis proprietas, esto quòd entia rationis sint ex actu libero intellectus.

Ad instantiam contra responsionem datam, quòd veritas non sit adæquata enti secundùm rationem, arguendo,

si vera falsitas; ergo falsa veritas; negatur consequentia, quia sicut implicat, quòd ens, qua ratione ens, sit falsum, eo quòd simul esset verum, & falsum. verum, quia esset ad imitationem alicuius perfectionis in Deo, falsum, ex suppositione, qua diceretur falsum: implicat etiam, quòd detur falsa veritas, quia simul esset vera, & falsa; esset veritas falsa ex suppositione, qua diceretur falsa; esset vera, quia si veritas, ergo conformis intellectui, & sic vera, quia conformitas cum intellectu est essentialiter veritas.

Nunquàm tamen implicat, quòd detur vera falsitas, quia dum intellectus apprehendit falsitatem, si conformis; ergo vera falsitas est illa, quæ concipitur; si difformis; ergo intellectus falsus; quòd si falsus; ergo vel verè, vel falsè talis intellectus est falsus, quòd si verè falsus; ergo ibi vera falsitas, quòd si falsè falsus; ergo adhuc intellectus est verus; quia verum, & falsum æqualiter diuidunt omnia; ergo stant simul veritas, & falsitas, quando dicitur hæc est vera falsitas, & sic nil implicat.

Ad probationem dictæ consequentiæ, negatur, quòd veritas addita falsitati, quando dicitur hæc est vera falsitas, sit contraria falsitati, quia potius sustinet, & confirmat falsitatem, quàm illam destruat; quod probatur dupliciter; primò. Si falsum est dicere hominem esse risibilem; ergo vel hoc est; quia verè falsum est illud asserere, & sic veritas non destruit falsitatem; vel quia falsum est asserere, illud esse falsum, quòd si sic; ergo priùs erat verum dicere, hominem esse risibilem, quod implicat cum primo, quando dicebatur. falsum est dicere hominem esse risibilem.

Secundò. Veritas confirmat falsitatem, dicendo; hæc est vera falsitas, quia si verum additum auro, homini, &c. quando dicitur verum aurum, &c. non destruit illa, sed potius confirmat esse verè talia, propter conformitatē, quam

 ha-

habent cum intellectu, de ipsis formato; ergo nec verum additum falso, quando dicitur verè falsum, destruit falsitatem, sed illam confirmando significat esse vere talem, propter conformitatem, quam habet cum intellectu formato de tali falsitate.

Negatur etiam illa imaginata conuersio vniuersalis in particularem, quia, vt saluetur identitas terminorum, talis debet esse conuersio, omnis falsitas est vera falsitas; ergo quædam vera falsitas est falsitas, vt constat ex logica.

Negatur vlteriùs, quòd veritas modificet falsitatem, quando dicitur vera falsitas, ex contrarietate, quam possint habere, quia inter ipsa sic insimul accepta nulla est contrarietas, vt supra; ad Aristo. *in libris Periherm.* respondetur, quòd Aristo. *ibi* solùm loquitur de veritate, & falsitate in opinione, secundùm affirmationem eiusdem de eodem, vt legitur in textu, quod est diuersum ab eo, quando dicitur hæc est vera falsitas.

Ad aliud. Si vera falsitas; ergo veritas erit proprietas, etiam non entis; respondetur, quòd vt supra veritas dicta de negationibus, dicendo vera cæcitas, verum non genus, &c. non est illorum proprietas, quia nihil habent propter quod imitentur aliquam rationem in intellectu Dei, & causent cognitionem in nostro intellectu.

Ad secundum principale, respõdetur, quòd syllogismus, & cætera, quando faciunt imaginationes falsas dicuntur falsa in ordine ad intellectum nostrum; sed hoc est falsum secundùm quid, quia falsitas per se, & simpliciter non potest esse, nisi in ordine ad intellectum Dei, à quo res primò dependet; verùm quia in ordine ad Deum non potest occurrere aliqua falsitas, eo quòd vt supra omnia secundùm quòd entia habent conformitatem, cum rationibus concipiendi in mente Dei, inde semper veritas est adæquata proprietas entis rationis.

Ad.

Ad tertium respondetur, quòd mendacium, quia falsa vocis significatio, inde vox significans, secundùm quòd aliquid entis retinet, sẽper simpliciter vera, quia semper conformis intellectui, à quo primò dependet; tamen falsa est, secundùm quid, vt significatiua rei falsæ; iuxta quem modum omnia dicuntur falsa, quia nata sunt, vel facere, vel significare aliquod falsum. Ad contrietatem veritatis, & falsitatis repetitam, illud idem dicitur, quod in responsione ad primum.

Ad quartum; quamuis quælibet res sit falsa, cuius oratio est falsa, nunquam sequitur, quòd detur aliquod ens, quod non sit verum; quia semper quodlibet ens, quantum ad entitatem, quam retinet, est conforme intellectui, à quo primò dependet, & sic semper est verum veritate, quæ est sui proprietas; & si aliquando falsum, illud tale falsum non significat entitatem aliquam, sed solam carentiam, & negationem entitatis; ergo, &c.

### *Quòd bonitas sit adæquata proprietas transcendentalis entis rationis, & quæ sit illius ratio formalis.* *Cap. XLVII.*

SI ratio formalis bonitatis significaret conuenientiam in ordine ad se ipsum, facillimum esset intelligere, nec non contra quoscunque contradicentes sustinere, quòd bonitas esset proprietas transcendentalis, & adæquata entis rationis, & secundarum intentionum; quia si quodlibet ens reale esset bonum; quia sibi ipsi conueniens, etiam omne ens rationis, ex quo sibi maximè conueniens, vt constat esset formaliter bonum. Verùm quia C. 41. probatum extitit, talem opinionem falsam, conclusione tertia, necnon sequenti conclusione habitum fuit, quòd bonum tran-

transcendentale significat conuenientiam, quatenus res quæ dicitur bona, est alterius perfectiua, non leuiter dubitandũ venit, quì fieri possit, quòd ens rationis sit subiectum bonitatis transcendentalis, & maximè ex infrascriptis.

Primò. Hæc bonitas, quæ dicitur proprietas entis rationis, vel est realis, vel rationis, vel quid abstrahens ab vtroque; non primò, quia comparata ad ens rationis esset perfectior suo subiecto, quia bonitas esset realis, & subiectum secundùm rationem; immò quia ens rationis pendet ab ente reali, vt est obiectiuè in intellectu, si bonitas realis, foret etiam causa entis rationis, & sic bonitas non esset proprietas entis rationis, sed ens rationis proprietas bonitatis. Non secundò, quia cum bonitas in quantum finis sit vera causa realis omnium causarum, efficientis, &c. etenim finis est causa causarum, ex dictis C.3. & non nisi sub ratione boni exercet actum finalizandi *2. Phys. Tex. 31.* non videtur, quòd bonitas possit esse solùm in ratione, quia, vt supra, nihil reale potest causari ab ente rationis.

Non tertiò, quia ascendendo à particularibus ad vniuersalia, ex quo semper peruenimus ad magis in potentia, ad confusa, & imperfecta *primo Phys. Tex.3 an prædicabilibus Cap. de differentia.* inde etiam sequitur, quòd si nec bonitas realis, nec rationis possit esse proprietas entis rationis, nec non bonitas abstracta possit esse proprietas entis sic abstracti.

Vlteriùs, nunquam bonitas sine existentia, quia appetitus non terminatur ad obiectum, nisi sub ratione existentis, sed tale sic abstractum est prius ente reali, & rationis, quia, prius est illud, à quo non conuertitur existendi consequentia, *In postprædicamentis Cap. de priori.* & inde prius existentia reali, & rationis, quia vt alias existentia est formale significatum entis; ergo, vt supra.

Vlte-

Vlteriùs. Ab ente, & non ente non est abstrahibile aliquod commune, vt constat; sed absolutum contradictoriè opponitur relatiuo, quia relatiuum essentialiter dicit ordinem ad aliud, absolutum, negationem talis ordinis, & contradictio semper est inter ens, & non ens; ergo à reali absoluto, & rationis relatiuo non potest abstrahi aliquod commune; ergo vt supra.

Tandem ex hac positione non potest assignari numquid talis bonitas sic abstracta sit absoluta, vel relatiua; quia quodcunque illorum dicatur, omnis bonitas inferior ad illud absolutũ, erit absoluta, vel relatiua secundùm naturam rei abstractæ, quia superiora prædicantur de inferioribus. *Porphyrius C. de specie*; & sic vel omnes bonitates relatiuæ, vel omnes absolutæ; ergo &c.

Secundò principaliter. Vbi non est efficiens, ibi nullus est finis, quia ratio formalis finis est, quòd sit cuius gratia aliquod fiat 2.*Phys. Tex.*91. sed dictum est, quòd entia rationis, & relationes rationis non habent causam effectiuam Cap.29. ergo nec aliquam rationem bonitatis.

Tertiò. Ratio bonitatis, formaliter accepta est absoluta, ex dictis C.41. ergo bonitas nihil rationis addit enti secundùm rationem, quia omne ens positiuum secundùm rationem est relatio; non addit etiam aliquid reale, quia, vt supra, subiectum esset imperfectius sua proprietate, ens .f. rationis bonitate reali; ergo &c.

Quartò. Entia rationis sunt minùs entia, quàm sint mathematicalia, quia hæc saltem existunt, quicquid sit de illis in abstractione positis; illa autem, non nisi secundùm rationem; ergo si mathematicalia, quatenus in abstractione posita, non sunt bona, minùs erunt bona entia rationis, quomodolibet accepta.

Quintò. Si bonitas proprietas entis rationis; ergo nulla dif-

differentia inter bonitatem, & veritatem, quia veritas, & bonitas essent æqualiter in intellectu, contra illud Aristo. *Bonum, & malum in rebus, verum, & falsum in intellectu.* Consequentia clara, quia subiectum bonitatis diceretur ens rationis, quod solùm habet esse in intellectu; ergo &c.

Quicquid sit de propositis est semper firmiter tenẽdum quòd bonum sit adæquata proprietas entis rationis. Verùm vt id, quod dicitur planè intelligatur, considerandum, quòd ens rationis positiuum dupliciter accipi potest, vno modo, vt proportionaliter idem cum ente reali, alio modo, vt distinctum; vtroque modo bonitas est proprietas entis rationis, quamuis differenter.

Primo modo hoc pacto. Iuxta regulas proportionalium sæpius repetitas, quicquid conuenit vni ex proportionalibus, & de ipso prædicatur, conuenit etiam alteri, & de eodem proportionaliter prædicatur; sed ens proportionaliter prædicatur de reali, & rationis, vt dictum est; ergo si ens reale est bonum bonitate transcendentali, vt aliàs C.41. ens rationis positiuum erit proportionaliter bonum, necnon etiam eadem ratio formalis bonitatis proportionaliter verificabitur de ente rationis.

Quòd si sic, descendendo ad inferendam rationem formalem bonitatis entis rationis, vt est proportionale cum ente reali, dicendum est, quòd bonitas est in rebus ipsis, idest in quocunque ente rationis positiuo, ad differentiam veritatis, quæ est in rebus, vt sunt in intellectu.

Dicẽdum insuper, quòd ens rationis participaliter, idest quatenus significat essentiam ordinatam ad existere, est illud, quod est subiectũ dictæ bonitatis secundùm rationem; Quòd conuenientia, quæ constituit rationem formalem bonitatis non est in ordine ad se ipsam, sed vt aliorum perfectiua per modum finis; Quòd est res absoluta, ad quam se-

sequitur relatio ad appetitum; Quòd est connotata nomine bonitatis dicta relatio; & tandem, quòd entis rationis bonitas proportionaliter assimilatur cum omnibus, quæ dicuntur de bonitate entis realis *C.40.& 41.*

Priusquam rationes assignentur ad probandum, quòd bonitas sit entis rationis adæquata proprietas, secundùm rationem formalem, quam habet, vt est distinctum ab ente reali, diligenter adnotanda sunt, quæ sequuntur.

Primò, quòd cum duplex sit existentia, iuxta ea, quæ sæpius dicta sunt; altera, secundùm quam essentia existit nullo intellectu considerante, & dicitur realis; altera, secundùm quam essentia existit solùm concurrente actu intellectus, & dicitur rationis; Inde bonitas, quæ est proprietas entis, vt dicit ordinem ad existere, & ad quam terminatur appetitus secundùm rationem formalem existẽtis, idest quatenus res appetita exercet actum existentis, iuxta diuersitatem essentiæ ordinatæ ad diuersam existentiam, necessarium est dico, quòd diuersimodè, etiam per modum finis sit perfectiua entis, cuius dicitur bona, ita quòd bonitas entis realis, actu, & realiter, nullo intellectu considerante sit perfectiua alterius per modum finis; bonitas verò entis rationis, actu quidem, sed tamen secundùm rationem, & non nisi concurrente actu intellectus, sit & ipsa alterius perfectiua per modum finis.

Necessaria est hæc bonitatis diuersitas in ente reali, & rationis; tùm quia ex diuersitate subiectorum, diuersæ sequuntur proprietates demonstrandæ, etenim quodquid est semper est principium cuiuscunque demonstrationis 1. *de Anima Tex.* 11. Tùm quia non aliter *Aristoteles* 1. *Poster. C.*7. dixit non licere transcendere de genere in genus, nisi quia oportet, quòd media, & vltima sint ex eodem genere; tùm quia proprius actus non esset in propria potentia, sed

 æqua-

æqualiter vel omnes, vel alter in omnibus, sicut arguit similiter *Aristot. 3. Phys. Tex. 19.* contra illos, qui forte ponerent actionem, & passionem in mouente, & mobili.

Secundò, & hoc sequitur ad primum, quòd falsa est talis, si tamen fieret, consequentia. Relationes rationis nullius rei sunt perfectiuæ realiter, quia nulla proprietas realis sequitur ad illas; ergo simpliciter nullius bonitatis possunt esse subiecta, & nulla res ab illis potest perfici per modum finis; ergo bonitas non est proprietas entis rationis, quia non solùm stat, quòd sint bona bonitate secundùm rationem, quæ conuenit naturæ entis rationis, sed etiam ipsis repugnat alia bonitas, quàm illa, quæ secundùm rationem, propter datam distinctionem duplicis existentiæ.

Tertiò, & hoc maximè præ oculis habendum in tota materia entis rationis, & secundarũ intentionum, vt dictum est, etiam C. 2. quòd adhuc duplex est esse, siue existentia secundùm rationem; Aliud, quod dicitur obiectiuum in intellectu, siue esse immateriale intelligibile, ratione cuius dicitur, quòd intellectus fit intellecta, iuxta illud *3. de Anima Tex. 7. Cum autem sit singula fiat.* Aliud secundùm rationem, secundùm quod res est in alia re, velut forma in subiecto, secundùm rationem quidem, non tamen obiectiuè in intellectu primo modo. Hęc veritas tali exemplo manifestari potest.

Relatio generis, quæ est secundùm rationem ad duo potest cõparari, quatenus est existens, primò ad intellectum, in quo obiectiuè existit, quando actu intelligitur; secundò ad animal, in quo existit secundùm rationem ad modum, quo formæ reales sunt in proprijs subiectis.

Differunt hæc duo esse relationis generis, quia vt est in animali, ibi est secundùm existentiam naturalem, quæ illi conuenit iuxta proportionem propriæ essentiæ, ad quam

non

non sequitur, quòd vnum fiat aliud, id est quòd animal fiat dicta relatio generis, sed habenti talem existentiam solùm proportionaliter conueniunt omnia secundùm rationem, quæ realiter succedunt subiecto reali ex receptione formæ realis; quatenus autem eadem generis relatio est in intellectu obiectiuè non dicitur, quòd ibi sit secundùm existentiam naturalem, quæ illi conuenit ex proportione cum propria essentia; sed secundùm esse immateriale intelligibile, etenim solùm habet formaliter ex tali esse obiectiuo, quòd intellectus in esse immateriali intelligibili fiat ipsa relatio, nō minus, quàm intelligendo realia fit in esse immateriali intelligibili ipsa realia.

Necessitas in ente rationis huius duplicis existentiæ secundùm rationem inuestigari potest ex natura entis realis hoc pacto. Essentia v.g. accidentis habet duplex esse; Vnum naturale, quod illi conuenit realiter, nullo intellectu considerante, aliud immateriale intelligibile, quod eidem conuenit, vt est obiectiuè in intellectu; ergo necessariū est quoque, quòd ens rationis positiuum, siue entis rationis essentia habeat duplex esse, vnum naturale, aliud immateriale intelligibile, secundum, vt communicat cum realibus, quatenus ambo sunt intelligibilia; primum, quia si nullum esse positiuum naturale haberet, nec etiam essentia rationis posset distingui ab illo ente rationis, quod est negatio.

Cautum tamen oportet esse circa bonitatem secundùm rationem, quæ conuenit enti rationis, ad differentiam bonitatis realis, quæ est proprietas entis realis, quia non accipitur in præsenti bonitas secundùm rationem, quasi quòd dicatur imaginata bonitas, sicut dicitur aurū imaginatum, quia sicut aurum imaginatum non est verè aurum, nec ens rationis esset verè bonum, contra illud, quod maximè in præsenti cōtendimus, sed debet accipi secundùm rationem

 in

in eodem sensu, quo dicebatur C.21.vera relatio secũdùm rationem. Itaquòd bonitas sit quidem vera bonitas, & verè consequatur ens rationis, quod est illius subiectum; eodem prorsus modo, quo vnaquæque proprietas naturali sequela fluit à principijs essentialibus sui subiecti, tamen ad differentiam bonitatis realis, quæ consequitur ens reale nullo intellectu considerante, bonitas entis rationis dicatur bonitas secundùm rationem, quia hæc bonitas vere consequitur ens rationis, tamen secundùm rationem, & virtualiter etiam continetur in illo secundùm rationem, sicut illius subiectum, quod est ens rationis, est verè ens, non tamẽ nisi secundùm rationem.

Quando itaque dictum est; quòd ens rationis est bonum, quia perfectiuum secundùm rationem, non debet intelligi primo modo, idest, quòd ex esse immateriale intelligibile, quod habet in intellectu, tale ens secundùm rationem sit perfectio intellectus obiectiua, tum quia hoc est commune omnibus rebus intellectis, siue realibus, siue secundùm rationem, iuxta illud 1. *de Anima Tex.1. Bonorum, & honorabilium notitiam opinantes*; tùm quia in hoc sensu non posset saluari, quòd bonitas esset proprietas adæquata entis rationis; tùm quia bonitas non conueniret enti rationis secũdùm illius esse naturale, idest secundùm essentialia principia entis rationis, sed ex ordine ad intellectum; sed hæc bonitas debet intelligi secundo modo, idest secundùm illud esse, quod habet ens rationis in proprio subiecto, genus inquam in animali, ad instar accidentis in substantia; quod non dicitur bonum bonitate transcendentali, quia possit esse obiectiuè in intellectu, sed bonum secundùm esse, quod habet in substantia, tamquam in proprio, & naturali subiecto.

Quare sensus conclusionis probandæ erit talis. Ens ratio-

tionis, quatenus dicit essentiam ordinatam, & commensuratam existentiæ, quæ illi conuenit secundùm propriam naturam in subiecto, quod à tali forma, seu relatione denominatur tale, generis inquam relatio, quatenus respicit esse in animali, & formaliter denominat animal genus, etiam secluso esse obiectiuo, quod habet in intellectu, & bonitate etiam, quæ sequitur ex ordine ad tale esse obiectiuum in intellectu, est bonum tale ens rationis bonitate transcēdentali, & adæquata, quia perfectiuum alterius per modum finis, perfectione tamen secundùm rationem.

Primò his sic stantibus probatur, quòd bonitas est adæquata proprietas entis rationis & primo; quælibet proprietas, saltem positiua, est perfectiua subiecti secundùm esse, quod conuenit subiecto, cuius est proprietas; tùm quia non est intelligibile, quòd non comparetur proprietas ad subiectum, vt actus perfectiuus ad potentiam perfectibilē, iuxta naturam proprietatis, & subiecti; tum quia superflua inclinatio naturalis, & ordo fundamentalis, quem habet subiectum ad talem proprietatem, immò ablata tali perfectione orta ex additione proprietatis, nullus ordo, nec bonum extrinsecum in vniuerso, de quo Aristo. 12. *Meta. Tex.* 52. ergo proprietates positiuæ entis rationis, quas ostensum est C. 42. quòd sunt verè passiones de illo demonstrabiles sunt bonæ, quia dictum est C. 41. quòd esse perfectiuum alterius est proximum fundamētum bonitatis; ergo multo magis ens rationis, quod est subiectum dictarum passionum est bonum, quia virtualiter continet dictas passiones positiuas.

Secundò. Ens rationis est in actu propter existentiam secundùm rationem, ad quam essentialiter ordinatur; ergo est perfectum perfectione, quæ illi conuenit secundùm rationem; ergo est appetibile, vt verè sit secundùm existen-

tiam

tialn sibi conuenientem .s. secundùm rationem, quia perfectio est fundamentum appetibilitatis, quamuis non vltimum, & proximum, nihil siquidem imperfectum, vt sic formaliter est alterius perfectiuum; ergo ens rationis est bonum.

Tertiò, & est confirmatiò illius consequentiæ, quòd ad esse perfectum sequatur, quòd ens rationis sit alterius perfectiuum. Quodlibet ens reale infra Deum habet naturam limitatam, & finitam; ergo magis ens rationis; quia quo magis ens est infimum, semper deficit à perfectione limitatâ superiorum; ergo sicut pro complenda perfectione substantiæ finitæ, & limitatæ naturæ eidem addita sunt accidentia, intelligentijs virtutes, & potentię, quę sunt principia proxima suarum operationum; substantijs compositis accidentia materialia, quorum quædam sunt & ipsa principia suarum operationum, caliditas in igne; quædam vt substantia mensuretur, vt quantitas; alia vt decoretur, figura, & color; alia vt ordinetur, vt relatiò, necessarium est etiam si debet saluari ordo vniuersi in genere entis secundum rationem, quòd similiter si non secundùm perfectionem, & bonitatem, quæ conuenit enti reali, præcisa omni operatione intellectus, tamen in esse secũdum rationem, proprietates, & subiecta entis rationis, & vniuersaliter entia rationis, & secundæ intentiones habeant talem ad inuicem naturalem inclinationem, & ordinẽ fundamentalẽ, quòd resultet inter ipsas multiplex relatio semper secũdùm rationẽ; dico similitudinis, dissimilitudinis, identitatis, diuersitatis, &c. iuxta naturas illarum conuenientes, vel differentes, & fundamentales proportiones, quę illis cõueniũt in generẽ secundùm rationem; ergo quælibet relatio rationis est bona bonitate secundùm rationem.

Quartò. Probatur inductiuè hæc veritas in multis relatio-

ni-

nibus secundùm rationem; vt inde inferatur. Hæc omnia enumeranda terminant actum appetitus secundùm se, non autē ratione alicuius fundamēti annexi; ergo idem in cæteris omnibus, & eo maximè, quia, vt ens sit bonum bonitate transcendentali, nō est necessariū, quòd omnibus cōueniat, sed satis est, quòd illis conueniat, & illorū sit perfectiuum, quibus ex suo genere natum est conuenire.

Primò. Relationes dignitatū, Regis, Ducis, &c. quæ pendent ex hominum æstimatione præter commodum, quod ex ijsdem dignitatibus haberi solet, quæruntur etiā propter dignitatē ab alijs acceptā, vt. s. magni ab illis æstimētur; ergo tale ens rationis est appetibile, & bonū formaliter, & secundùm se, quia illud, quod vt sic terminat appetitum est aliquid rationis, eo quòd dependet ab aliorum iudicio.

Secundò. Pecunia essentialiter est pretiū, & mensura rerū venaliū, & sic ens rationis, quia ex institutione, non autem ex natura 5. *Moralium Nicomach. C. 7.* sed tale pretiū formaliter, vt sic nō desideratur solū ratione fundamēti, auri. s. argenti, &c. sed etiā simpliciter, & secundū se, quia si per impossibile posset haberi talis relatio, quę esset signū pretij separatū ab auro, & à quacūque alia materia, adhuc tale pretium, & relatio secundùm rationem esset appetibile, vt constat; ergo &c.

Tertiò. Voces, literę in scriptis, nutus etiam, & alia, quę fiūt signa ex institutione, vt circulus ad significādā tabernā, tuba bellū, cāpana concionē habendā, sunt talia secundū rationē, quia ad placitum, & sic entia rationis; sed talia omnia sunt appetibilia secundùm se, quia si per impossibile forent separata, adhuc essent appetibilia; ergo &c.

Quarto. Instrumenta, & scripturæ priuatæ nō solēt appeti, nec cōseruari, vt res sunt, sed solū, vt faciūt fidē, vel de credito, vel de actis, quæ in illis continentur, & significantur, sed hæc

hæc omnia sunt, & ipsa ex institutione, & secundùm rationem; ergo,&c.

Quintò. Imagines rerũ præteritarũ habent relationẽ secundũ rationẽ ad præterita, eo quod referuntur ad ipsa, ex simplici illarũ entitate relatiuè concepta, formaliter, & secũdũ se appetuntur multoties propter simplicẽ relationẽ similitudinis, quã exercẽt ad res præteritas, nulla habita consideratione, cuius sint materiæ, etenim cõstat, quòd aliquãdo est magis appetibilis, & pretio æstimabilis imago perfectè repræsentãs rẽ imaginatã, quamuis sit in materia vilissima, quàm imago, quæ imperfectè repræsentat, tamẽ existẽs in materia nobiliori; quòd si bonitas in his negari nõ potest ergo secundùm naturã cuiuscunque entis secundùm rationem eadem bonitas in cæteris, & quibuscunque entibus secundùm rationem est affirmanda; ergo &c.

Probatur vltimò; quòd entia rationis sint perfectiua per modũ finis. Ex dictis C. 41. bonũ entis realis est perfectiuũ per modũ finis, quia bonũ secundũ se, & ex sua ratione formali est ipsa ratio finis in actu exercito, & semper vnũquodque magis dicitur tale secundùm illud, quod ipsi cõuenit ex propria ratione formali, quàm ex alio quocunque non tali; ergo etiam bonũ entis rationis erit perfectiuum per modum finis, semper secundùm rationẽ modo, quo supra, &c.

Sed duo contra hanc rationẽ se offerũt argumenta. primũ licèt bonũ, secundũ se, & ex sui ratione formali sit ratio finis in actu exercito, nõ tamẽ videtur, quòd necessariò sequatur bonũ entis rationis, & realis etiam quòd sit perfectiuũ per modũ finis, quia posset negari, quòd talia bona entis realis, & rationis sint prædita bonitate secundùm se.

Secundò. Quomodo etiã sequitur quòd bonum entis rationis sit perfectiuum per modũ finis? si inductio in exẽplis datis solùm probat vtilitatem dictarũ relationũ secundùm ra-

rationẽ, eo quòd dignitates, pecuniæ, vox, literæ, instrumẽta, imagines, &c. vt in argumentis est videre, desiderantur ex vtilitatibus, quæ inde sequuntur.

Ad secundum respõdetur, quòd licet bonitates dictarum relationum secũdùm rationem in ordine ad homines appetentes ipsas, maximè sint appetibiles propter commoditates, & vtilitates, quæ inde sequuntur, & sic habent potius rationem boni vtilis, quàm honesti, tamen in ordine ad rem, tali vtilitate præditam, non habent, vt sic rationem boni vtilis, sed boni, quod est per se proportionatum, & connaturale, siquidem caliditas ignis, in ordine ad manum calefactam, habet rationem boni vtilis, in ordine autem ad ignem, cuius est virtus connaturalis, non habet rationem boni vtilis, sed boni, quod est per se proportionatum, & connaturale, & sic eiusdem ignis perfectiuum per modum finis.

Ad primum respondetur. Ex quo dictum est, quòd bonũ, vt est proprietas entis realis, & rationis, quia per se conueniens, siue in esse reali, siue rationis, inde non potest fieri difficultas aliqua, dicendo, vnde est, quod bonum, vt proprietas transcendentalis sit bonũ per se? quòd si absque alia difficultate est bonum per se, quia esse tale consistit in ratione finis; ergo optimè illatum, quòd bonum entis rationis est perfectiuum per modum finis.

Ad primam difficultatem illarum, quæ à principio factæ fuerunt, respondetur, quòd bonitas entis rationis est & ipsa secundùm rationem, non tamen quia non conueniat verè enti secundùm rationem, sed quia secundùm rationem sequitur ad ens rationis modo exposito; quare sicut relatio generis sequitur, secundùm rationem animal, sic bonitas & ipsa sequitur suum subiectum, & habet rationem finalizandi, iuxta naturam entis rationis.

Ad illud, quòd non videtur, quòd bonitas possit fieri pro-

prietas entis rationis, vt abstrahit à reali,& rationis, respondetur, quòd tale ens sic abstractum, sicut non est nec reale, nec rationis propriè, & formaliter, sed superius, & in potentia ad vtrũque, sic bonitas, quæ sequitur tale ens abstractum, & proportionale omnibus, non est nec realis, nec rationis, nisi in potentia; negatur etiam, quòd ens abstractum à reali, & rationis non sit subiectum huius bonitatis, quia sufficit, quòd habeat existentiam abstractam à reali, & rationis.

Ad illud, quod ab ente, & non ente non est abstrahibilis conceptus, conceditur, & negatur consequentia, quia aliud est abstrahere à non ente, quod solam dicit negationẽ, aliud ab ente, quod includit negationem sui oppositi, primũ conceditur, & negatur secundum, quia aliter non posset abstrahi conceptus generis à differentijs, quæ continentur sub illo, quia vna includit negationem alterius, sicut in præsenti, quia si accipiatur absolutum, & relatiuum positiuè, sunt velut differentiæ sub illo communi ente abstracto, de quo nullum illorum verificatur, si tale ens positiuè accipiatur; quòd si negatiuè; permittitur, quòd ens sic abstractum dicatur absolutum, eo quòd sub tali abstractione non concipitur relatiuè, & sic patet responsio ad vltimam instantiam.

Ad secundum principale respondetur, aliud esse, quòd finis dicatur causa effectiua, & hoc nõ potest esse in ente rationis, ex rationibus habitis C. 29. Aliud, quòd illud, quod fit, fiat propter finem, & hoc conceditur, tamen nihil contra veritatem datam, quia, vt constat Aristo. *illo Textu* 91. 2. *Phys.* intelligit solùm, quòd fiat res ordinata ad finem propter finem, non autem, quòd in tali actione fiat finis, si rationem finalizandi debet exercere; immò idem confirmatur exemplo Dei, ibi enim apparet, quòd omnia fiunt in ordine ad Deum, tamquam ad vltimum finem, & tamen Dei nulla causa effectiua imaginari potest.

Ad

Ad tertium, conceditur, quòd bonitas entis rationis non addat aliquod ens reale, & hoc propter rationem ibi assignatam, & negatur, quòd si est absoluta non addat aliquid rationis enti secundùm rationem, quia non dicitur talis bonitas secundùm rationem, quia sit ens secundùm rationem, etenim sic esset relatio rationis, sed dicitur secundùm rationem, quia cum sit modus entis secundùm rationem habet conceptum secundùm rationem absolutum, in quo connotatur relatio rationis, vt consequens dictum conceptum absolutum.

Ad quartum. Si Mathematicalia non sunt bona in sua abstractione, illud euenit, quia carent omni existentia reali, & rationis, necessaria pro complenda ratione formali bonitatis, eo quòd appetitus solùm terminatur ad rem secundùm rationem formalem existentis. Carent mathematicalia existentia reali, in tali abstractione accepta, ex cõmuni omnium sententia; Carent etiam existentia secundùm rationem quia triangulus imaginatus non est verus triangulus, propter entitatem realem, quæ intrinsecè clauditur in rebus mathematicis, vt dictum est C. 2 1. Relatio autem rationis, quia vt relatio formaliter, nullam dicit entitatem nec realem, nec rationis, semper est vera relatio, quàmuis non existat, nisi secundùm rationem, non minùs, quàm relatio, quæ realiter existit; Inde habet veram bonitatem semper secundùm rationem.

Ad quintum. Negatur consequentia, quia aliud est, quòd bonitas entis rationis sit in rebus secundùm esse, quod habent obiectiuè in intellectu, aliud secundùm esse, quod habent in rebus secundùm rationem; primum est falsum, secundum est verum, quia relatio rationis generis non est bona secundùm rationem formaliter propter esse intelligibile, quod habet in intellectu, quia sic esset ad instar veritatis, quę

conuenit rebus ex esse immateriale intelligibile, sed est bona, quia est in re, idest in proprio subiecto .s. in animali, quod est illius subiectum secundùm rationem; quare sicut bonitas sanitatis est in animali, vt ibi realiter existens, & non ex eo, quòd sit obiectiuè in intellectu, sic bonitas generis est in animali, vt existens in illo secundùm rationem, & non ex eo præcisè, quòd sit in intellectu obiectiuè, iuxta diuisionẽ supra datam de duplici existentia secundùm rationem, tertio notando; quare &c.

Occurrit maxima difficultas, quia videtur ex hac vltima responsione, quòd triplex sit genus entis. Ens, quod habet existentiam realem; ens, quod est obiectiuè in intellectu, & dicitur habere existentiam secundùm esse immateriale intelligibile; & tertiò ens rationis, quod habet existentiam secundùm rationem, distinctam iuxta responsionem datam, & doctrinam supra habitam, ab existentia, quæ dicitur immaterialis intelligibiliter. Consequentia clara, quia si esse, & existentia est formale significatum entis; ergo totidem genera entis, quot genera existentiæ, quia non stat actus sine potentia; nec potentia sine actu. Antecedens patet; quia existentia obiectiua intellectus, ex quo communis enti reali, & rationis, etenim ambo, reale .s. & rationis sunt obiectiuè in intellectu, & terminant actum intellectus, quod est habere hanc existentiam obiectiuam, necessariò debet esse distincta ab existentia entis rationis, quia hæc rationis repugnat enti reali, siquidem, vt supra, nullum ens reale, si fiat ens rationis, est verè tale, & tamen à sæculo non est auditum, quòd aliquis finxerit tria genera, vel modos entis, sed omnes, qui loquuntur de ente, solùm mentionem faciunt de ente reali, & rationis; ergo falsa hæc vltima responsio, falsa ferè omnia, quæ dicta sũt in præsenti capite, & falsum est illud, quod est maximum fundamentũ in tota doctrina, quæ potest

habe-

haberi in materia entis rationis, & secundarũ intentionum.

Respondetur, quòd existentia obiectiua, quàmuis sit alia ab existentia entis realis, & rationis etiam, non tamen facit tertium genus entis; tùm quia ens solùm multiplicatur iuxta diuersum esse naturale, quod potest habere essentia entis, quale est vel reale, vel rationis, etenim existere in intellectu obiectiuè, differt ab esse naturale rerum, ex eo quòd essentia vnius, propter esse naturale siue reale, siue rationis, non potest vniri cum altera, propter determinatum esse, quod habet in illa re, & omninò distinctum ab esse specifico alterius essentiæ, quia non est verum, quòd in esse naturali homo sit equus; nec quòd genus pro relatione acceptum sit species, & tamen essentia vnius secundùm esse immateriale intelligibile, vnitur cum altera, quia quod repugnat essentiæ in esse naturali positæ, eidem conceditur, si in esse immateriali intelligibili ponatur, etenim hoc pacto cognoscentia recipiendo rerum quidditates specificas, & perfectiones aliarum rerum fiunt realiter ipsa cognita, iuxta illud sæpiùs repetitũ Aristo. 3. *de Anima Tex.* 7. *Cum autem sit singula fiat*. Dico realiter, quia ille idem lapis, qui est ad extra realiter, est ille idẽ, qui est in cognoscente, quod sic esse probatur dupliciter.

Primò. Quando intellectus intelligit lapidem, si lapis ad extra non est idem in intellectu realiter, sed alius, ergo non est ille ad extra, qui intelligitur, sed alius, quia solùm intelligitur, quod est obiectiuè in intellectu; ergo est idem realiter.

Secundò. Res in intellectu est sola quidditas, vel habens, vel induẽs modum quidditatis, etiam in actu exercito, modò quia quidditas, & essentia entis abstrahit ab existentia quacunque .s. in re, & in intellectu, in vno, in pluribus, &c. & solùm retinet prædicata primi modi per se; ergo essentia lapidis in ratione quidditatis nullam accipit differentiam ex esse naturale in re, & ex esse in intellectu, quod est esse obiecti-

uum,

uum, ideſt eſſe immateriale intelligibile.

Non facit etiã iſtud eſſe immateriale intelligibile tertium genus entis, quia cum ens non dicat ſolam exiſtentiam, ſed pro completa ratione formali, etiã ſignificet eſſentiam proportionatam cum exiſtentia, vt multiplicentur genera, vel modi entis, non ſufficit ſola diuerſitas exiſtentiæ, ſed vltra hoc requiritur, quòd ſub tali exiſtẽtia detur etiam multiplex eſſentia, etenim experimur, quòd eadem numero pars eſt in toto, & etiam ſeparata ab ipſo, quàmuis in toto exiſtat exiſtentia totius, ſeparata, propria exiſtentia; materia etiam manet eadem numero, ſub diuerſis formis ſubſtantialibus 1 *Phyſ. Tex.* 60. quamuis iuxta diuerſitatẽ illarum diuerſimodè exiſtat, quare cum ſit eadem eſſentia, quæ exiſtit ſecundùm eſſe naturale, ſiue reale, ſiue ſecundùm rationem, & etiam ſecundùm eſſe immateriale intelligibile, quia, vt ſupra, idem eſt lapis realiter ad extra, qui in intellectu; iam nulla neceſſitas, quòd à Philoſophis fuerint excogitata tria genera, vel modi entis; ergo ſolùm duplex ens .ſ. reale, & rationis.

Verũ interrogabit aliquis, quid formaliter ſignificat iſtud eſſe immateriale intelligibile? Reſpondetur, quòd tale eſſe nõ dicitur immateriale, quia eſſentia, & quidditas habens illud ſit carens materia ſicut intelligẽtia, quia cum ſit materia de ratione quidditatiua horũ inferiorum; eorumdem eſſentia non poteſt etiam per intellectum fieri immaterialis hoc pacto; immò ſi ſic, nec materia ipſa poſſet intelligi, & eſſe in intellectu, ſecundùm tale eſſe immateriale, etiam ſi per analogiam ad formam foret intelligenda, vt induens rationem quidditatis, quia implicat, quòd ſit materia, & ſub tali eſſe intelligibili careat materia, etenim conſtat, quòd ſic eſſet, & non eſſet.

Dicendum itaque, quòd eſſe immateriale, quod habet eſſe in intellectu, optimè ſignificatur per illas duas dictiones,

immateriale .s. & intelligibile, quia immateriale primò dictum est velut genus, intelligibile secundò est velut differentia contrahens primum; & est sensus. Res habent in intellectu esse immateriale, non tamen ad instar intelligentiæ, sed limitatum, & coarctatum per talem modum, seu differentiam .s. per intelligibilitatem, quod non aliter explicari potest, quàm si dicatur, quod est tale esse, à quo pendet illa veritas, quòd intellectus fit, & fiat intellecta, iuxta quem modum Aristo. 2. *de Anima Tex.* 121. dixit, quòd *sensus est susceptiuus specierum sine materia*, intelligebat enim, quòd esse, quale habent sensata in sensu, quando sensus fit sensatus, non est illud esse materiale, idest naturale cuiuscunque rei, quia repugnat, quòd res possit recipere species, & perfectiones aliarum secundùm esse naturale, ex causa iam dicta, sed est immateriale cognoscibile illatiuum huius veritatis. Cognoscens, & sentiens fit cognita, & sensata.

Quod etiam in hunc modum potest confirmari. Immateriale distinctum contra naturale est commune ad omnia, quę sunt, quia intellectus est omnia intelligibilia 3. *de Anima Tex.* 37. Immateriale autem, si vtcunque accipiatur, quia non conuenit omnibus, quæ sunt, propter limitatam naturam, quam habent res in esse naturali positæ, non potest efficere, quod anima sit omnia per intellectum; ergo immateriale intelligibile debet solùm accipi, vt distinguitur contra esse naturale; ergo &c.

**Hic insurgit noua difficultas. Res scitæ habent esse obiectiuum in intellectu, secundùm quod abstrahunt à materia, vt est vulgare ex diuisione scientiarum; sed res scitæ dicuntur abstractæ à materia, quia verè abstrahuntur, quamuis præcisiuè à materia, quæ est pars compositi; ergo esse immateriale intelligibile, quod facit diuisionem scientiarum est tale, vt distinguitur à materia, qua carent substantiæ immateriales .s.**

in-

intelligentiæ; ergo immateriale non est tale, vt distinguitur contra esse naturale.

Respondetur, quòd immaterialitas, quam habent res scitæ, est immaterialitas accepta ex actu intellectus agentis, secundùm quam fiunt actu intelligibiles, antequam recipiantur in intellectu possibili, vt necessariò possint mouere intellectum possibilem, quia obiectum potentię passiuæ debet esse actu ante operationem dictæ potentiæ passiuę; verùm hæc immaterialitas est tàlis per abstractionem à materia, quæ vel est pars substantiæ compositæ, vt in scientia Physica, vel quia forma materialis, vt in scientia mathematica; immaterialitas verò intelligibilis, de qua in præsenti est ex actu intellectus possibilis, & distinguitur à materia, vt significat esse naturale, quod habent res scitæ; ergo res scitæ habent duplicem immaterialitatem, alteram ex intellectu agente, secundùm quam sunt abstractæ præcisiuè, sicut forma, & quidditas à materia, altera, secundùm quam sic abstractæ à materia primo modo, fiunt alio modo immateriales, vt sunt in intellectu possibili, secundùm aliud esse, quàm naturale, quod habebant in re ad extra, & quatenus etiam illuminata per intellectum agentem, mouent intellectum possibilem, & terminant actum illius.

**FINIS.**

# INDEX
## RERVM NOTABILIVM.

Abstractio.



Accidens.



Actus.



Æquiuocum.



Agens.



Aliquid.

Analogia, & Analogum.



Bonitas.



Bonum.

*Ens,*

Exi-

Existentia, & Existere.



Falsum, & Falsitas.



Fieri.



Finis.

*Intel-*

Intelligentia.



Intentio.



 Obie-

Scientia.



Sensus.



Signum.



Species.



Subiectum.



Substantia.



Quo-

Terminus.



Veritas, & Verum.



*Diuer-*

FINIS.